


Digitized by Google

19. 4. 114

~~V~~. 19. S. 1

Digitized by Google



Digitized by Google

COLLIS PARADISI AMOENITAS,

SEU

SACRI CONVENTUS ASSISIENSIS HISTORIÆ

LIBRI II.

OPUS POSTHUMUM

PATRIS MAGISTRI FRANCISCI MARIÆ ANGELI
à Rivotorto Ord. Min. S. Franciſci Conventualium.

IN LUCEM EDITUM

Opera, & Studio Fratris FRANCISCI ANTONII FELICIS CAROSI
de MONTE LEONE Provinciæ Sancti FRANCISCI
ejuſdem Ordinis Sacerdotis.

SANCTISSIMO D. N.

CLEMENTI XI. PONT. OPT. MAX.



MED. PALAT. BIBL. CAES.

MONTEFALISCO, MDCCIV.

Ex Typographia Seminarii. *Superiorum permiſſu.*

SANCTISSIMO D. N.

CLEMENTI XI.

PON. OPT. MAX.

Hiſtoriæ Sacroſancti Aſſiſiatis Cœnobii coronide jam impoſita, me tanti Operis fiducia alacriùs properantem, patere ad tuos pedes provolvi, Pater Sanctiſſime. Enimvero unius ejuſdem

debiti ratio , qua membrum capiti , filius patri, matriquè obſtringitur , ad Libri editionem æquè, ac ad oblationem me compulit . Collis Paradiſi, hoc eſt, Patris Franciſci Domus, Domus omnium cæterarum Mater, & caput, hìc materia, & ſcopus. Ni ergo, & imprimendum volumen, & Sanctiſſimo S. Matris Eccleſiæ Capiti, & Patri ſiſtendum ducerem, uti inofficioſum Membrum, ita Filius, vel injurius crederer. Confert, ut haſce paginas ſub auſpicatiſſimis Titulis prodeuntes, Sanctitati Veſtræ datas maluerim, peramplus, quo ſparſim illæ condecorantur, Chriſti Vicariorum catalogus , quorum in Aſſiſienſem Baſilicam , ejuſquè Sanctiſſimum Tutelarem certatim ſemper enituit effuſiſſima charitas. Confert beatitudinis Veſtræ in Franciſcanos Conventuales, in Collem Paradiſi, in Seraphicum Patriarcham , qui *Joannes primùm , dehinc Franciſcus* eſt dictus , avitum ſtudium, recenter in Romanæ SS. XII. Apoſtolorum Baſilicæ inſtauratione, Pontificia munificentia, primi lapidis jactu, Apoſtolicæ benedictionis theſauro ſignificatum: nec inane CLEMENTIS Nomen, cujus vocabuli Quartus, Minorum cœtus non vulgaris opitulator , Sancti Patris , & Delubrum excoluit, & cadaver inviſit, ſexquè Bullis in hac Synopſi relatis, Sacri Conventus, & privilegia firmavit, & prærogativas adauxit. Jure igitur merito Franciſcus ad Eccleſiæ fulcimentum ſelectus, qui in ſuæ converſionis primordio Templum Divo Petro conſtituit, qui totus Apoſtolicus in Officio, Romanus in Epitaphio, Vicechriſtus ubique inſcribitur , qui, ſequè, & ſuos peculiari Sanctæ Sedis

pro-

protectioni commiſit, hoc in codice expreſſus, ſummi Hierarchæ thronum ſuaptè convenit, ſuæquè Domus Hiſtoriam, quæ nulli, niſi Romani Pontificis juriſdictioni immediatè ſubjicitur, nulli, niſi Romano Pontifici, dictat nuncupandam. Accedit aliud, haud inferioris profectò, quin gratioris fortaſſe notæ donarium, *Amoris Icon*, cujus Auctor, totius idem Operæ moderator, humillimè, & is provolutus, ſiquid inibi elegantiæ reſpergitur, ex uberrimis Tuæ Sanctitatis Operum fontibus, unde Leones, Gregorios exprimis redivivos, ut ut eſt, derivatum fatetur. Hæc in cauſa ſunt, quòd puſillorum munuſcula humanitate, qua polles, quoque exhibentur, animo admittas; ut pietatis vena, qua in Patriarcham duceris, in Alumnos exuberet. Interim D. O. M. cujus familiæ præes, cujus in propagandi Nominis gloria totus es, Chriſtianæ Reipublicæ bono beatitudinem Veſtram utrâque incolumitate ſoſpitem quàm diutiſſimè ſervet. Romæ Kal. Aprilis MDCCIV.

SANCTITATIS VESTRÆ.

Pedibus proſtratus
Fr. Franciſcus Antonius Felix Caroſi Min. Con.

TITULORUM,

Qui in hoc Opere continentur

I N D E X.

SEpulchrum ſibi eligit moriturus Sanctus P. Franciſcus. Lib. I. Tit. I. pag. 1

Corpus *depomitur, examinantur miracula, Canonizatio decernitur. Tit. II.* 2

Eccleſiam ædificari ejus nomini, corporique ſervando Pontifex jubet. Tit. III. pag. 3

Ædificium deſignatur, ædicula ſepulchralis paratur. Tit. IV. 4

Sanctorum faſtis B. Franciſcus adſcribitur. Tit. V. 5

Collis benedicitur, & primus Ecclefiæ lapis collocatur. Tit. VI. 6

Subterranea completur Eccleſia, & aliæ duæ ſuperexercitantur. Tit. VII. pag. 8

Collis Paradiſi Baſilica Pontificiis privilegiis ditatur, Caput, & Mater totius Ordinis Minorum conſtituitur. Tit. VIII. 9

Fidelium pietas nitet, & mira celeritate operi inſiſtitur. Tit. IX. 10

Indicuntur Ordinis Comitia, & Sancti Corporis Translatio. Tit. X. 11

Ad Collis Paradiſi Templum S. Corpus transfertur. Tit. XI. 12

Pontificis indignatio in Aſſiſiates, qui humiliati in gratiam redeunt. Tit. XII. 13

Fratrum indignatio in Heliam, qui à Miniſterio exauctoratur, & fabricæ perficiendæ curam deponit. Tit. XIII. pag. 14

Integrum S. P. Corpus ad novam defertur Baſilicam, nulla ejus pars alibi relicta. Tit. XIV. 15

Corpus mirabiliter ſurgit, ſtanſque ſervatur. Tit. XV. 17

Gregorius IX. obſervat S. P. Franciſci Corpus mirabiliter ſtans. Tit. XVI. pag. 18

Helias iterum in Generalem eligitur, curam fabricæ reſumit, eique inſiſtit. Tit. XVII. 19

Helias iterum à miniſterio deponitur. Deſcribitur exterior Collis Paradiſi proſpectus. Tit. XVIII. 21

Sequitur Eccleſiarum deſcriptio. Tit. XIX. 24

Conventus per ſuas partes deſcribitur. Tit. XX. 26

Eccleſiæ, & Conventus ſolemniter conſecrantur. Tit. XXI. 28

Innocentius IV. Sacræ Aſſiſienſis domui Privilegia confirmat, & auget. Tit. XXII. 29

In Aſſiſienſi Baſilicæ B. Stanislaus Martyr Cracovienſis Epiſcopus Sanctorum albo deſcribitur. Tit. XXIII. pag. 30

Picturis utraque decoratur Eccleſia. Tit. XXIV. 31

Sacella Eccleſiæ expenduntur, quæ ſucceſſivè picturis condecorantur. Tit. XXV. 35

Vitreæ feneſtrarum valvæ picturis itidem exornantur. Tit. XXVI. 37

Sacri Conventus picturæ. Tit. XXVII. pag. 38

Alexander IV. Sacræ Baſilicæ fautor, & opitulator oſtenditur. Tit. XXVIII. 39

Vrba-

Urbanus, & Clemens Quarti Sacræ Baſilicæ privilegia confirmant, & augent. Tit. XXIX. 41
Privilegium immediatæ ſubjectionis Apoſtolicæ Sedi. Tit. XXX. 42
S. Baſilica totius Ordinis Caput, & Mater peculiari dignitate appellatur. Tit. XXXI. 43
S. Baſilica perpetuò à Fratribus Minoribus excolenda. Tit. XXXII. 48
Reliqua diplomatis privilegia expenduntur. Tit. XXXIII. 49
Eadem privilegia à Sede Apoſtolica confirmantur. Tit. XXXIV. 48
Fabricæ conſervationi à S. Sede providetur. Tit. XXXV. 49
Collis Paradiſi ſacris decoratur Reliquiis. Tit. XXXVI. 50
De Sacroſancto Velo præcelſæ Dei Genitricis. Tit. XXXVII. 93
S. Baſilica Indulgentiarum theſauro locupletatur. Tit. XXXVIII. 36
In S. Baſilica juſtorum corpora reſurrectionem expectant. Tit. XXXIX. pag. 59
Collis Paradiſi virtute, ac gloria celebres incolæ. Tit. XL. 62
Seraphicæ Civitatis Antiſtites ex Minoritis ſelecti. Tit. XLI. 64
Qui Corpus S. P. viderint in Paradiſi Colle reconditum. Tit. XLII. 66
Relationes veræ ab Apocryphis ſecernuntur. Tit. XLIII. 68
Sedes Apoſtolica prohibet acceſſum. Tit. XLIV. 71
Inſignium Perſonarum corpora in Colle Paradiſi quieſcentia. Tit. XLV. pag. 73
Sacrorum Stigmatum veritas ab Apoſtolica Sede comprobatur. Tit. XLVI. pag. 74
Epitheta Corpori S. P. Franciſci à Sede Apoſtolica tributa, & prærogativę Colli Paradiſi conceſſæ. Tit. XLVII. pag. 85
Rivitorti Sanctuarium. Tit. XLVIII. pag. 88
Portiunculæ Sanctuarium. Tit. XLIX. pag. 94
Sacra Carcerum Eremus. Tit. L. 98
Sancti Damiani Conventus. Tit. LI. pag. 100
Divæ Claræ Templum, ac Monaſterium. Tit. LII. 103



FR.

FR. VINCENTIUS CORONELLI VENETUS
Sac. Theol. Magiſter, ac totius Ordinis Min. Conventualium poſt S. Patriarcham FRANCISCUM Miniſter Generalis LXXVIII.

CUm opus poſthumum, cujus titulus eſt: *Collis Paradiſi Amœnitas, ſive Sacri Conventus Aſſiſienſis Hiſtoriæ libri duo* à P. Magiſtro Franciſco Maria Angeli à Rivotorto compoſitum, nec non adjunctum opuſculum, cui titulus eſt: *Icon amoris CHRISTI, & FRANCISCI duabus Epigrammatum Centurijs expreſſa. Auctore P. M. Balthaſare Paglia à Calatajerone Eminentiſſimi D. Cardinalis Barbadici Theologo*, duo ex Ordine noſtro Theologi, quibus id commiſimus, recognoverint, & in lucem publicam edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In quorum fidem &c. Dat. Romæ 15. Septembris 1703.

F. Vincentius Coronelli Miniſter Generalis.

F. Dominicus Andreas Burgheſius Sec., & Aſſiſt: Ordinis.

Imprimatur.

Hieronimus de Giglis Vicarius Generalis.

Imprimatus.

Alexander Mazzinellius Eccleſiæ Cathedralis Montisfaliſci Sacriſta, Seminarii Rector, & Reverendiſſimi Patris S. A. P. Magiſtri Vicarius.

SACRI CONVENTUS ASSISIENSIS HISTORIÆ

LIBER PRIMUS.

Sepulchrum ſibi eligit moriturus S. P. Franciſcus.

TITULUS I.

SERAPHICUS ille Vir, Minorum Patriarcha, Aſſiſias Franciſcus, Crucifixi Redemptoris imitator inſignis, & imago admirabilis, in hujus vitæ limine conſtitutus, adſtantes filios ad Dei amorem, & Regulæ obſervantiam adhortatus, eiſque, ut moriens Jacob, benedictionum plenitudinem clargitus, antequam anima ejus Sanctiſſima corporeis vinculis ſoluta, beatam adiret Patriam, rogatus à ſui Ordinis Generali Miniſtro F. Helia, ut ſibi eligeret locum, quo corpus ſuum humari cuperet, qua pollebat, humilitate, reſpondit, omnium peccatorum nequiſſimo, hominumque viliſſimo, abjectior planè debetur tumulus; ideòquè enixè te precor, ut corpus meum, cum jam erit exanime, in colle Inferni, ubi facinoroſi plectuntur, ſub ipſomet patibulo ſepeliri jures: ſi charitati, qua te, dilectiſſime, ſemper ſum proſequutus, gratum aliquid rependere velis, unum, quod peto, quæſo non deneges, imò promittas te quàm citiùs exequutioni daturum. Admirabantur circumſtantes filii Patris humilitatem, nec ſiccis oculis talia fantem audiebant, ſimulque horrore afficiebantur, cogitantes, corpus illud Chriſti Jeſu Stygmatibus inſignitum, in ſepulchro tam ſordido tumulandum fore. Cum prudens, ac fidelis Præſul, quo præſtabat, mentis acumine, myſterium penetrans, libenter, ait, amantiſſime Pater, quod jubes, exequar; noſtris ſummum annuat votis Numen; firmiter hoc polliceor. Tunc hilaris Franciſcus

divinis laudibus vacare cœpit, nec unquam ſilvit, donec carne jam liber Spiritus Seraphicos inter Choros, æternum, dulcioremque concentum reddidit.

Erat locus ille extrà Civitatis Aſsiſienſis mœnia, ad quem ex ea non niſi per Orientalem plagam acceſſus, vel deſcenſus dabatur; planitiem referebat, quæ à Meridie, Occaſu, & Septemtrione alto undiquè præcipitio prominebat, ſcopulis, præruptiſquè ſaxis vallato, & in ora Occidentali prò ſontibus patibulum erectum cernere erat. Ibi humillimus Patriarcha tumulari præcepit; ut qui in hac vita Domini Salvatoris imaginem præferebat, eumdem quoque inter ſceleratos reputatum, in morte, & poſt mortem imitaretur.

Corpus deponitur, examinantur miracula, Canonizatio decernitur.

TITULUS II.

E Mortalibus vix ad immortalem vitam Franciſci tranſlato Spiritu, & Seraphicos inter Concives locato, corpus ejus divinis conſignatum characteribus, Aſsiſii in Eccleſia S. Georgii, quo in loco puer literas didicerat, candida indutum tunica, ſerico tapete, aureis intexto floribus, à Domina Jacoba Romana cælitùs admonita allatis, obvolutum, capſaque occluſum cupreſsina, depoſitum fuit. Servantur indumenta hæc adhuc integra in Aſsiſienſi Sacrario: A tranſitu ſtatim cœpit innumeris Dei ſervus coruſcare miraculis.

Tùnc temporis Petri ſedem, & claves Gregorius Nonus tenebat, qui licet ſibi ſatis probatam haberet Franciſci ſanctitatem, cùm primus extiterit Ordinis Minorum Cardinalis Protector, illiquè propterea arcta neceſsitudine iungebatur, cui etiam Franciſcus vivens, dùm ſimùl Bononia ad ſacram Camaldulenſium Tuſciæ eremum pergerent, ſummum prædixerat Eccleſiæ ſolium. Attamen ut canonicè, ac ritè in re tàm gravi procederet, totius Umbriæ Epiſcopis exactam inquiſitionem, & juridicum omnium examen miraculorum commiſit, quæ per eorum Civitates, Diæceſes, ac ditiones evulgabantur ab eis, qui accepta palam fatebantur beneficia.

Expleto à B. Patris morte jam anno, Antiſtites præfati proceſſus ad ſummum Pontificem tranſmiſere, qui eos exactiori diſcuſsione examinandos ſacro Cardinalium conſeſsui remiſit. Obſtabant ex Purpuratis aliquot tanti negotii accelerationi; favebant alii, qui viventem Dei ſervum agnoverant, ejus ſanctitatem probaverant, & quidam etiam vulnera ejus corpori divinitus impreſsa mirati erant. Omnes tàndem vehementi capti deſiderio corpus tam admirabile, quàm primùm videndi, in hanc ſententiam convenere, dignum eſſe venerari in Eccleſia ſanctitatem, quam noſtræ Redemptionis ſignis ſignaverat ſummus ipſe Pontifex Chriſtus; cujus propterea Vicario retulerunt, abundè ſatis conſtare de virtutibus, meritis, donis, ac miraculis Dei famuli, adeoquè ritè Sanctorum albo deſcribi poſse, & interim Beatum ab omnibus haberi, ac adorandum eſse.

His peractis ſecum decrevit Gregorius Aſsiſsium adire, ibique cum tota Curia Canonizationis ſolemnia Pontificali pompa celebrare. Sub finem propterea Menſis Aprilis Roma diſcedens ad Civitatem Reatinam ſe contulit, ut ibidem gravia Eccleſiæ, quæ tunc inſtabant, negotia componeret, cœptum exinde iter proſequuturus. Eccle-

Eccleſiam ædificari eius nomini , corporiquè ſervando Pontifex jubet.

TITULUS III.

ADmonitus F. Helias jam in Sacro Purpuratorum Collegio decretam fuiſſe almi Patris Canonizationem , adjit Reate Summum Pontificem , ſuppliciter , & inſtanter rogaturus , ut quamprimùm dignaretur eam ſolemnitatem celebrare . benignè promiſit Papa . Inſuper & de conſtruendo Templo , in quo ſancti viri corpus conderetur , ſermonem addidit . Occaſionem nactus Helias, narravit Pontifici quæ ſub morte impoſuerat humillimus Patriarcha, in colle ſcilicet Inferni ſub reorum patibulo ſe, tanquàm omnium peccatorum nequiſſimum ; humari velle. Admiratus Gregorius tantam in ſervo Dei humilitatem, eſtnè , inquit , ad rem ſitus collis hujuſcè ? & ſi reſpondit Generalis , non ſinè immodico ſumptu , ac labore Eccleſia inibi , & Conventus excitari poſſint , attamen dùm Sanctitas veſtra dignetur mihi hoc opus committere , & authoritate , ac pietate Religionis paupertati ſuccurrere ; meum erit ad Dei gloriam curare , ut ibi nobile , & inſigne conſtruatur ædificium . Imò , ſubdidit Pontifex , id tibi Apoſtolico injungimus mandato , & ſanctæ obedientiæ meritum adjicimus . Vade : noſtro nomine cum eis age , ad quos prædicti Collis immediata ſpectat poſſeſſio ; Nos fundum ememus , quem ex nunc Religioni concedimus ; quàmcitò operi manum adhibe , ut cum nos Canonizationis ſolemnia abſolverimus , fundamenta benedicere , primumque lapidem propriis manibus in eis collocare poſſimus . Opes , Deo dante , non deerunt ; dabimus nos , dabit fidelium pietas , quos Apoſtolicis literis hortabimur , & indulgentiarum beneficio ad eleemoſinas erogandas alliciemus . Interim ex noſtro , quamvis tenui , Ærario neceſſariam tanto operi pecuniam ſuppeditabimus .

Acceptis mandatis , ac Diplomate incipient. *Recolentes, &c. ſub Dat. Reate 3. Kal. Maij , Pontif. Anno II. Incarn.* 1228. Aſſiſum venit Helias , cum Civitatis Proceribus egit de conſtruendo Templo in ipſo Inferni Colle . Obſtabant unanimiter Cives , ea fulti ratione , quòd in loco tàm vili ſepeliendus non eſſet tàm pretioſus theſaurus , ſed expedire potiùs nobiliorem , tutioremq; Civitatis partem ad id deligere ; rati omnes plateas , domos , & quidquid proprium , vel commune ad rem eſſet , ſe quàm libentiſſimè donaturos . At Sancti Concivis ultima intentione , & ſummi Pontificis voluntate perceptis , acquieverunt ſinguli , totumque Collis fundum Apoſtolicæ ſedi obtulere , illius nomine præſente , & acceptante Generali præfato .

Ædificium deſignatur, ædicula ſepulchralis paratur.

TITULUS IV.

IMpoſſibile, nedum difficile cunctis videbatur in tam arduo ſitu tot inter vortices, voragines, & ſcopulos, peramænum aliquod, magnificum, & durabile excitandum fore ædificium. Quiſque (ut in ſimilibus evenire ſolet) ſuam proferebat ſententiam, objectionem, prædictionem: At impavidum Heliæ ingenium, totum S. Patris datum amori, incumbens gloriæ, nil trepidabat. Accito propterea ex Germania omnium Architectonices peritorum illius ævi peritiſſimo Jacobo Alemanno, ut refert Georgius Vaſarius in vitis pictorum, & Architectorum tom. pr. in vita Arnolfi pag. mihi 9. convocatisquè aliis in eadem arte verſatis, quos inter adhùc juvenis, devotione ductus adfuit Philippus de Campello, qui poſteà Ordinem ingreſſus eſt, & poſt Jacobum prædictum totius operis Præfectus eſt conſtitutus. Conſiderato, dimenſoque ſitu, variis propoſitis exemplaribus, perpenſiſquè ſchematibus, omnes judicio Jacobi ſteterunt; & quintadecima Menſis Maii die, 1228. fundamentis fodiendis multiplex impoſita fuit manus. Collem undiquè artifices occuparunt, quidam ſcindendis ſcopulis, alii eruendis petris, alii cæteris præparandis materialibus addicti.

Id præcipuum cordi erat Heliæ, ut monumentum, in quo dilectiſsimi Patris corpus ponendum erat, ſicut illi promiſerat, directè ſub patibulo extrueretur. Ablatis obinde ſupplicii lignis, effoſſa humo, amplum, & ingens ſaxum repertum eſt, quod Collis latitudinem à Meridie, & Occaſu inæqualiter complectebatur, & in præcipitia; & voragines undiquè ruebat: à loco verò patibuli Orientem verſus duodecim circiter pedibus extendebatur; & exinde terra ſpatium implens, planitiem æquabat. Tunc memor Helias, quòd Salvatoris noſtri ſepulchrum novum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat, excisum erat in petra; piè auguratus eſt, divina providentia factum eſſe, ut tot privilegiis Domino ſimilis ſervus, ſimile quoquè ſortiretur monumentum. Juſsit proindè, ut anteriori effoſſa terra, lapidem ab Oriente excavarent in modum teſtudineæ Cappellæ, uſquè dum directè ſub loco, ubi furca fuerat, pervenirent. Terram igitur extrahentes, ac deſcendentes artifices in aliud ingens, & ampliſsimum ſaxum inciderunt, ſuper quòd inferioris Eccleſiæ fundamenta aptè ſtatuenda decrevere. Tandem multarum hebdomadarum labore concavum in petra ſacellum completum eſt; & foveæ, in quibus fundamenta firmarentur, paratæ. Collis autem Inferni ſchema hìc videndum propoſui.

San-

Sanctorum faſtis B. Franciſcus adſcribitur.



ejus obitus celebrare. Statim Car[illegible]
hymnum totum proſequitur, & populi vocibus lætis laudes depromunt. Deſcendit de ſolio Chriſti Vicarius, & Sanctuarium accedit, in quo Sanctum

funus

Digitized by Google

Ædificium deſignatur, ædicula ſepulchralis

San-

Sanctorum faſtis B. Franciſcus adſcribitur.

TITULUS V.

COmpoſitis jam in Civitate Reatina negotiis, Spoletum venit Gregorius, mox Aſsiſium ſub initio Menſis Junii magno exceptus apparatu, recto tramite ad B. Franciſci corpus venerandum ſe contulit. Auditis ibi ſupplicibus omnium Civium inſtantiis, obſervatiſquè conſtruendæ fabricæ præparationibus, diem ſolemnis Canonizationis decrevit, ac publicari mandavit, ſextam decimam ſcilicet proximi menſis Julii. Indè Peruſium abiit, ut opportuniùs Friderici Imperatoris contumaciam vel flecteret, vel confringeret. Die 15. Julii Aſsiſium rediit, comitantibus eum S. R. E. Cardinalibus, Curiæ Prælatis, & Palatinis, quamplurimis etiàm ex Principibus, & Magnatibus, qui omnes ad ſolemnitatem convenerant. Inter Cardinales adfuerunt Gaufridus de Caſtilione, Sinibaldus Fliſcus, ac Rainaldus de Comitibus Signiæ, qui ſucceſsivè poſteà ſummi Pontifices extiterunt, Cęleſtinus IV. Alexander IV. & Innocentius IV. Hi purpura donati fuere in una, eademquè promotione, habita Anagniæ Menſe Decembris præcedentis Anni 1227. ab eodem Gregorio Nono, cui in Petri ſede ſuccedere meruerunt.

Paratis interim rebus omnibus in tanto exponendis theatro in ipſa Divi Georgii Eccleſia, quæ, ut veſtigia oſtendunt, ampla ſatis, ac magnifica erat, aſsiſtentibus Purpuratis, Prælatis, Epiſcopo, Clero, Helía Generali, & Fratribus, præcipuè S. Patris diſcipulis, & ſociis, ac etiam nobilioribus Civibus, coram innumerabili multitudine ipſe ſummus Paſtor, Pontificalibus indutus ex eminenti ſolio graviſsimum habuit ſermonem, themate propoſito ex Eccleſiaſt. c. 50. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi Luna plena in diebus ſuis, & quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei*: virtutes Dei famuli excelſas, præclara merita, & mirabilia, quæ ipſemet ex diuturna cum eo familiaritate didicerat, ac expertus fuerat, laudibus extulit; Sermone expleto Octavianus SS. Sergii, & Bacchi Diaconus Cardinalis ex alto loco vitam, & miracula fideli examine, rite, ac juridicè probata recitavit: deindè Rainerius Cappocius S. Mariæ in Conſmedin Diaconus Cardinalis ejus temporis Orator excellentiſsimus e ſacro Roſtro valdè eruditam protulit Panegyrim. Adſtantes interim præ gaudio, devotione, & amore dulces fletuum imbres eliciebant.

Tandem e ſolio ſurgens Pontifex, complicatis manibus, ſublatis in cœlum oculis, ſecreta, & fervida præmiſsa ſupplicatione, & implorata Spiritus Sancti aſsiſtentia, hac verborum formula Sanctum proclamavit. *Ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & glorioſæ Virginis Mariæ, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ad honorem Eccleſiæ Romanæ, Beatiſſimum Patrem Franciſcum, quem Dominus glorificavit in cœlis, venerantes in terris, de conſilio Fratrum noſtrorum, aliorumque Prælatorum in Sanctorum catalogo decrevimus adnotandum, feſtumque in die ejus obitus celebrare.* Statim Cardinales *Te Deum laudamus* intonant, Clerus hymnum totum proſequitur, & populi vocibus lætis laudes depromunt. Deſcendit de ſolio Chriſti Vicarius, & Sanctuarium accedit, in quo Sanctum

funus

funus inſtructum erat. Ibi proſtratus coram Arca, quæ pretioſum cuſtodiebat depoſitum, eam oſculatus vota obtulit, & donaria; Deindè Cardinales Arcam ipſam ſublevant, & reſeratam in medio conſtituunt, admirantibus cunctis in integro, & incorrupto Corpore pulcherrima illa adhuc ſanguiflua Salvatoris inſignia. Sequuntur Miſſarum Solemnia, ipſo ſummo celebrante Sacerdote; poſt Communionem ad priſtinum loculum occluſa refertur; dataquè benedictione celebritas terminatur. In tantæ feſtivitatis memoriam quotannis die 16. Julii in Sacra Aſsiſienſi Baſilica ſolemnis dicitur Miſſa, cum Introitu *Gaudeamus omnes, &c. de cujus Canonizatione, &c.*

Præfatam Canonizationis formam, & ordinem diffusè adnotarunt plurimi ejuſdem ævi Scriptores, Thomas de Celano, Abbas Albertus Stadenſis, Marianus, & Krantius. Sed & Jo: de Florentia in m.ſ. præcipuam, & maximam fuiſse addit, multiplici ratione. Primò ex inſolitis ceremoniis, nam ante id tempus, recitatis, & approbatis in ſecreto Cardinalium Conciſtorio canonizandi geſtis, & miraculis, abſque alio apparatu, Apoſtolico diplomate adſcribebatur numero Sanctorum. Secundò ex tanta Papæ dignatione, ut perſonaliter cum tota Curia Aſsiſium venerit, atque ipſe ad populum vitam, & laudes ſancti viri, magna animi teneritudine expreſserit; plurima recenſens, quæ viventem adhuc feciſse viderat, & ex arcta cum eo neceſsitudine noverat. Tertiò ex præſentia corporis S. Patris, quod paucis, & fortaſse nullis Canonizatorum eveniſse legitur. Tandem ex plurima atteſtatione, & acclamatione hominum, ipſorumquè Cardinalium, qui ante biennium viventem viderant, alloquuti fuerant, & Stygmatizatum conſpexerant.

S. Bonaventura de ea celebritate ſcriptis dedit hæc. *Veniens Papa perſonaliter ad Civitatem Aſſiſii Anno Dominicæ Incarnationis* 1228. *in Kalendis Auguſti, die Dominico, cum maximis, quæ longum foret enarrare, ſolemniis, B. Patrem Catalogo Sanctorum adſcripſit.*

Literæ Apoſtolicæ hujus Canonizationis incipientes, *Mira circa nos, &c.* datæ fuerunt poſtea Peruſii 14. Kal. Auguſti ejuſdem anni, lectu digniſsimę, quas inter alias ſuo loco legere quis poterit. Corrigendus autem in hac re eſt Ciacconius, qui 4. Nonas Octobris ſcripſit S. Franciſcum Sanctorum albo adſcriptum fuiſſe.

Collis benedicitur, & primus Eccleſiæ lapis collocatur.

TITULUS VI.

SEquenti die Pontifex ad Collem Inferni ſe contulit, ſingulis ex Curia comitantibus, ac Pontificalibus indutus totum benedixit locum, quem præclara antitheſi Collem Paradiſi nominavit, ac deinceps nominari juſsit. Indè ad antrum deſcendens, in quo ſacrum pignus erat condendum, primum lapidem a ſe benedictum propriis manibus collocavit, ut poſtea in ſuis literis, incipientibus, *Speravimus hactenus, datis Later.* 16. *Kal. Julii anno ſui Pontificatus* 4. teſtatum fecit. Interim verò Cardinales, Prælati, Principes, magna devotione, pietate eximia lapides in fundamenta projiciebant, & turbæ lætis plaudebant vocibus,

Inſuper & Epitaphium in Porphyrite marmore, aureis inſculpitum literis, quod

Digitized by Google

quod ipſe Gregorius eleganter concinnaverat, ibidem apponi fecit, vel potiùs appoſuit, videlicet

V. S. C. A.

Franciſci Romani celſa humilitate conſpicui,
Chriſtiani Orbis fulcimenti, Eccleſiæ reparatoris,
Corpori nec viventi, nec mortuo,
Chriſti Crucifixi plagarum, clavorũq; inſignibus admirando,
Papa novæ fœturæ collachrymans, lætificans, & exultans,
Juſſu, Manu, munificentia poſuit

Anno D. M. CCXXVIII. XVI. Kal. Auguſti.

Literarum quatuor capitalium ſenſus eſt. Viri Seraphici, Catholici, Apoſtolici. Dicitur verò Franciſcus Romanus, quia Aſſiſium Romanorum olim fuit inſigne municipium, cujus Cives Municipes Romani ex Sen: Cons: ſunt nuncupandi. Hinc & Sex: Propertius Aurelius, inſignis Poeta Aſſiſias, Callimachi Græci elegias imitatus, ſe Romanum Callimachum dixit. l. 4. el. p.

Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

Vel, ut aliis placet, ideò Gregorius Franciſcum Romanum inſcripſit, quia humillimam ſubiectionem, & obedientiam ſemper S. R. Eccleſiæ, & Apoſtolicæ ſedi profeſſus fuerat: ad quam etiam totam ſuæ Regulæ ſummam redegit, dum ait, *Semper ſubditi, & ſubiecti pedibus S. R. Eccleſiæ, ſtabiles in fide Catholica, &c.*

Expletis Sacris benedictionis ritibus, attentiùs Pontifex novum ædificium intuens, conſideravit ad tam ingentem molem, ingentem quoquè pecuniæ ſummam requiri. Multa idcirco denuo liberaliter donavit, & quam plurium vacantium Eccleſiarum redditus annuos aſſignavit: Heliam hortatus, ut æquo eſſet animo, totoq; conatu operi, ad Dei, & Sancti Patris gloriam, inſiſteret: eique commiſit, ut de pecuniis prò fabrica oblatis diſponeret, abſque ulla Regulæ transgreſſione.

Sub-

Subterranea completur Eccleſia , & aliæ duæ ſuperexcitantur .

TITULUS VII.

Pontificiis interim juſſis obtemperaturus Helias, excitando Templo, quod cunctis admirationi foret , omnibus ſe ſtudiis , ac viribus dedit . Literarum Apoſtolicarum , quas Reate acceperat , ad excitandos Indulgentiarum beneficio Chriſti fideles, ut pias eleemoſinas ad id erogarent , plurima autographa condi curavit , eaque ſingulis Provincialibus tranſmiſit in quibuſlibet Provinciis , ac Civitatibus publicanda ; Pontificis nomine illis iniungens , vt collectas pecunias, & oblationes per Procurarores, & Nuntios integrè , & fideliter deſtinarent Aſſiſium , ubi etiam lapideam capſam prò excipiendis fidelium piis eleemoſinis , ad Indulgentiam lucrandam advenientium , palam expoſuit .


Indignati ſunt id perægrè ferentes , exactiſſimæ paupertatis aliqui zelatores nec ſinè querelis exagerabant ea nimis paupertati repugnare Evangelicæ. Non deſunt Hiſtorici , ob id Heliam carpentes graviter , & animoſè ſcriptitantes, quòd regulari diſciplinæ præjudicia admiſerit; abſquè fundamento, inſuper addentes , quòd taxas, collectaſque pecuniarias ſingulis Ordinis Provinciis impoſuerit , & indixerit . Omnium pace ſentio , in hoc celebrandum potiùs , quàm repræhendendum virum fuiſſe . Quippe qui non eam ſibi congregabat pecuniam , ſed ſummi Dei , qui ſe tam admirabilem in Sancto ſuo oſtenderat , gloriæ ſtudebat . Nec falſas , ad extorquendas eleemoſinas, ſed veras , patentibus Pontificiis literis , conceſſas Indulgenrias promulgabat . Neque propria voluntate opus tam nobile , inſigne , ac ſumptuoſum conſtruebat ; ſed Summi Chriſti Vicarii , qui nobiliori animo Dei honorem intendebat , mandatis paruit . Neque paupertatem lædebat , qui Apoſtolicæ ſedi obedientiam , quæ totius Religionis eſt fundamentum , & ſinè qua nulla vera eſt Religionis virtus , implebat . Nec collectas pauperibus , & mendicis fratribus, qui nil poſſidebant, impoſuit , ſed veras Indulgenrias , ad animarum ſalutem , per eos publicari curavit ; & oblationes juxtà Summi Pontificis voluntatem in opere digniſſimo impendere ſatagebat.

Sed nec ob id zelum ſociorum, & diſcipulorum Sancti Patriarchæ , qui Præceptoris æmulabantur humilitatem , ac paupertatem carpere intendo : Siquidem & ipſi bona ducebantur intentione , cupientes , quòd in Eccleſiola, Franciſcanæ mendicitati conformi ſacrum humaretur corpus. Sæpius enim evenit , ut diverſæ ſint hominum ſententiæ , & quamvis oppoſitæ videantur; cum tamen ſecundùm uniuſcujuſquè intentionem diverſis viis ad Dei gloriam ordinentur, ſingulæ rectè judicari debent . Helias igitur ea pollens ſapientia, ob quam à Seraphico Inſtitutore , Dei juſſu , inter omnes ejus diſcipulos, & ſectatores dignus eſt habitus , & ſelectus ad Ordinem ſupremè gubernandum, conſiderans hinc S. Patris humillimum deſiderium, quo ſibi abjectiſſimum delegerat Sepulchrum , cui conformabatur condiſcipulorum ſententia , & inde Chriſti Domini in terris viceſregentis voluntatem , cui Seraphicus vir totum ſeſe , Regulam , & arbitrium ſubjecerat, elegit potiùs ſummi Pontificis totis conatibus implere mandata , quàm ſubditorum ſimplicitati adhærere .

Opus


Digitized by Google

Opus itaquè proſequens Generalis ſubterraneæ molem Ecclefiæ perficiendam curav



Infimæ Ecclesiæ in qua stat S. P. Franciscus corpus interior prospectus

pacis bonum, benedictionis fructum, & æternam gloriam auguratur. Dat. Romæ 22. Aprilis 1230. De his privilegiis



Chriſti Domini in terris vicesregentis voluntatem, cui Seraphicus ſeſe, Regulam, & arbitrium ſubjecerat, elegit potiùs ſummi Pontificis totis conatibus implere mandata, quàm ſubditorum ſimplicitati adhærere.

Opus

Opus itaquè proſequens Generalis ſubterraneæ molem Eccleſiæ perficiendam curavit . Sacellum marmore exciſum , undequaq; minutis teſſeris, auro vermiculatis, pretioſiſq; lapillis infitis , opere muſivo loricari , ac exornari præcepit . Inſuper eidem Cappellæ Orientem verſus , in ſpatio ab amota humo relicto duas addidit concameratas tribunas , arcubus conterminatas , interiore parum elatiores , ac profundiores , ita ut per gradum ex eis ad illas detur aſcenſus, haſque ſtellis , & floribus variis figuratis lapillis ſuperindui fecit . In latere verò porta conſtructa cernitur ferreis poſtibus , ſolidiſque claudenda vectibus .

Interim Eccleſiæ mediæ , ac ſupremæ ampliora fundamenta replebantur, & muri latiſſimi ex quadratis, ſectis , albis, rubeiſquè lapidibus miro ordine diſpoſitis , inter ſcopulos , & voragines admirabili celeritate conſurgere videbantur. Miraculum prorſus cenſendum eſt , undè tot lapides eruti , & allati fuerint, montes eviſcerati , tam citò , & affabrè expoliti . Artifices innumerabiles voto , vel pretio ducti in opus inſudabant . Heliæ providentia in cunctis admirabilis enitebat , & eximius , ac ſingulariſſimus amor erga dilectiſſimum Patrem nulli ſecundus emicabat. Infimæ verò Eccleſiæ ſchema hìc cernendum propoſui.

Collis Paradiſi Baſilica Pontificiis privilegiis ditatur , Caput , & Mater totius Ordinis Minorum conſtituitur .

TITULUS VIII.

SUb Menſe Octobris ejuſdem anni 1228 , cum Reate moraretur Pontifex ipſe Gregorius , eiquè relatus fuiſſet novi Collis Paradiſi Ædificii progreſſus , eam Eccleſiam gratiarum donis , ac ſingularibus prærogativis communire decrevit . Quarè ſub die ejusdem Menſis 21. literas Apoſtolicas dedit Miniſtro Generali , Fratribuſque Minoribus , incipiens *Recolentes qualiter, &c.* quibus fundum ab Aſſiſiatum pietate Sedi Apoſtolicæ oblatum , in quo Eccleſia S. Franciſco dicata conſtruebatur, in jus, & proprietatem ejusdem S. Sedis ſuſcepit , Templum ipſum privilegio libertatis donavit , & ſub ſpeciali tutela Pontificia conſtituit: imponens Fratribus in ea commoraturis annuum perpetuum cenſum unius libræ ceræ, ipſi Pontifici , & ſucceſſoribus perſolvendum.

Aliud quoque dedit Apoſtolicum Diploma Conciſtoriale in ampliſſima forma. *Is , qui Eccleſiam ſuam, &c.* ab ipſo Papa , & Cardinalibus, qui aderant, ſingulis propriis ſignis, & characteribus ſignatum, & ſubſcriptum , quo omnia ſuperiora privilegia confirmavit , & addidit ampliora, puta, quòd Eccleſia ipſa totius Ordinis à Sancto inſtituti, Caput habeatur, & Mater: quòd in ea per eoſdem Fratres perpetuò inſerviatur; Quòd nullus audeat in ea ſententiam excommunicationis, vel interdicti promulgare; quòd nemo libertatem, & prærogativas ejus perturbare præſumat , ſub pœnis privationis omnium dignitatum, & alienationis à participatione Sanctiſſimi Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. eidem verò ſua jura ſervantibus pacis bonum, benedictionis fructum, & æternam gloriam auguratur. Dat. Romæ 22. Aprilis 1230. De his privilegiis

Digitized by Google

giis diffuſiùs alibi tractabimus, cum ea etiam à Succeſſoribus ejuſdem Gregorii pluries confirmata referemus. Hoc diploma Originale, ab aliis etiam hiſtoricis, ſed ſine ſubſcriptionibus allatum, inter præcipua hujus ſacræ Domus pretioſa ſervatur. Cenſus autem unius libræ ceræ in eo impoſitus quotannis in Feſto Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolicæ Sedi ritè perſolvitur.

Fidelium pietas nitet, & mira celeritate operi inſiſtitur.

TITULUS IX.

SUmmi Paſtoris liberalitas in ea malorum temporum anguſtia, cum ſcilicet ſceleſtiſſimus Fridericus ſecundus Sedi Apoſtolicæ tyrannicè adverſabatur, & Eccleſiæ redditus, undiquè uſurpans, diripiebat, exemplo erat magnis Univerſi Principibus, Prælatis, ac fidelibus populis Chriſtianæ pietatis exercendæ. Hinc è cunctis Catholicarum Provinciarum copioſiſſimæ confluebant oblationes, præcipuè ex Alemannis, in quibus innumerabilia penè miracula, viri ſancti nomine, ac meritis operabatur Omnipotens. Aſſiſienſis quoquè Civitatis erga Franciſcum enituit ſupra omnes Religio, nàm Collem totum S. R. Sedi dono ob id reſignaverat: Marmorum fodinas, e quibus tota ferè materia deſumebatur, gratis obtulit: divites opes, reliqui opus impendebant: unuſquiſque pro ſuo conatu res conferebat, & vires.

Indè animum ſumens, fiduciaque plenus Helias, innumeros adhibuit operarios, ut opus quamcitiùs compleretur. Exercitum Artificum vidiſſes in varias diſpoſitum acies, Montium rupes excindere, Boves curribus præciſas petras advehere, quadrare ſcalpris marmora, commenſurare, expolire, diſtinguere, aptare, connectere; mira ſolertia, & inexplicabili ſollicitudine quemquam ſuas partes implere. Quo factum eſt, ut duorum annorum ſpatio tota infima Eccleſia, & mediæ amplior ſtructura, cum fornicibus, arcubus, & altaribus completa, & divinis celebrandis capax, aptaque reddita fuerit. Eccleſia itidem ſuprema admodum elata, quamvis non adhuc teſtudinibus tecta apparuerit. Conventus verò magna pars jam conſtructa: Voragines ingentium arcuum vi ad planitiem elevatæ: Dormitorium inferius, ac Refectorium majus cum intermedio expleta: binæ plateæ utramque ante Eccleſiam complanatæ; inferior altis arcubus, ſuperior muro eminenti ſuſtentabatur: exactiorem verò tàm Eccleſiarum, quàm Conventus narrationem ulteriùs dabo, cùm jam omnia completa deſcribam. Id nunc ad proſequutionem hiſtoriæ ſatis eſt, quod ſub initio Menſis Maii 1230. ad eum ſtatum opus redactum fuit, ut pro Feſto proximo Pentecoſtes in nova Baſilica, & Conventu celebrari facilè potuerit Generale Capitulum, & Sancti Corporis ad eam fieri translatio.

Indi-

Digitized by Google

Indicuntur Ordinis Comitia, & Sancti Corporis translatio.

TITULUS X.

INdixerat opportunè Generalis Miniſter Helias omnibus, ſingulisque Provinciarum Miniſtris univerſalem Synodum, Aſſiſii habendam, cum delatione ſacri Parentis corporis ad novam Eccleſiam. Sub initio Menſis Aprilis ipſe Romam acceſſit, Summo Pontifici, quæ euſque facta erant, retulit, eumque ſupplex rogavit, ut qui devotum affectum erga Seraphicum virum oſtenderat in celebranda ejus Canonizatione, dignaretur inſuper, vel ipſe perſonaliter translationi intereſſe, vel Sacris Eccleſiæ Purpuratis, ac Prælatis authoritatem, & præſidentiam delegare; convenientibus quoquè undique Fratribus, ac fidelibus Indulgentiarum beneficia elargiri. Convocato Cardinalium Senatu, Pontifex cum eis egit de privilegiis novo Collis Paradiſi Templo concedendis: communi omnium calculo, Caput, & Mater totius Ordinis Minorum conſtituta eſt, à Fratribus ejuſdem Ordinis perpetuò colenda; & nulli, niſi Romano Pontifici ſubjecta: quare & literæ Apoſtolicæ Commiſſoriales tunc datæ ſunt, de quibus ſuperiùs. Promiſit quoque Papa, ni graviora obſtarent negotia, perſonaliter ſe interfuturum. Quare Aſſiſium rediens Helias, omnibus parandis, quæ ad Capitulum, & Solemnitatem pertinebant, animum applicuit. Sed et Civitatis Proceres de adventu Summi Pontificis admoniti, ad illum dignè excipiendum ſeſe parabant.

Convenerunt idcircò ad generalem congreſſum ſuper duo millia Fratrum, & populorum uniuſcunque conditionis tàm innumera multitudo, ut (referente Mariano) nobilioribus, ac ditioribus advenis jam repleta Civitate, cœteri in ſuburbanis ruribus, in agris, ſub tentoriis, & turmatim in campis, illis diebus victitare cogerentur.

Expectabatur Summus Chriſti gregis Paſtor Gregorius, ſed impii Friderici facinora, & urgentiſſima Eccleſiæ negotia, illum Roma diſcedere nullatenus permiſere. Cum ſuperveniunt Apoſtolici Nuntii, qui Summi Pontificis nomine Heliam Generalem Miniſtrum, necnon tres alios primarios Minoritas Apoſtolicos Vicarios, & Commiſſarios declararunt, ut translationis ſolemniis, commiſſa eis ſuprema authoritate, præſiderent, ipſique Nuntii aſſiſterent: per quos etiam Gregorius pretioſa munera ad Eccleſiæ, & Altarium ornatum dono miſit: inter quæ præcipua fuerunt, aurea Crux, pretioſis gemmis ornata, in qua particula ſalutiferi Redemptoris ligni ſervatur. Vaſa itidem argentea, & omnis generis miniſterialia inaurata, quæ Sacrificiis deſervirent. Majoris quoque Altaris Antipendium, auro, lapidibuſque pretioſis redimitum. Pulchra valdè cujuſque Sacri Ordinis indumenta; inſuper & non modica pecuniæ ſumma prò fabricæ continuatione. Apoſtolicum quoque detulerunt Diploma, Miniſtro Generali, & Capitulo directum, Incipiens, *Mirificans Miſericordias, &c.* Quo Virum Sanctum adeò ex affectu Papa commendat, ut eum Patrem ſuum dicat, & veriùs ſuum, quàm Minorum Fratrum; quibus etiam teſtatur, quòd nuper in Teutonia mortuum ad vitam revocavit, & ad ejus ſectanda veſtigia omnes peramanter hortatur. Ulteriùs & Indulgentias conceſſit cunctis Chriſti fidelibus novam Eccleſiam viſitantibus in ipſo translationis die, &

quotidiè uſque ad Feſtum B. Mariæ Virginis, transfretantibus mare tres annos, tranſeuntibus Alpes duos, reliquis unum; ſimiliter Anniverſario translationis, & per Octavam ejus in perpetuum unum annum; quas Indulgentias viſitantibus Apoſtolorum limina concedere conſueviſſe ea tempeſtate Sedem Apoſtolicam idem Pontifex teſtatus eſt ſuis literis, *Speravimus hactenus*.

Ad Collis Paradiſi Templum S. Corpus transfertur.

TITULUS XI.

DIe 25. Maii 1230. in qua Sanctum Pentecoſtes incidit Feſtum, à Seraphici Patriarchæ tranſitu anno tertio, menſe ſeptimo, dieque vigeſima expletis, & ab ejuſdem Canonizatione anno uno, Menſibus decem, diebus octo decurſis, ſacrum illius corpus, quod licèt exanime, vividas tamen Salvatoris, & cruore madidas cicatrices referebat, in Sancti Georgii Templo, ad novum, in Colle Paradiſi, eius nomini erectum translatum eſt.

Ordinata eſt ſolemnis proceſsio, ac generalis, ab ipſa D. Georgii Eccleſia inchoanda, in qua omnes acceſſuri convenerunt prædicta hora. Præcedebant ſingulæ ſub propriis vexillis Urbis Confraternitates, ſequebantur Fratres, Clerus, Capitulum; omnes albos cereos manu geſtantes, & ſacros hymnos dulciter concinentes. Inde Helias, adſtantibus cœteris Vicariis, & Nuntiis Apoſtolicis, capſam, in qua theſaurus condebatur, aperuit; omnes adſtantes corpus integrum, incorruptum, ſuaviſsimo redolens odore, rubentibus, & ſanguifluis vulneribus ſauciatum inſpexerunt, oſculatique ſunt. Iterumque occluſam capſam præfati Vicarii, & Nuntii propriis ſublatam humeris, uſque ad Templi januam detulerunt, & undique perſonante tubarum clangore, claſsicorum boatu, & muſicali melodia, eminenti plauſtro inaurato, & mirabili varietate ornato, impoſuerunt; ac ſuper eam ſericum flavi coloris opertorium, gryphibus aureis intextum, extenderunt. Machinam trahebant albi Boves, purpureis lodicibus, aureis rotis, variiſque avibus ornatis, contecti. Hinc inde Vicarii, & Nuntii Apoſtolici incedebant. Sequebantur Magiſtratus, & exteri Magnates quamplures; Cives verò armis præcincti, adhibita valida militum copia, inundantem turbam propellabant, ſummoperè caventes, ne quis pretioſiſsimo pignori appropinquaret. Pallia illa, ſeu velamenta flava, & purpurea, quibus currus, & boves cooperti inceſſerunt, miſerat præcedenti anno (ut ex vetuſto m. ſ. monitum habeo) Imperator Græcorum. Flavum adhuc integrum aſſervatur, deciſa tantùm aliqua auri parte: ex rubeis duo confecta ſunt pluvialia, quæ antiquiora inter paramenta reponi Fratribus viſum eſt.

Unus, idemque Fratribus omnibus erat animus, dilectiſſimi Patris cernere corpus, vulnera exoſculari: ſinguli præterea ex populo, qui ad id convenerant, pari deſiderio æſtuabant. Hinc in Baſilicæ medio eminens, ſolida ex ligno moles parata erat, unde ſacrum depoſitum circumſpici quidem poſset, non autem tangi. Jam Fratres certatim capſam elevabant è curru, corpus inde extractum ſuper ipſam collocaturi; cum Aſſiſiates ſuſpicati innumerabilem inter turbam, Fratreſque ipſos, qui ex omnibus convenerant nationibus, poſse latere inſidias, ne arte, aut dolo ſurriperetur, vel minueretur theſaurus, Rectorum Civitatis juſſu armata manu irrumpentes, ablatam à deferentibus capſam ad Sacriſtiam detulere, nec ullatenus aperiri, minuſve corpus extrahi permiſerunt,

runt, palamque exponi; quantumvis rogarent Fratres, clamarent ſupplices turbæ; hortaretur Generalis, obteſtarentur Nuntii, id non abſque indignatione à Summo Pontifice ſentiendum. Conſtantes in ſententia diù perſtiterunt Cives, nec flecti unquam potuere; ſed jam inito cum Nuntiis, & Vicariis pacto, ne ullo modo ſacrum corpus exponeretur, clauſis undique Sacrarii foribus, addita inſuper Militum cuſtodia, capſam cum corpore reddiderunt, quam Generalis Helias, aliique prædicti ſecretò ad infimam, & ſubterraneam Eccleſiam deportantes, in antrum in petra exciſum, quod directè Aræ majori ſecundæ Eccleſiæ ſubeſt, ubi patibulum erectum fuerat, ſub duplici capſa, externa marmorea, interna plumbea, ipſam ligneam cypreſſinam concludentes, jam ſecuri abierunt: ad hæc curavit Helias ſolidis muris locum obſtrui, aditumque mutari, ne cui deſcenſus ille innoteſceret. Nec tamen ab initio fuit locus ignotus omnibus, ut quidam perperam autumant. Multorum manus tanto operi fuerant neceſſariç. Sciebant operis Prçfecti, Artifices, ex Aſſiſiatibus plures, & quotquot (uti ſolet in novis mirabilibus çdificiis) ſœpiùs ad conſpiciendam operam acceſſerant; licèt paucis Sanctuarium illud aperiretur, cujus claves erant apud Heliam.

Pontificis indignatio in Aſſiſiates, qui humiliati in gratiam redeunt.

TITULUS XII.

ÆGro tulerunt animo Vicarii, Nuntiique Apoſtolici, quòd Aſſiſienſes eis reſtitiſſent, cum Solemnitatem turbaverint, ac ipſorum ſuaſionibus, monitis, mandatis non acquieverint. Idcircò Chriſti Vicario omnia, prout acciderant, retulere, graviùs fortaſſe, quàm par erat, rem figurantes, ut læſi, & irati ſolent. Vehementer commotus Pontifex Apoſtolicas literas expediri præcepit Epiſcopis Peruſino, & Spoletano, quibus offenſam Chriſto, Vice-Chriſto Franciſco, ſibique Chriſti vices gerenti illatam exagerabat, eiſque in mandatis dabat, ut Poteſtati, & Conſilio Aſſiſienſi præciperent, quatenùs infrà terminum quindecim tantùm dierum, Viros idoneos Univerſitatis nomine ad ipſiuſmet Papæ pedes mitterent, paratos ſatisfactionem plenariam exhibere, ejuſque ſtare mandatis: quòd ſi præcepta hujuſmodi neglexiſſent, in Poteſtatem, & Conſilium Excommunicationis, & in Terram Interdicti ſententiam, appellatione poſtpoſita, promulgarent. Literæ tanti Pontificis zelum erga divina oſtendunt, & quàm graviter Deum Laici offendant, qui ultrò ſe divinis myſteriis, ſacriſque functionibus ingerunt, eruditè declarant. Habentur inter alias ſuo loco, incipientes, *Speravimus haſtenus, &c. Dat. Romæ Later. 16. Kalend. Julii ejuſdem Anni* 1230.

Antiſtites ergo, receptis literis, Aſſiſium die inter eos condicto venere, advocatiſque Poteſtate, & Conſilio, Epiſtolas, & juſſiones Pontificias inſinuarunt, eos inſuper admonentes, ut Summi Patris clementiæ ſe committerent; neve contumacia facinus aggravantes, cenſuris Eccleſiaſticis ſe ſubjicerent. Acquieverunt omnes, id proteſtati, nil pravæ intentionis ductu ab eis contra S. Sedem, vel illi debitam reverentiam perpetratum; ſed zelo, vehementique ſuſpicione motos, theſauri cuſtodiæ dumtaxat intentos, inconſideratè ſeſe ſacris immiſcuiſſe: irreverentiam, & injuriam, quam ſacro corpori, ſanctæque

Sedi

Sedi inferebant, non advertentes; Paratos ob id in omnibus eſſe, de ejuſmodi tranſgreſſione humiliter à beneficentiſſimo Pontifice veniam implorare, ſatisfactionem ei exhibere, pœnitentiam libentiſſimè ſuſcepturos. Eodem die quatuor ex gravioribus, & inſignioribus Cives ſunt deputati, qui Romam adirent, pedibus Chriſti Vicarii ſe ſiſterent, Communitatiſque nomine ſummum ei obſequium, promptam obedientiam, plenam ſatisfactionem præſtarent. Datis itaque, receptiſque juridicis cautionibus, Epiſcopi diſceſſere. His peractis Aſſiſienſes comminatas pœnas faciliter evaſerunt, quas inordinatus illis promeruerat furor. Romam continuò petiere, & debita humilitas eos in Pontificis gratiam reſtituit, quos elatio privaverat.

Fratrum indignatio in Heliam, qui à Miniſterio exauctoratur, & fabricæ perficiendæ curam deponit.

TITULUS XIII.

ANteacti tumultus cauſam Fratres, non in Civium turbas, ſed in Heliam referebant, & pio deſiderio fraudati, ira in illum fervebant. Hinc ex ſcriptoribus quidam ſunt ſuſpicati, non alium, quàm Heliam tantę confuſionis auctorem, cui ſanè plurima ultra veritatem imponnut; quod ſæpeſæpius accidit his, qui præſunt, præcipuè cum plures contra unum clamare contigerit, quidquid mali evenit, in eos refunditur: omnia, quæ agunt, exceptionibus, ac detractionibus patent. At verò non ſatis mihi probatur, virum alioquin elati animi, nedum Generalatus honore, ſed & Apoſtolico charactere inſignitum, ſtudio ſibi irreverentiam, & conſultò publicam reſiſtentiam à ſæcularibus procuraſſe. Imò ſi clam cum eis conveniſſet, ut turbaretur tranſlatio, ſicut quidam putarunt, nec tutè potuiſſet coràm Pontifice, ut fecit, eos graviter accuſare; At fuerit ille in culpa, vel non: ſubditi in ipſum ſunt concitati, qui in tàm magnum cecidit odium, ut cauſam mutantes, exprobrarent ei privilegiorum quorumdam admiſſionem, quæ à Sancta Sede obtinuerat, ad moderandum regularis paupertatis rigorem. Undè ſuperbiam viri adeò excitarunt, ut crudeliter in eos animadverterit. Quapropter Capitulum Aſſiſio ad Civitatem Anagniæ a Summo Pontifice coram ſe advocatum fuit, & cum in ejus præſentia diſceptarent S. Antonius Patavinus, & F. Helias, iſte ira fervens, in injurias, & mala verba prorupit; planè ut Papa ob læſam Majeſtatem Heliam ab officio Generalatus abſolverit, in cujus locum F. Jo: de Parentibus Florentinus, vir omnium virtutum numeris abſolutus, univerſorum ſuffragiis ab ipſo Pontifice exceptis, electus fuit. Helias tædio affectus, cum Miniſteriatus honore omnem publicam depoſuit curam, inque alium mutatus, humilitati, vitæque ſolitariæ, & contemplativæ ſe dedit.

Novus interim Generalis majorem circa ædificii Aſſiſienſis expenſas cautelam adhibens, Pontificis nomine, & facultate Procuratorem inſtituit ad recipiendas, expendendaſque pecunias, Piccardum Moriconem S. P. Franciſci ex Patre (Angelo nuncupato) nepotem (ſic mihi vetuſtum m. ſ. teſtatur) obligatione addita participandi cum F. Philippo Campello, & rationem reddendi

dendi

dendi D. Cardinali Ordinis Protectori. in eo enim culpatus fuerat Helias, quòd diſponendæ pecuniæ manus ipſe admoviſſet.

Integrum S. P. Corpus ad novam defertur Baſilicam, nulla ejus pars alibi relicta.

TITULUS XIV.

Seraphicus Inſtitutor, cum ageret inter vivos, devotiſſimi amoris æſtu, quo B. Dei Genitricem proſequebatur, ſæpæſæpius dixerat, ſuum affectum, ſuumque cor illius nomini dicatæ Eccleſiæ Portiunculæ dono dediſſe. Bartholomæus Piſanus in ſua Conformitate ea verba literaliter explicans, omnium primus ſcriptis tradidit S. Patris corpus poſt animæ ſeparationem exenteratum fuiſſe, ejuſque cor unà cum inteſtinis avulſum in eo gurguſtio, in quo obiit, prope eamdem Eccleſiam aſſervatum. Quo auctore, alii poſt ipſum ſcriptores parem ſententiam tenuere, iique præcipuè, qui de Obſervantia nuncupantur, conſtanter tenent, ac docent; appoſita in eo loco tabella, cum Inſcriptione: *Hic ſervantur Cor, & Interiora S. P. Franciſci.*

Verùm ſi cor inibi remanſiſſet, ut poſt centum, & ſeptuaginta annos divinans hic ſcriptitavit Bartholomæus, aliquis certè ex vetuſtioribus, qui mortem, depoſitionem, tranſlationem viderunt, vel ab eis qui viderant, audierant, rem adeò principalem, ſcituque dignam teſtatam poſteris reliquiſſent. Tres S. P. Socii, Leo, Angelus, & Rufinus, qui de viſu omnia ferè ſcriptis dederunt, ac morientem obſervarunt; Thomas de Celano, Jo: de Caperano, S. Bonaventura, Bernardus à Beſſa, cæterique alii primi ſæculi ſcriptores vitam, mortem, & ſepulturam almi Parentis adamuſſim ſcripſerunt; nec unus quidem ex eis de hac exenteratione, cordis avulſione, ac depoſitione mentionem, aut verbum fecit, cum alioquin res tanti ponderis fuerit, ut ſine gravis ignaviæ nota omitti minimè debuiſſet. Rogo, quæ manus tàm audax corpus illud divinis jaculis vulneratum, ferro aperivit, Chriſti plagis ſauciatum adhuc plagavit, & quinque Redemptionis ſtygmatibus ſextum temerè vulnus addidit? Neque dicant S. Patris præcepto id factum: legimus porrò humilem Franciſcum juſſiſſe corpus ſuum ſub patibulo humari, non autem cor, Principum more, à corpore ſeparatum ſervari. Sed nec cor carneum intelligebat Franciſcus, cum dixit, cor ſuum ibi eſſe, ſed ſpiritum, & affectum, quippè qui non pluris, quàm aſellum totum ſuum materiale compoſitum faciebat, & nominabat.

F. Marcus Ulyſſipon. Chronicorum Ordinis exarator, Obſervantinus, ſub anno 1556. ideſt trecenteſimo trigeſimo poſt mortem S. Inſtitutoris, attendens forſan Piſani ſimplicitatem, & aſſerti illius inveriſimilitudinem, in prima parte cap. 73. lib. 2. ſcripſit, quòd S. Patriarchæ Corpus utique Aſſiſii humatum fuit, ſed exinde cor ejus miraculosè ab Angelis ad Portiunculæ Sacellum delatum extitit. Veritas, & unitas ſimul ſemper cohærent. Varietas mendacia detegit. Si pectus fuerat exenteratum, & inteſtina à pectore, & ventre avulſa, ibique relicta, quæſo, quomodo poſtea ab Angelis aliundè delata? Si delata, jam ibi non erant; ſi inibi ab initio ſervata, quomodo eò poſtmodum tranſlata? Hanc tranſlationem quis ante Marcum unquam eſt ſomniatus? Vel cui, quando, quomodo eſt revelata? Hæc

cir-

Google

circumſtantiæ neceſſariò fuerant exprimendæ, ad ſuadendum inauditum antea miraculum. Sunto igitur devotorum ſcriptorum piæ meditationes, non veræ hiſtoriæ narrationes.

P. Lucas Vvadd. tom. 1. ad ann. 1226. n. 40. rem ſub dubio aſtruit, & audiſſe ſubdit ab Aſſiſiatibus ex ſeniorum relatione corpus integrum Aſſiſii ſervari, occaſionem verò aliquos deſumpſiſſe, ex eo quòd S. P. dicere conſueverat, cor ſuum illi Eccleſiolæ donaſſe.

At quis ſuadere ſibi poſſet, Aſſiſii Cives permiſiſſe theſaurum illum procul à Civitate, in gurguſtio rurali, prope publicam viam, eo tempore, quo nedum Umbriæ, ſed Italiæ totius Civitates tumultibns Guelforum, & Gibillinorum fervebant, ac inter ſe pugnabant, relinqui? illud certè objicere quilibet potuiſſet; *deprædari deſiderat qui theſaurum publicè portat in via.*

Hìc animadvertendum cenſeo, quod à quibuſdam veritatis amatoribus, fideque dignis accepi. Monitus nuper fui à Religioſis aliquibus, præcipuè eleemoſinarum quæſtoribus, clam apud ſimplices diuulgari atteſtatiunculas nonnullas nomine ſuorum Patrum exaratas. Referunt ergo, ſe noctu quadam in ampliori Portiunculæ Templo contemplationi vacantes, obſervaſſe ex Sacello Sancti Patris Franciſci non modicum prodire ſplendorem; unde altare, ex quo exibat, ſcrutantes, viderunt apertam capſulam ſuaviſſimo refertam odore, ac in ea quaſi vivum, & palpitans cor inter alia viſcera S. P. & hoc adoraſſe. Divulgatores autem interrogati, variè reſpondentes, inter ſe non cohærent. Narrant ſub ſecreti ſigillo, ut poſt aliquod temporis ſpatium in lucem prodeat, & pro veritate cælitus probata habeatur. Mendaciorum ſemina multoties in terra ſimplicium cordium jacta, ibi inviſa nutriuntur, & in tempore germinant. Aliquando etiam falſa miracula divulgantur. Idiotæ credunt, & ampliant. Sed ab Eccleſia rite examinata, adinventa fabulantium deteguntur. Præmonitos eſſe oportet, & experientiam eſſe rerum magiſtram.

Sed jam, quæsò, in lucem erumpat veritas; expoſtulat ampliſſimi hujuſcè novi Templi elegans, nobiliſque ſtructura, ut Sacellum illud tollatur. Inquirant, ſi adſunt, inveniant inteſtina, & in ipſa Sanctiſſimæ Virginis ædicula honorificentiùs recondantur. Neque enim in proprio gurguſtio ab ea disjuncto, ſed in ipſa Deiparæ domo dixerat Seraphicus vir ſemper eſſe cor ſuum.

Interim homines ſenſati tenuerunt, ac tenent verba S. Franciſci non literaliter, Hæbreorum more, ſed moraliter, ac ſpiritualiter eſſe intelligenda; non de carneo corde, aut de materialibus Jecore, Epate, Inteſtinis, verùm de animæ affectu, mentis amore, ſpiritvs devotione, quæglorioſiſſimæ Virgini altiùs, nobiliùſque devoverat.

Corpus

Corpus mirabiliter ſurgit, ſtanſque ſervatur.

TITULUS XV.

POſtquam ſanctum Pignus, ut diximus, tranſlatum, ac locatum eſt, quotquot ad illud aſpiciendum, devotionis, aut voti cauſa, acceſſerunt Pontifices, Cardinales, Antiſtites, Principes, Fratres, de quibus ſuo loco agemus, omnes teſtati ſunt, jam non capſa occluſum, aut jacens extenſum quieſcere, ſed ſuper marmoream laminam, veluti ſuper quoddam modicum altare, in ſuos erectum pedes, nulli ſuſtentaculo incumbens, aut fulcimento innixum, undequaque à parietibus diſtans, tamquam vivum mirabiliter ſtare. Oculos vividos ſurſum erectos, manus ad pectus compoſitas tunicæ manicis coopertas tenens; pedem dexterum nudum ſtygmatizatum, recentique perfuſum ſanguine oſtendens; ſiniſtrum verò indumenti ora obvelatum habens; cum tamen ibi jam triplici capſa occluſum primitus fuerit: lamina illa exterioris capſæ operculum erat, quod ab ea uſque ad medium amota, nunc ſtans corpus ſuſtentat.

Ferunt circa admirabilem hanc corporis ſtationem, quòd poſt tranſlationem ter ſancti funeris, quidam Franciſci ſocii alternatim nocturnas excubias in Eccleſia intermedia majorem ante Aram faciebant, ſub qua ſacræ exuviæ ſunt reconditæ, vigilantes, orantes; ſicuti cum depoſitæ fuerunt in S. Georgii, apud Ædes ejuſdem Eccleſiæ conſueverant.

Dum ergo nocte poſt illius Depoſitionem tertia unus ex Dei ſervis prædictis ardentiùs in oratione ferveret, magnum extemplo terræmotum percepit, quo tota videbatur machina everti; præcipuè Altare majus elevatum conſpexit, ab eoque veluti lucem emitti: pavimenti quoque lapides ſejungi ab invicem, & exinde varii luminis radii exoriri; ulteriùs ſuaviſſimi odoris fragrantiam undequaque prorumpere, quæ totum Templum repleverat, ejuſque vehementiam ferre vix quiſquam poterat. Primò exterritus, deinde admirans eventum juſtus ille ad excitandos Conſodales ſe contulit, rem per partes narravit: quin & ipſi terræmotum ſenſiiſſe affirmarunt. Jam ad Eccleſiam conveniunt, ęxiſtimantes ędificio aliquod detrimentum acceſſiſſe. Ad Infimam deſcendunt: marmoream laminam, qua capſa claudebatur, aliquantisper amotam cernunt, ſuperque eam Sancti Corpus erectum vident, e cujus vultu miri procedebant fulgores, qui loci, noctiſque tenebras propellebant. Vident in corpore ad cœlum erectos oculos, tamquam hominis vivi, manus ad ſinum ſuperpoſitas. Procumbentes in genua tunc Fratres, admiratione, gaudio repleti, dulces effundunt lachrymas, contemplantur in ſimulachro illo nedum Dominicæ Paſſionis veſtigia, ſed & Crucifixi Jeſu Reſurrectionis præclara inſignia. Obſervant opertorium marmoreum non adeo amotum, ut potuerit corpus ex illius remotione prodire; imò per modicum illud ſpatium introſpicientes, interiorem capſam omnino clauſam mirantur.

Jam noctis tenebræ rareſcebant; cum ergo Socii propinquum diem recolerent, ſæpiùs pedem, pectus, manum, tunicam S. P. exoſculati, abierunt. Hinc factum eſt, ut poſtmodum quicunque ſacrum pignus admirabile conſpexerunt, retulerint illud ſtare, eo planè ſitu, eo modo, quo dictum eſt. Ex hoc etiam Summi Pontifices Gregorius Nonus, Innocentius Quartus, & alii Corpus S. P. Franciſci in eorum Diplomatibus glorioſum, glorioſſimum appellarunt; gaudet quippe glorioſi corporis dotibus; à clauſo ſurgit ſepulchro, per ſe ſtat, pondere non cadit, corruptioni non ſubeſt, lucem diffundit.

Gregorius IX. obſervat S. P. Franciſci Corpus mirabiliter ſtans.

TITULUS XVI.

Tot mirabilia, quæ in Sacroſancto Franciſci Corpore operatus fuerat Omnipotens, ad aures Summi Pontificis Gregorii pervenere. Hinc Chriſti Vicarius pio deſiderio augebatur, iterum ſacrum Pignus videndi ea in Eccleſia, eo loco, quò, ipſo jubente, locatum fuit; cum autem tunc temporis infidelium Chriſtianorum, hominumque impiorum violentiæ, ac facinora Romanam Curiam perturbarent, non niſi poſt annos quatuor ejuſmodi votum licuit adimplere. Anno igitur 1234. Roma ad Reatinam Civitatem ſe contulit, exinde Spoletum venit, tandem Aſſiſium pervenit, ſub initio menſis Octobris, illique feſtivitati adfuit, quam per totum Ortodoxum orbem celebrari præceperat Apoſtolicis literis, incipientibus, *Sicut phiala, &c.*

Nec mora: ad ſubterraneum delubrum deſcendit, præcedentibus, faceſque geſtantibus Fratribus, quibuſdam comitantibus Cardinalibus, ſignanter de Fliſco, ac de Comitibus, qui Gregorio in Pontificatu poſtea ſucceſſerunt. Ut autem Pontifex admirabile Corpus in proprios erectum pedes aſpexit, adhuc madidis ſauciatum vulneribus, genuflexus alta ſuſpiria edidit, dulceſque fletus maxima devotionis teneritudine emiſit. Dein peracta ferventi ſupplicatione, pedem eſt oſculatus; ſurgenſque manui, (elata tunicæ manica) pectori, faciei amantiſſima infixit oſcula, Amicum, Patrem, Patronum, Advocatum compellans, ejus interceſſioni ſe, S. Sedis, & Eccleſiæ Romanæ negotia committens. Poſthæc his, qui ſecum venerant ſacrum Depoſitum inſpecturi, pedem exoſculari permiſit; & priùſquam Aſſiſio diſcederet, ſub Epitaphio, quod ſex ante annos ipſe poſuerat, aliud breve marmor adjungens, aureis exarata characteribus, hæc addidit verba:

Ante obitum mortuus, poſt obitum vivus.

Qui enim mortalem vitam ita tranſegerat, ut mortuus magis, quàm vivus hìc apparuerit, tum propter carnis mortificationem, cum propter ſpiritus humilitatem; poſt inter beatos vivens, vivum quoque corpus videbatur habere, recentem carnem, fluido perfuſam ſanguine, ſtans in proprios pedes, cœlum ſuſpiciens.

Ex Seniorum traditione compertum eſt, hoc anno S. P. feſtivitatem nocturnis Officiis, ſolemnique mediæ noctis Sacrificio, quod Gregorius perſolvit, inſtitutam fuiſſe; exinde quotannis, undique confluentibus populis, Purpuratis, Prælatis, Principibus, celebratam; ſæpius quippe Miſſarum ſolemnia peragit aliquis ex S. R. E. Cardinalibus; ita noſtris temporibus devotiſſimos DD. Angelum Rapacciolum, & Cęſarem Facchenettum non ſemel Pontificaliter celebrantes inſpeximus, aſſiſtentibus, Canonicorum vice, dignioribus Sacri Conventus, & Provinciæ Patribus; Muſicis enim modulis nocturna ibidem cantari ab immemorabili conſuevere, completoque Hymno, *Te Deum*, ſtatim apparatu ſolemni Miſſa juxta Romanum ritum perſolvitur. Poſt celebrantis Communionem omnes Franciſcani non Sacerdotes, Fratres, Sorores Tertii Ordinis, quot-

quotquot ſimul voluerint ex populo, ſacroſancta ſe Synaxi reficiunt, ipſius Sacerdotis Miniſterio; quam functionem, integra hora abſolvendam, eoſdem DD. Cardinales piè, ac patienter peregiſſe admirati ſumus.

Vuadd. t. 1. ad ann. 1235. n. 17. ſcribit, ſequenti Anno Pontificem Peruſia Aſſiſium conveniſſe; quò expletas, tectaſque videns Eccleſias Dominica in Albis ritibus ſolemnibus conſecravit. Qua in re certo certiùs decipitur, cum feſtiva hæc Dedicatio ab Innocentio Quarto Anno 1253. quinta poſt Paſcha Dominica facta fuerit; ſic originales literæ in Archivio Aſſiſienſi ſervatæ teſtatum faciunt. *Innocentius IV. &c. Si populus Iſraeliticus, &c. Dat. Aſſiſii 3. Idus Junii Pontificatus Anno X.* & aliæ incipientes, *Conſecrationes Altarium, &c. Dat. Anagniæ 3. Idus Auguſti Pontificatus ann.* 12. erroris cauſam hanc puto. Hoc enim anno Gregorius Nonus Cathedralem Eccleſiam S. Rufino martyri, primo Civitatis Patrono, ſacram, ſolemniter dedicavit, Aſſiſtentibus ei S. R. E. Cardinalibus, Prælatiſque complurimis; cujus Dedicationis Anniverſarium quarta poſt Paſcha Dominica celebratur; propterea Eccleſia hæc primarias inter Baſilicas computatur.

Helias iterum in Generalem eligitur, curam Fabricæ reſumit, eique inſiſtit.

TITULUS XVII.

Noſtri Scriptores Heliæ ſemper infeſti, ut triennium Generalatus illi ſurripiant, dicunt F. Jo: Parentem poſt triennium in Numantino Capitulo in Hiſpania celebrato confirmatum fuiſſe, & uſque ad aliud triennium in ſupremo Miniſterio perduraſſe, uſque ad annum videlicet 1236. At ego infallibili ſecuritate aliter ſentio; ſervatur in Aſſiſienſi Archivio Gregorii Noni Diploma, F. Heliæ Miniſtro Generali nominatim directum, incip. *Per mare magnum, &c. Dat. Later. 2. Nonas Julii, Pont. Anno* 4. qui fuit 1233. quo Pontifex Eccleſiam Dei procellis exagitatam illius, ſuorumque ſubditorum orationibus commendabat. Hoc ante oculos habeo cum appenſo plumbo, & videre quivis poterit inter alia hic relatum, & ſingulari diligentia cuſtoditum. Idem Breve à quodam Hiſtorico impreſſum vidi, qui tamen callidè Heliæ nomen reticuit, ſcribens, F. N. Min. Gen. Planè magis credendum Summo Pontifici tunc Regnanti, quàm Hiſtoricis non ſine aſtu, atque livore ſcribentibus.

Helias ergo, ut narravimus, anno 1230. ab officio depoſitus, per triennium ſibi ſoli vivens, ut bonus ſubditus, quaſi in eremo delituit. Poſtmodum annò 1233. iterum in Generalem eligitur, cujus promotionem Papa quàm libentiſſimè confirmavit. Pœnituerat enim eum, quòd Heliam exauctoraſſet, cum experimento probaſſet, ſub optimo viro Jo: paupertatem utcunque refloruiſſe, at obedientiam, quæ totius Religioſi ædificii eſt fundamentum, ſubditorum vitio, corruiſſe. Cumque triennio illo in Fabricæ Aſſiſienſis conſtructione remiſſiùs actum eſſet, eam reaſſumpto Miniſtro Pontifex commendavit, cujus prudentiam, vigilantiam, & erga Patrem Seraphicum ſuper omnes alios ferventiſſimum amorem, & illius gloriæ promovendæ præ cæteris addictiſſimum expertus fuerat.

Digitized by Google

Præfecturam itaque Ordinis denuo adeptus Baſilicæ fundator inſignis, ad eam perficiendam omni ſtudio ſe dedit. Supremum Templum fornicibus contegi in primis curavit, & per Giuntam Piſanum rudis illius ſæculi Pictorem ſupra mediocrem interiùs exornari præcepit; ita apparet vetuſtiſſima ex Tabula, qua Crucifixi Salvatoris imago exprimitur, ſub cujus pedibus in latiori baſe F. Heliæ genuflexi, & orantis extat effigies, cum Epigraphe.

F. Helias fieri fecit.
Jeſu Chriſte piè
Miſerere precantis Heliæ.
Giunta Piſanus me pinxit.
Anno D. 1236. Indict. Nona.

Campanariam inſuper miræ altitudinis Turrim, utpotè tribus ſupereminentem Eccleſiis à fundamentis excitavit, & ad culmen evexit ex ſectis, quadratiſque lapidibus, tantæque latitudinis, ut ad eam non per ſcalæ gradus, ſed per ſtratam viam, ad quatuor angulos ductam aſcenſus facilis pateat. Quatuor Campanas fundi, in eaque locari fecit, quarum adhuc integræ duæ ſervantur. In minori per circuitum hęc verba leguntur.

Anno D. 1239. F. Helias fieri fecit.
Bartholomæus Piſanus me fecit cum Lotaringio
Filio ejus. Ora pro nobis B. Franciſce.
Ave Maria gratia plena. Alleluja.

In majori verò, quæ non modica argenti mixtura compacta eſt, quatuor lineis circumductis, eſt Epigraphe.

Anno D. 1239. Papæ Gregorii tempore Noni, Cæſaris, ac potentiſſimi Friderici. O Franciſce pie, Fratris ſtudio ſed Heliæ. Chriſtus regnat, Chriſtus vincit, Chriſtus imperat. Mentem Sanctam, Spontaneam, Honorem Deo, & Patriæ liberationem.

Cum ſit Campana, quæ dicitur Italiana, Bartholomæus Piſanus fecit, cum Lotaringio Filio ejus.

Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu
In Mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Aliæ duę tempore, uſuque confractæ, denuo fuſæ ſunt, quarum minor ad Horam Primæ, Major ad Completorium advocat. In Nola verba hæc inſpiciuntur.

Sabbatha pango, funera plango, fulgura frango.
Excito lentos, domo cruentos, diſſipo ventos.

Tres aliæ temporis curſu majores adjunctæ ſunt ad Patris gloriam ab ejus filiis inibi ſucceſſivè perpetuò Conventualibus.

Ad hæc Helias duodecim turres teretes ex rufo conſtructas lapide, totam ab imo ad ſummum complectentes Baſilicam, necnon altiſſimos muros ſaxeos, quibus illæ, ut ſuſtentaculis, innituntur, turres, inquam, ad menſuram diſpoſitas, & circumquaque ordinatas addidit, tantæ latitudinis, ut in ea ſint Coclides, per quas ad ſpatium, quod ſupremæ Eccleſiæ cornicibus ſupereſt, ad tectum uſque habeatur aſcenſus.

Hic obſervandum, quòd cum Eccleſia à ſui fundatione ſub immediata Apoſtolicæ Sedis juriſdictione fuerit conſtituta, in monumentum hujuſce præclaræ ſubjectionis in medio Chori altioris Templi, e regione maioris Altaris Pontificiam ſedem ex Pario marmore collocari mandavit ſedulus, ac prudens Miniſter. Ad eam per ſex gradus patet aſcenſus: ſub pedum ſcabello Leo, Draco, Aſpis, & Baſiliſcus affabrè ſunt inciſi, cum Inſcriptione Sedi tantùm Pontificiæ

tificiæ

tificiæ tribuenda, *ſuper Aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem*; Ad brachia ſuſtinenda hinc inde duo Leones cernuntur, porphyreticum opus egregia manu celatum; pectore caput vituli, vel tauri ſubactum premunt. Duas item Columnas ex integro, & unico rubro marmore ad ſuſtollendam Sedis Teſtudinem erectas videre eſt. In Leone taurum ſubjiciente Pontificiæ vis dignitatis exprimitur, quæ ſpiritualibus cenſurarum armis Tyrannos comprimit, ac rebelles.

Interim etiam major Conventus pars ædificata, & penè completa apparuit. Helias etenim timens iterum ab officio deponi ſibi adverſantium arte, ut ad complendum opus, ei tempus ſufficeret, omni celeritate illud promovit, confluentibus undique Principum, ac Fidelium oblationibus, præcipuè tunc regnantis Gregorii, cujus inſignis devotio Seraphicum erga virum enituit, quem Patrem ſuum appellabat; unde & Franciſci Filius dici voluit, nam moriturus, ſe cum Franciſcano habitu humari juſſit. Quin & ſceleſtiſſimus Fridericus erga Sanctum Patrem ſe pium oſtentavit, quippè qui plures Eccleſiaſticos redditus, ac proventus rapuerat, eos tamen, quos à Pontifice ad hujus Fabricæ ſumptus deſtinatos agnoverat, liberos deſerebat.

Helias iterum à Miniſterio deponitur. Deſcribitur exterior Collis Paradiſi proſpectus.

TITULUS XVIII.

Quàm devotum erga Seraphicum Patriarcham, & in ejus gloria promovenda ſolertem, tam pigrum in illius regula ad literam obſervanda ſe gerebat Helias. quo factum eſt, ut ſociorum Sancti Patris conſtantia, ſuperbam Generalis impatientiam ferre ampliùs non valuerit, unde illum denuò à Miniſterio deturbarunt; qui ne ad privatam rediret vitam, & ne Fratrum inſultationibus ſe exponeret, Diabolica ductus ſuggeſtione, impium adiit Fridericum, S. Sedi rebellem, ejuſque protectioni ſe dedit: ſed quinque annis apud Imperatorem moratus, nec habitum unquam dimiſit, nec contra Pontificem aliquid eſt molitus: ſperabat enim in ſequentibus Comitiis adhuc ad Miniſterium promoveri. Unde Anno 1244. jam defuncto Gregorio IX. & ſedente Innocentio IV. ad Capitulum Januæ celebratum, coram Pontifice Helias acceſſit; non enim adhuc Apoſtatæ, & excommunicati declarationem ſubjerat, jamque Fratribus quibuſdam foventibus, qui anteà illi adhærebant, tentavit iterum aſſumi; ſed cum fruſtra laboraſſet, denuò mali ſpiritus ductu, ad Fridericum ſe contulit: nunquam tamen à vera fide receſſit: ſed dumtaxat ab obedientia Summi Pontificis, quem dicebat ab hypocritis deceptum accepta Imperatoris familiaritate, ſeſe ſubtraxit, unde peſſimè egit. Tandem ſub morte Cortonæ pœnitens, ritè abſolutus, & Eccleſiæ Sacramentis munitus, deceſſit, & in ſui Ordinis Eccleſia, quam ipſe fundaverat, eſt humatus; cujus corpus integrum, cum habitu, & inſcriptione in lamina, poſt Altare majus repertum fuit: Ejus contritionis, & Pœnitentiæ proceſſus juridicè ſumptus, extat originaliter in Paradiſi Collis Archivio, ubi Summo eidem Pontifici eſt præſentatus; ibi enim tunc temporis morabatur. Vidit,

&

& gaviſus eſt; adimpletum obſervans in Helia S. P. oraculum, qui Apoſtaſiam, Excommunicationem, & etiam finalem pœnitentiam, animæque ſalutem illi prædixerat.

Heliæ à Miniſterio depoſito, Anno 1239. ſucceſſit Albertus de Piſis, vir diſciplinæ Regularis Zelator, ſed tanto pondere preſſus, tribus tantùm menſibus ſupervixit. Ei ſuffectus eſt F. Haymon Anglus, patria Cantianus, Sac. Theologiæ Magiſter, & Doctor Laureatus, qui jam ſub anno 1233. fuerat Summi Pontificis Apocriſarius, & Apoſtolicus ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam Orator. Hic ſummo, quo præpollebat, zelo Religioni moderandæ, & componendæ ſe dedit. Curam verò Aſſiſienſi ædificio coronidem imponendi, forſan ad declinandas paupertatis fautorum oppoſitiones, quas Heliæ objecerant, in Cuſtodem, Præfectum, ac Procuratorem translatam voluit. Quorum, & Succeſſorum ſolertia poſt non multos annos, omnia ad complementum deducta apparuerunt.

Quoniam verò nimis prolixum opus eſſet, ſingula, quæ geſta ſunt, per ſingulos annos referre, jam totius Fabricæ, ut nunc conſpicitur, deſcriptionem damus. Cum autem de piis viris, & benefactoribus agemus, quæ priori operi addita fuerint, recenſebimus.

Exterior hujus molis proſpectus ex qualibet orbis plaga, & ſublimem, & pulchram exhibet Majeſtatem, ex Orientali enim in imo Civitatis binæ ſe objiciunt plateæ: altior ante fores ſupremi Templi: inferior, veluti ſecundæ Eccleſiæ Theatrum. Hæc viginti excelſis arcubus, ab imo voraginis excitatis, complanata ſupereminet: illa ſolido, eminentique muro diſtincta ſuper extollitur, ad quam ex inferiori binis de marmore ſcalis, ſibi obviameuntibus eſt aſcenſus.

A meridie quinquaginta tres arcus conſpiciuntur, ampli, eminentes, ex lapidibus ruſis, ſectis, quadratis, commenſuratis conſtructi; petræ verò tam ſolido cæmento, duraque calce junguntur, ut clavus inter eas minimè figi poſſit. Horum arcuum viginti priores inferiorem plateam ſuſtinent. Sequentes treſdecim primæ Conventus parti, ternis nempè ſupereminentibus Dormitoriis ſuccumbunt, ſuper quos triplex eminentium propylęorum ordo fornicatus conſpicitur. Reliqui viginti arcus aliis totidem ſubſunt, qui deambulatorium propylęatum ad honeſtam Fratrum recreationem conficiunt, ex quo per integrum Spoletana vallis, ceu Theatrum ampliſſimum, & Italiæ deliciarum hortus, oliviferis conſepta Montibus, Civitatibus, Oppidis, Caſtris, Rivis, Fluminibus dives, ſeſe aſpectui offert. Sub lapideis hujuſce Deambulatorii fornicibus, in proſpectu totidem peramplæ inſpiciuntur feneſtræ, vitreis munitæ valuis, per quas in utrumque Refectionis locum, majorem videlicet æſtivum, & minorem hyemalem, in eorumque officinas lumen diffunditur: Superiùs itidem alter feneſtrarum prominet ordo.

Qui ab Occidente huc veniunt, jam non Conventum, ſed amplum potiùs excelſum, & admirandum Caſtrum, ſeu propugnaculum aſpiciunt, ex imo enim maximum fulcimentum, ſeu ſuſtentaculum ſurgit, quod muralis foſſæ interior, exteriorque lorica planè videtur, unde Italico idiomate, *Scarpa*, dicitur. Opus ſubruſis petris affabrè compactum, profundiſſimis fundamentis, hinc, & inde raſtratum, totam complectens, ſubſtollens machinam, propter collis uſque ad ſubjacentem torrentem ruinoſam declivitatem. Quini ſuper illud Fabricę ordines elevantur. In primo inferiori apparent horrei feneſtræ; in ſecundo, & tertio Camerarum principalis Dormitorii propylea, in quarto cellarum,

larum, quæ aulam majorem circumſtant, feneſtræ; in ſupremo eiuſdem ſupereminentis aulæ Gotici operis ad eam illuminandam feneſtrulæ.

E regione Aquilonari utriuſque Eccleſiæ patent latera. Murus ſuperioris ex albo lapide, ſex rubris teretibus turribus eſt diſtinctus; inferioris verò ex albis, rufis, quadratis petris, vario, miroque ordine diſpoſitis compactus apparet; uterque peramplis, altis feneſtris, Pario marmore ornatis, Gotica arte diſtinctis, oculatiſque inſignitur. Ædium Papalium proſpectus propè Eccleſiam eminet. Inde reliqua Conventus pars, arcubus, ingentibusque muris variæ diſpoſitis ſuperinnititur, quatuor oſtentans ordines feneſtrarum. Hos exteriores aſpectus duplici expreſſos ſchemate ad legentium commodum, & Hiſtoriæ utilitatem quiſquis poterit intueri.

Se-

Digitized by Google

Sequitur Eccleſiarum Deſcriptio.

TITULUS XIX.

De priori ſubterranea Eccleſia, quæ ſacris Franciſci exuviis honoratur, ſatis dictum eſt, cum ejus conſtructionem retulimus Tit. 7.

Secunda, ſeu media, in qua divina communiter peraguntur, miræ, inſolitæque ſtructuræ, nil de regulis Vetruvii participat; ſed omnino, ut ut eſt, à Jacobi Alemanni ingenio inventa, ſingulariter prodiit, omnibus eam ingredientibus, ſacro, ut ita dicam, horrore arcanam ingerit devotionem, inexplicabilem excitat pietatem. Figuram ſigni Tau, quæ talis eſt T, tres ſuper montes erecti, quos Chorus, duoque lateralia Sacella efformant, præſefert. Major janua, quam fornicata porticus claudit, duos offert ingreſſus, teretibus, ac ſubtilibus columnis diſtinctos; duodecim teretes columnæ, duæque octangulares extremæ, ex rubeo marmore, totam circumplectuntur, & ornant portam: illis Epiſtylia ejuſdem materiæ ſuperſtant, ſubtilibus exornata figuris, & perpolitè connexa. Inter utrumque ingreſſum triangulus ſuper inſpicitur, muſivo opere intextus, cum icone Seraphici Patriarchæ. Magnus item ex vitro oculus latè patens, lapideis cælaturis diſtinctus, & exornatus hic ſupereminet, cui hinc inde & duo ſubſtant ocelli, per quos in priori Templi parte lumen transfunditur. Valvæ nuceæ ſunt, egregiis ſculpturis venuſtæ; quarum majores quatuor SS. Franciſci, Claræ, Antonii Patavini, Ludovici Epiſcopi ſtatuas referunt; totidem ſub eis hiſtoriæ micant. Prima B. Franciſcum, qui lupum Eugubii, ſpectante populo, cicuravit, demonſtrat; Altera B. Claram manu Euchariſticum vas geſtantem, & milites propellentem, qui Moniſterium obſederant; Tertia S. Ludovicum habitu Franciſcano indutum, Epiſcopali pileo tectum, equitantem, & genuflexis hominibus circumſtantibus benedicentem. Quarta S. Antonium, cui vir, mulier, aliique puerulum faſciis obvolutum ægrotum, aut defunctum offerentes, veluti rogant, ut ei vitam, aut ſanitatem reſtituat, in ſuperiori ſitu, ubi valvæ uniuntur, ad acuminis dexteram, Chriſtus Dominus, ſpectantibus diſcipulis, in cœlum aſcendens, cernitur: ad ſiniſtram S. P. Franciſcus ſimiliter ad aſtra tendens, Fratrum ſuorum turba ſuſpiciente. Cœterum folia, flores, fructus, aliaque id generis parerga fores ipſas undique adornant.

In introitu ſtatim ſe objicit Templi pars, qua Thau conficitur, tribus tecta magnis fornicibus, e quorum medio navis major protenditur, quinque, iiſque ingentibus concamerata Tribunis, quarum quælibet tranſverſis arcubus quatuor conſtat triangulis: inde dilatatur navis, cujus brachia obrotunda teſtudine conteguntur, Chorus verò inter ea ſuam habet Tribunam ampliſſimi ſemifurni forma compactam. Parietes, & fornices ab imo ad ſummum variis ornantur picturis, quas propriis Titulis exactiùs demonſtrabo. Pavimentum diverſis coloratis, excultis, vermiculatis lapidibus mirè ſtratum apparet.

Jam in medio Altare majus inſpicitur, ferreis clathris, intortis anſulis circumquaque vallatum. Columnæ ex marmore duodecim ſuper baſes erectæ, inaurata, foliiſque circumdata Epiſtylia habentes, circumſtant, qui-

bus

bus clathrorum cardines hærent. Quatuor hinc proſpectus, quatuor januæ, quæ valuis, clathris, peſſiculis, & ſeris clauduntur. Super columnarum capita quoquoverſus incumbunt aurei, cœruleique coloris ex lapide laquearia, quæ clathris ſuperſunt, & invicem in quatuor angulis uniuntur. ſuper hæc ex Odei proſpectu in medio pium Crucifixi Salvatoris ſimulachrum conſurgit. Quatuor angulis totidem Angeli majores reſpondent, candelabra ad formam cornucopiæ geſtantes: inter proſpectus verò alii octo minores Dominicæ Paſſionis inſtrumenta elevantes; opus peritæ manus, & auro arte politiori contectum. Introrſus ex ferreis brachiolis tranſverſo laqueari innixis duodecim ex argento lampades pendent, diu, noctuque circum arcam ardentes. Ad Altare per quatuor ex lapide gradus aſcenditur, ſuper quos in planitie, utraque ex parte, ligneum pavimentum locatur. Menſa unicus eſt rufus, expolitus lapis, cujus longitudo undecim Romanis pedibus conſtat, latitudo ſex, craſſitudo ulnam minimè excedit. Viginti Columellæ cum baſibus, & Epiſtyliis folia referentibus, totidem Gothici arculi ſuper illas elevati, cum proſpectu inter eos vermiculatis lapillis ornato, quod opus muſivum eſt, menſæ extremitates ſuſtinent; cujus medium corpus quatuor ſuſtollitur ſectis lapidibus, ad inſtar aſſerum erectis, quaſi capſam aliquam conficientibus, quæ ſuper intercolumnia conſpicitur. In medio Columellarum, e regione Chori, alia majuſcula, & concava columna, in qua Innocentius IV. propriis manibus unam S. Præcurſoris Joannis coſtam, cum Aram conſecraret, incluſit. Menſa duo latitudinis æqualis altaria conficit, marmoreo variato gradu, ſuper quem Candelabra, vaſa cum floribus, & ſimulachra argentea collocantur, diſtincta. Ejuſdem gradus in medio pro Sacroſanctæ Euchariſtiæ cuſtodia Tabernaculum ſurgit ex argento, & auro elegantiſſimè elaboratum, cujus ſuper aram altitudo novem Romanos conficit pedes; extra menſam ad latera, ipſis in locis, ubi ligna erant patibuli, deſuper marmoreos, quadratoſque cylindros, ac baſes duæ ex argento ſtatuæ aſſurgunt SS. Franciſci, & Claræ mutuò ſe aſpicientium, altitudine quinque pedum. Ante Altare e regione Orientis, in medio faciei altioris gradus lapidei, ſub lignea crepidine quædam eſt feneſtrella, ferro munita, per quam in ſubjacentem ſpecum tres ex argento lampades ſemper ardentes ſubmitti ſolent, quò ſignificatur directè ſub Altari, cui ſpecus ſubeſt, ſacrum ſtare theſaurum.

Chorus ſub profundiori teſtudine poſt Altare ſitus, ligneo vallo egregiè ſculpto concluſus, binos habet ſedilium ordines, affabrè ex nuce, & perpolitè cælatos. Superiori ordini, velut bicornis Lunæ ſemicirculus, ſupereminet columellatum opus, e cujus cornibus duo dilatantur Odea, quorum quodlibet ſuum organum tenet. operis totius materia ex ligno eſt, pulcherrimis ſculpturis ſuper cœruleum inauratis decorum. Ultra mediam navim, Templum ipſum binos habet à latere ordines ſacellorum. Hic undequaq; clathra ſunt ferrea, & per gradus ex navi media aſcenditur. Singulis Cappellis propriæ inſunt feneſtræ, vitris pulchrè depictis occluſæ.

Adeo elegans eſt Eccleſiæ ſuperioris conſtructio, ut nihil ornatiùs illo ſæculo videri unquam potuerit, nec Architectura ejus ordinis (ut periti aſſerunt) in toto terrarum orbe inveniri. principale oſtium Orientem in æquinoctio directè excipit Solem. Duplici gaudet ingreſſu, ſicut inferiùs, cui in conſtructione eſt ſimillimum, porticu excepta, qua caret. Amplior oculus Januæ ſupereminet, ſculptis lapidibus intermediis vario ordine diſpoſitis decorus. Pavimentum cæmentaria illitum eſt mixtura, nec immediatè fornicibus Templi ſecundi, ſeu inferioris innititur, cum inter utrumque octipedale

D me-

mediet ſpatium, ſed abiegnis tabulis, quernis trabibus, quæ poſt quinque circiter ſæcula adhuc recentes, & incorruptæ apparent, incumbit. Eccleſia ipſa in Crucis modum conſtructa, lumine, & eminentia pollet, necnon teſtudinibus, tribuniſque congrua dimenſione venuſtis, ab imo ad ſummum picturis antiquitate famoſis ornata. In medio Ara major ſita conſpicitur, ſuper quatuor ex lapide gradus. Menſa unico conſtat marmore, ſicut inferior. Cœterùm duo tantùm alia in tranſverſa navi, contra Occidentem Solem, adſunt altaria, quæ à vetuſta ruditate, nunc aliquantulum purgata conſpiciuntur.

Chorus in modum Theatri latiſſimè patet; ſedilia ex ſolida materia, ſculpturis, imaginibuſque inſignita viſuntur, non colore, ſed arte mirabiliori affabrè expreſſis. In ſedilium medio coram majori ara directè conſurgit Pontificium ſolium, de quo ſuperius Tit. 17. Feneſtræ, figura inferioribus ſimiles, altiores ſunt, ſicut Templum ipſum eminentius. Organum peregrinum, ingens, peramplum. pro Muſicis Odeum ſacris exornatum imaginibus. Eccleſia Sanctiſſimæ Virgini Mariæ, & SS. Angelis, & Apoſtolis dedicata eſt, quorum proptereà feſtivitates in ea ſolemnioribus celebrantur officiis, & quovis Sabbato poſt Primam de B. Virgine Sacrum canitur; ob id albo marmore ſtructos parietes, & rubeo duodecim ejus referunt turres; quòd candor Virginalem, & Angelicam præſeferat puritatem, rubedo ſanguinem Apoſtolicum. Hanc ſuperiorem Eccleſiam inſignis benefactor Paulus Cambiutius ſibi olim hęredem inſtituit, ejuſque bonorum fructus tantùm in illa ſervanda, ac reſtauranda, & in ornandis Altaribus (detractis eleemoſinis pro annuis ſuffragiis ad ſalutem illius animæ perſolvendis) impendi juſſit.

Conventus per ſuas partes deſcribitur.

TITULUS XX.

ADmiranda planè, & magnifica hujuſce ſacræ Domus ſtructura tantæ eſt molis, & majeſtatis, ut inſpectores in eam trahat conſiderationem, quanta arte, quibus ſumptibus, quoto tempore opus fuerit ad tantæ machinæ in ruinoſo Collis præcipitio extructionem. Patet janua principalis ad latum inferioris Eccleſiæ. In introitu ad dexteram fons conſpicitur, e cujus orbiculari ſinu columna aſſurgit, quæ pulchrum, & amplum ſuſtinet ſcyphum, unico rubro excavatum marmore, e cujus centro per fiſtulam in altum aquæ proſiliunt, quæ in ipſum recidentes ſcyphum, in lacum inde inferiorem labuntur; unde per ſecretos cuniculos ad hortos ducuntur, & officinas. Hinc campanilis turris ab imo ad ſummum ſelectis mirè compaſta marmoribus per integrum cernitur. Ad ſiniſtram verò tria aſſurgunt fornicata, concamerata, recentia Dormitoria, quorum inferius Novitiis, medium infirmis, ſupremum inſervit advenis. Illic ingentes ſunt arcus, qui voraginem uſque ad planitiem replent, & machinam adeo excelſam ſuſtentant. Cameræ fornicatæ, quæ ad meridiem verſæ ſingulæ ſingula habent & fornicata propylęa, ad vallis proſpectum eminentia.

Sequitur magnum illud, & celebre Refectionis Conclave, cujus longitudo 250. implet Romanos pedes, latitudo 50. altitudo 80. peramplæ, & eminentes

nentes feneſtræ laquearibus petris quadripartitæ, ſingulæ habent quaternas extrorſum vitreas, introrſum ligneas valvas, quibus à meridie per propylæatum deambulatorium excipitur lumen; ab alio autem latere neceſſariæ, commodæque ſunt officinæ. Extra Refectorii Januam fons affabrè ſtructus apparet, in quo per fiſtulas quinas lympha prolabitur, quæ facilè poteſt ad officinas inferiores, prout fuerit opus, diverti. Occurrit inde aliud hymalis Refectionis Promptuarium, congruè concameratum, tempori, & familiæ ſatis aptum. Utrumque menſis nuceis pollet, & ſedilibus ex ſaligneis, & populeis tabulis, quorum & ex nuce ſunt ornamenta.

Tria per molis medium ſunt impluvia, ſeu clauſtra; majus principale ad Occidentalem Eccleſiæ plagam poſt Chorum ſitum, duplici gaudet ordine egregiis picturis inſigne. Teſtudines inferioris ordinis amplis, & excelſis nituntur palliſtridis, ſuperioris verò teretibus columnis. Campus medius erectis ſtratus lateribus ciſternam refert in medio amplam, profundam, in qua pluviales aquæ receptæ, ſalubres æquè, ac frigidæ evadunt. Aliud ante fores Refectorii majoris extat impluvium; inque ejus ſinu ciſterna antiquior. Tertium, quod eſt anguſtius, clauſtrum inter novæ fabricæ ſcalas conditum, & ciſterna eſt refertum, per quam aqua novitiis, ægris, advenis miniſtratur.

E regione occidentali, ubi profundior olim erat vorago, inferius eſt ſtabulum, equile majus, habens latitudinis Romanos pedes 55. longitudinis 233. ſuoſque lateritios fornices. Olim equis inſerviebant Papalis Curiæ, cum Aſſiſium venirent, & prope hanc eorum Baſilicam moras trahebant Summi Pontifices. Illi ejuſdem latitudinis, ſimiliterque fornicatum ſupereſt horreum, cum patentibus undequaque feneſtris, & ad legumina, aliaque minuta ſervanda variis cellulis. Super hoc ſurgit Dormitorium Patrum, duplici hinc, & inde conſtans cubiculorum ordine, ſub unica magna, excelſaque teſtudine. Hinc major Aula ſuperextollitur, quæ olim ſuo tegebatur ampliſſimo fornice: cum tamen ea ex parte ampliſſimi parietes lapſum minitarentur, pondera illa ſubtracta ſunt, & modò ſolùm laquearibus, & imbricibus tegitur. Circumſtant hanc Aulam PP. Regentium, Lectorumque habitationes. Muſicorum Fratrum Dormitorium fornicatum inde meridiem versùs diſtenditur, quod ſuper hyemale Refectorium locatum eſt; econtra ad ſeptemtrionalem plagam Collegii Dormitorium laqueatum, longitudinis 339. pedum, cui aliud ſubeſt ejuſdem longitudinis teſtudineum familiæ Dormitorium: ſub hoc cella vinaria ingenti tecta ex ſaxo teſtudine, marmoreiſque arcubus circumquaque corroborata.

Inter Collegii, ac muſicorum Dormitoria, ac majora inter clauſtra, Bibliotecha antiquis m. ſ. membraneiſque vetuſtis libris, qualibet in materia, & facultate locuples, & inſignis eſt ſita: in dies impreſſa opera adduntur. In ea major deſiderabatur ornatus; quem ignorantia non curavit, peritia præbere non potuit. At noſtra paupertas inſtauravit, & venuſtam aliquantulum reddidit. Sub Bibliothecà ſitum eſt Archivium, & Cancellaria, ubi potiora ſervantur Ordinis monumenta, ex quibus omnia ferè, quę ſcribo, deſumpſi. Apoſtolica verò diplomata ad Sacrum Cœnobium ſpectantia, ex originali tranſcripta in ſecunda hujus operis parte dabo.

In extremo Conventus ſitu, propè Eccleſiam, Ædes Papales eminent, pro paupertatis modulo ſufficienter inſtructæ, quas ex Summis Pontificibus aliqui dignati ſunt inhabitare, & S. R. E. Cardinales in dies, devotionis ergo venientes, hoſpitio recipiuntur; ex quibus potior Eccleſiæ pars explorari poteſt.

D 2 Ad-

Admirabilior hujus ædificii conſtructio latet; infima ſcilicet, & ſubterranea; ingentibus enim arcubus, & ampliſſimis muris compacta eſt, ſuper quos totius habitationis deducta planities ſuſtentatur; id verò ubique admirabiliſſimum, quòd nullæ trabes, nulla ferrea loramenta, vel laquearia ad colligandos parietes adhibentur, ſed partes ſingulæ propria tenaciſſimè ſoliditate cohærent, ampliſſimi arcus, fornices, muri propriis connectuntur, indiſſolubili nexu, lapidibus.

Sed jam totius molis graphycè aſpectus duplex proponitur. Primus Orientalis, & meridionalis; ſecundus Occidentalis, & Aquilonaris, in quibus etiam per elevationem, ingenioſè ab Artifice expreſſam, diſtingui poſſunt interioris ædificii partes.

Eccleſiæ, & Conventus ſolemniter conſecrantur.

TITULUS XXI.


GRregorio IX. Collis Paradiſi Baſilicæ optimo fundatore jam vita functo ſucceſſit in Petri Cathedra Gaufridus Cardinalis Caſtilioneus Sabinenſis Antiſtes, qui Canonizationi S. P. Franciſci, & Eccleſiæ fundationi interfuerat. Cœleſtinus IV. nuncupari voluit; cum verò diebus tantùm ſeptemdecim in Pontificatu vixiſſet, conceptam in S. Patrem, & locum devotionem manifeſtare nequivit.

Ei poſt duos ſuper viginti Interpontificii menſes ſuffectus eſt Sinibaldus Fliſcus Januenſis Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Lucina, Innocentius IV. appellatus, qui cum B. Franciſcum viventem noviſſet, ejuſque corpus jaculis divinis tranſverberatum bis obſervaſſet, ſumma Sanctum pietate proſequebatur; Non tamen ſtatim potuit mundo eam palam facere, quippe qui impiiſſimi Friderici Imperatoris declinaturus inſidias, Lugdunum petiit, ubi uſque ad peſſimam ejuſdem mortem permanſit. Exinde anno 1252. in Italiam rediens, ac Peruſiam petens, viſitantibus S. P. Franciſci Aſſiſienſem Eccleſiam in perpetuum Indulgentias eſt elargitus. Originales literæ hic aſſervantur, Incipientes, *Licet is. Dat. Peruſ. Id. Februar. Pontificat. ann. 9.*


Sequenti anno circa Aprilis initium Aſſiſium venit Pontifex, utque pio voto, ac deſiderio faceret ſatis, ibidem uſque ad Octavam Feſti S. P. moratus eſt, Ædes inhabitans Pontificias, e quibus non viſus Eccleſiam viſitabat, & ſæpèſæpiùs divinis intererat.

Die 25. Maii Tranſlatio Corporis S. P. ſacra, quæ eo anno quinta poſt Paſcha Dominica inciderat, Summus ipſe Antiſtes Innocentius totam Baſilicam, ſimul & Cœnobium dedicavit, Aſſiſtentibus ei S. R. E. Cardinalibus Raynaldo de Comitibus Signiæ, Epiſcoporum Priore, Riccardo Hannibaldenſe Diaconorum Primicerio, Jo: Cajetano Urſino, aliiſque, necnon Curiæ Prælatis, & Magnatibus, qui ad feſtum convenerant. Parietes Eccleſiarum, & Conventus interiùs, exteriùſque luſtrali aſperſit aqua; Cruces in variis Conventus partibus depictas, quæ adhuc viſuntur, ſacravit; Majorum Altarium menſas ſacris lenivit oleis, in eiſque Sanctorum Analecta locavit, præcipuè ſub ara Secundi Templi S. Io: Baptiſtæ coſtam, quam ipſe Pontifex ad hunc

finem


Occidens
Oriens

Digitized by Google


Occidens

finem à Januenſibus acceperat, vaſe chryſtallino incluſam poſuit. In media regione brachium S. Geruntii Epiſcopi, & Martyris in ſublimi pariete decenter clauſum, ubi ſub lapidis coronice ſic legitur. *Hic intus jacet brachium S. Geruntii Epiſcopi, & Martyris.* in ſignum conſecrationis hujus Conventus, rubeæ quædam Cruces in majori Refectorio ſuper feneſtras, & priori Capitulo adhuc intextæ cernuntur, aliæ temporis curſu dilapſæ ſunt.

Hinc factum, ut inter omnia Franciſcanæ Familiæ Cœnobia Antonomaſticè Sacer iſte dicatur Conventus; quamquam enim aliqui (fortaſſe ad ęmulationem) paucis abhinc annis ſacrum cœperint & ſuum nominare Conventum; non tamen ex vera, realique Pontificum conſecratione hujuſmodi denominatio dari poteſt, ſed dumtaxat ex generica quadam, qua ſacrarum perſonarum habitatio quęvis etiam ſacra appellari poteſt.

Corrigendus hìc P. Vvadd. qui ab aliis deceptus, ad hunc annum 1253. num. 34. aſſerit ab Innocentio IV. Eccleſiam Portiunculę conſecratam, nullamque de prędicta vera conſecratione mentionem facit. Eccleſiola autem Portiunculę dedicata fuerat, vivente adhuc S. Patre, ſecunda Auguſti die 1223. â ſeptem illis Epiſcopis, qui juſſu Honorii Tertii Indulgentiam plenariam perpetuam, ſed diurnam pridie promulgaverant. Dedicatio verò à nobis aſſerta in dubium revocari non poteſt, cum duo pro ea hoc in Archivio ſerventur Innocentii IV. diplomata originalia: *Si populus Iſraeliticus, &c.* & *Conſecrationes Altarium, &c.* quo etiam viſitantibus Eccleſiam in Anniverſario Dedicationis uſque ad conſequentes Pentecoſten Octavas Indulgentias elargitur. Conceſſit inſuper, ut exinde in majori ſacra menſa ſecundę Eccleſię, gradibus, & ornamentis diſtincta duę ſimul Miſſę in utraque parte perſolvi poſſint, ideòque utrobique ſacras collocavit reliquias.

Innocentius IV. Sacræ Aſſiſienſi Domui privilegia confirmat, & auget.

TITULUS XX.

MOram ulteriùs in Sacro Aſſiſienſi Cœnobio ducens Pontifex, quò faciliùs fabrica, & expeditiùs ad coronidem duceretur, F. Philippo de Campello operis Prędecto conceſſit, ut eleemoſinas, & oblationes quaſcunque, etiam pecuniarias tàm ipſe, quàm alii pro tempore Prępoſiti licitè recipere, & ad id opus integrè, fideliterque poſſent impendere. Adſunt originales literę, incipientes, *Decet, & expedit honorificas illis ædificare Baſilicas, qui, &c. Dat. Aſſiſii 6. Id. Julii, Pontific. an.* 11. quas ſuis referam locis.

Non ęquo ferebant animo fratres quidam extremę paupertatis utique Zelatores, ſed ob ſimplicitatem obedientię Chriſti Vicario debitę neglectores, quòd tam pecuniarum, quàm pretioſę cujuſvis ſacrę ſupellectilis oblationes reciperentur, & aſſervarentur: hęc enim Minoricę mendicitatis ſtatui repugnantia affirmabant. At Pontifex Dei, ſuique Sancti glorię nobiliori ſpiritu addictus, abſoluti, & ſupremi Domini munus implens, filiorum ſaluti proſpiciens, omnem ab eorum mentibus ſcrupulum ſtatuit amovere: Declaravit ſiquidem Eccleſiam ipſam ſpecialiter ad Sedem Apoſtolicam pertinere, eique ſoli immediatè

diatè ſubjectam, proinde non Ordinis ſtatutis regendam, ſed Pontificiis ſanctionibus. Decrevit igitur Templum illud præ cœteris quibuſcumque Ordinis Minorum Eccleſiis inſigne, ac privilegiatum, recipere, ac habere poſſe ſacra vaſa argentea, & aurea, indumenta ſerica, & cujuſcunque pretioſioris materię. Campanas etiam plures magnas, ac parvas, aliaque id generis omnia, etiam à Religione prohibita. Inhibuit ulteriùs Generalibus, Provincialibus, Cuſtodibus, & quibuſvis Capitulis Generalibus, Provincialibus, & Localibus, ne unquam hujuſmodi oblationum receptiones, ac detentiones impedire tentarent, nec oblata auferre, aut quomodocunque diſtrahere, abſque ejuſdem S. Sedis ſpeciali mandato. Literę incipiunt, *Dignum exiſtimamus, & congruum. Dat. Aſſiſii Kal. Auguſti, Pontif. An.* 11.

Interim non ſemel ad Virginem Claram in S. Damiani Ædibus ęgra valetudine detentam viſitandam Pontifex ibat, nec ambigo illius ſupplicationibus inclinatum, tot gratiis, & privilegiis S. P. Eccleſiam cumulaſſe. Evolavit eodem anno 1253. Papa ipſo Aſſiſii commorante, ad inſtar innocentis Columbę, ad ęthera anima illa, mille virtutum pennis candidata, & Virginales exequię Summi Pontificis aſſiſtentia à Sacro Cardinalium Collegio celebratę fuerunt; e quibus Raynaldus de Comitibus, qui anno ſequenti Alexander IV. Pontifex fuit, funebrem recitavit Orationem, & poſt biennium Sanctis adnumeravit Virginibus.

In Aſſiſienſi Baſilica B. Stanislaus Martyr, Cracovienſis Epiſcopus Sanctorum albo deſcribitur.

TITULUS XXIII.

CUm Inncentius IV. anno præcedente Peruſiæ moraretur, iteratas Boleſlai pudici Poloniæ Regis, & Prendotæ Cracovien. Epiſcopi inſtantias exceperat, ut Staniſlaum ejuſdem Eccleſiæ olim Epiſcopum, ab impio, & impudico Boleſlao ſecundo inter Sacra interfectum, multis jam miraculis coruſcantem, Ss. Pontificum, & Martyrum faſtis adderet. Proceſsum vitæ, mortis, prodigiorum ejus Papæ tranſmiſerant Archiepiſcopus Guznen. Epiſcopus Vuratiſlavien. & Abbas de Lubez, quibus ipſe negotium commiſerat. Sed ut in re tanti ponderis majorem diligentiam adhiberet, F. Jacobum Veliternum Minoritam cum eiſdem actibus ad Polonos miſit, ut per teſtium depoſitionem ſciret, an omnia in eis aſſerta veritati cohærerent. Commiſſum ſibi munus adeo ſolerter peregit Jacobus, ut Peruſio diſcedens 7. Kalen. Juni 1252. anno ſequenti eodem die Aſſiſium ad Innocentium redierit, omnia rite deferens, ac juridicè comprobata. Procęſsuum diſcuſſionem Cardinalium conſultationi Papa ſubjecit: qui ſub die 8. Septembris in Pontificiis Ædibus coram eo conciſtorialiter convenientes, communi calculo ſolemnem Staniſlai Canonizationem decrevere, die 17. ejuſdem menſis, Impreſſione ſacrorum Stygmatum S. P. Franciſci memorabili, in ipſa Collis Paradiſi Pontificia Baſilica celebrandam.

Paratis omnibus pro Chriſti Vicarii majeſtate, & Sacræ Curiæ dignitate, præſentibus præfati Regis, & Eccleſiæ Cracovienſis Oratoribus, Innocentius Pontificalibus indutus, eminenti inſedit ſolio, circumdantibus Cardina-

libus,

libus, circumſtantibusque Prælatis, ac Magnatibus. Publicæ inſtantiæ ab Oratoribus præmiſsæ fuerunt, & Pontificis juſsu Jo: Cajetanus Urſinus, qui poſtea Nicolaus III. fuit, ex marmoreo Roſtro vitam, geſta, martyrium, miracula rite probata recitavit. Dein Raynaldus de Comitibus Epiſcopus Oſtienſis (poſt annum Innocentii ſucceſſor) egregium ex Pulpito ſermonem habuit. Implorata demum Sancti Spiritus aſſiſtentia, ſtans Pontifex, ſolita verborum formula Sanctum declaravit Chriſti martyrem, ejuſque mortis feſtum diem ab univerſa Eccleſia celebrari præcepit. Inde Hymnus *Te Deum laudamus*, decantatus eſt, & Miſsa ſolemnis ab ipſo Sacerdotum principe perſoluta.

Accidit, quòd dum laudatus Raynaldus ſermonem faceret, ex quadam columna marmoreum Epiſtylium ſuper caput mulieris ceciderit, quæ ſub illa ſedens audiebat; cumque mulier, inclinato in ſinum capite, immobilis permanſiſſet, vicini mortuam arbitrati, ne digniſsimum impedirent Oratorem, pallio cooperierunt. Expletis tamen omnibus, illæſa, & incolumis fœmina ſurrexit, imò confeſsa eſt, ex illius lapidis ictu, capitis dolore, quo diutiùs laboraverat, ſe liberatam ſenſiſſe. Epiſtylium, in rei memoriam, catena ſuſpenſum, adhuc in Templi latere cernitur, juxta majorem Aram, cum brevi facti narratione.

Cromerus lib. 9. rerum Polonarum in principio ait, hanc S. Stanislai Canonizationem celebratam 6. Id. Septemb. Bzovius verò ad annum 1253. n. 1. eam ponit ſub 15. Kal. Octobr. quo etiam die Apoſtolicum diploma datum fuit Aſſiſii, incipiens, *Olim à Gentilium oculis*, *&c.* ſed puto variam horum Scriptorum ſententiam inde ortam, quòd prior diem, in quo primum decretum conciſtoriale de canonizando ordinatum fuerat; alter diem ipſius ſolemnis canonizationis poſuerit.

Hìc altare extat S. Stanislao dicatum, & in Sacrarum Reliquiarum loco Brachium ejuſdem ſervatur, quod poſt annum Epiſcopus, & Canonici Cracovienſes miſerunt. conſtat ex literis Alexandri IV. incipien. *Ad veneranda merita*, *&c. Dat. Later. 7. Kal. Febr. Pontif. an. 2.* quibus ſe in minoribus conſtitutum præſentem dicit fuiſſe Aſſiſii S. Stanislai Canonizationi, eiſdemque literis viſitantibus Templum S. Franciſci in feſto ejuſdem S. Stanislai, annuatim, & per Octavam ejuſdem feſti centum Indulgentiæ dies conceſſit.

Picturis utraque decoratur Eccleſia.

TITULUS XXIV.

CAlamitatum alluvio, quæ tot ſæculis miſerrimam Italiam jam oppreſſerat, nedum virtutes, ſed & bonas artes quaſcunque extinxerat: cum ſummo bonorum largitori viſum eſt, per ſanctos viros Dominicum, Franciſcum, alioſque ejuſdem ſæculi Ordinum fundatores, virtutes humano generi reſtituere, & per viros ingenii acumine pollentes artes jam diu perditas reddere. Perierant inter alias Architectonice, pictura, ſculptura, ut vix earum umbræ quædam tantùm remanſerint. Liquet ex operibus ab anno Domini quadricenteſimo uſque ad milleſimum ducenteſimum excitatis, in quibus, ut ait Georgius Vaſarius, earum artium periciſſimus in proœmio ad vitas pictorum, nulla dignoſcitur proportio, menſura, vel methodus, unde ad extruen-

extruendum Collis Paradiſi ædificium opus fuit ex Theutonia advocari Jacobum prædictum picturam Græci quidam imperiti per Italiam exercebant, irridendi magis, quàm admirandi; cum tamen ſoli, paucique eſſent, tamquam Appelles, & Parhaſii habebantur. Cum circa annum ſalutis 1210. Juncta Piſanus, ruditer à Græcis inſtructus, primus ex Italis artem appræhendit, ruſticumque pingendi modum eſt imitatus. Hunc F. Helias ad novam exornandam Baſilicam deſtinavit, anno 1236. Fecit Crucifixi imaginem, ſuper Altare majus ſuperioris Templi olim locatam, dein ſuper primariam Januam, nunc temporis dente quaſi corroſam depoſitam cernimus. Eius opera cenſentur imagines Crucifixi cum Angelis circumvolantibus, & circumſtantibus turbis in proſpectu duorum Altarium in latere eiuſdem Eccleſiæ. Hæ, parietum cruſta labente, ceciderunt; quarum vice ſunt duæ ægregiæ Icones; hinc Spiritum Sanctum ſuper B. Virginem, & Apoſtolos diſcendentem, illic S. Michaelem Arcangelum in Luciferum Præliantem demonſtrant. At Juncta aliò vocatus opus deſervit.

Sub anno 1250. Jo: Cibabos Florentinus celeber habebatur, qui à natura meliùs, quàm à pictantibus Græcis illis edoctus, artem ab ea ruditate expolire nitebatur: adhuc tamen juvenis eorum diſcipulum agebat. Hos Innocentius Pontifex Aſſiſium vocavit, unde eius juſſu, & ope ſecundæ, ſeu mediæ Eccleſiæ exornandæ ſtuduerunt. Fornices navis mediæ cæruleo probatiſſimo colore per integrum ſunt depictæ: hinc ſtellæ aureæ intermixtæ, ut cœli facies expreſſa videretur; tranſverſi arcus variis ornantur parergis; in lateralibus muris ad dexteram geſta Chriſti, ad ſiniſtram Franciſci opera demonſtrantur. Aderat Cimabos, jam non diſcipulus, ſed magiſter, cui propterea, dimiſſis Græcis, opus commiſſum eſt.

His ergo ſuperiori Eccleſiæ, utpote magis lucidæ, coloribus decorandæ totum ſe dedit. Molem iſtam octo tegunt amplæ, diſtinctæque tribunæ, Jonicum opus, quarum ſex ab ingreſſu uſque ad Chorum tendunt: duæ aliæ Crucis brachia operiunt. Earum quæ jus quatuor conſtat triangularibus partibus, quas arcus tranſverſi, contermini efficiunt. In prima ergo ab intioitu Eccleſiæ teſtudine quatuor expreſſit Eccleſiæ Doctores, Auguſtinum, Ambroſium, Gregorium, Hieronymum; qui magiſtralem ſuper Cathedram ſedentes ſingulos Religioſos viros edocent auditores in tertia pulchras poſuit imagines Salvatoris, Deiparæ, Præcurſoris Franciſci. In quinta, quæ Crucis medio ſupereminet, quatuor delineavit Evangeliſtas. In ſecunda, quarta, & reliquis, cæruleo, quem tranſmarinum vocant, colore cum aureis ſtellis cœli aſpectum eſt imitatus. Exinde laterales Templi parietes in tres partitus eſt ordines, quorum duos ſuper, alterum infra deambulatoriam coronicem conſtituit. In ſupremo ordine veteris hiſtorias Teſtamenti, in medio novi exaravit. In inferiori autem, poſt Junctæ mortem, Giottus eius diſcipulus S. P. Franciſci vitam politiſſimè partitam depinxit. Super Chori ſedilia utrinque in quatuor Iconibus B. V. Mariæ ultimam valetudinem, Tranſitum, Aſsumptionem, Coronationem Cimabos prædictus repræſentaverat; ſic fama eſt: ſicut Pontificiam ſuper ſedem veras appoſuit effigies Gregorii IX. Innocentii IV. quorum primus fundavit, alter conſecravit, uterque privilegiis Baſilicam cumulavit. Superiùs teſtudinem versùs varias Sanctorum addidit imagines. In proſpectibus brachiorum Crucis Templi, dextrorſum Chriſtus in Cœlum aſcendens, Apoſtolis admirantibus, Angelus pervolans & velut aliis quatuor inferioribus clamans, ut in Apocalypſi deſcribitur, & univerſale Judicium exprimuntur: ſiniſtrorſum verò S. Petrus inverſo capite crucifixus: hinc idem Sanctus Apoſtolus, cujus ora-

oratio Simonem magum ex aere dat præcipitem. exinde S. Jo: Evangeliſta in inſula Patmos. Ut tamen ex ruditate conjicio, potiùs hæc ſenioris Junctæ, quàm Cimabovis ſunt opera, cujus picturæ etſi temporis, aeris, pulveriſque injuria plura paſſæ ſint detrimenta; multæ tamen, & peculiariter quæ Tribunis ſuperſunt adhuc monſtrant Artificis in emendanda vetuſtate excellentiam. Meritò Georgius Vaſarius in ejus vita ipſum Pictorum Patrem, Picturæ auctorem, inſtitutorem, reſtauratorem appellat.

Cimabovi ſucceſſit Giottus, itidem Florentinus, ejus diſcipulus, cujus ars artem politiorem effecit; cum nempè praxis, & experimentum ad plura addiſcenda conducant, & facilè ſemper ſit inventis addere, nedum magiſtrum æquavit, ſed ſuperavit. Hinc Dantes in Purgatorio can. 11. cecinit.

Credette Cimabue ne la pittura
Tener lo campo; & hora hà Giotto il grido,
Si che la fama del Maeſtro oſcura.

Giottus itaque ad ſui Præceptoris complenda opera Aſſiſium petiit: quare poſtremam Eccleſiæ ſuperiori coronidem impoſuit; Spiritus Sancti deſcenſum ſuper Apoſtolos, & Chriſti Aſcenſionem in anteriori ſuper majorem portam proſpectu egregiè depingens, & S. P. acta in inferiori ordine exprimens, ut ſupra tetigimus.

Inde ad mediæ ornamentum Eccleſiæ ſe convertit. ibi inſigne opus, & ab Hiſtoricis commendatum apparet, quod quadripartitum in triangulis Tribunæ majoris Aræ adhuc integrum perſeverat; in primo enim prope Chorum Seraphicus Pater, Diaconi Dalmatica indutus aureis intexta floribus in geſtatoria triumphali ſella ſedens aſpicitur, vehentibus, & comitantibus Angelis, quorum alii tubis ſonare, alii alternatim modulari videntur, velut illum in triumphum ducentes, cum inſcriptione, *Glorioſus Franciſcus*; ſuper quem purpureum vexillum, ſeptem ornatum ſtellis, ceu è cœlo dimiſſum ſuſpenditur. In ſecundo ad dexteram porticus deambulatoria cum columnis inſpicitur, in medio vir gravis, veſte tectus ſubnigra, & monachali, quadrato ſedet diademate redimitus, qui dextera cuidam Fratri genuflexo jugum imponit, & læva labello digitum apponit, quaſi ſilentium indicens, cum literis, *Sancta Obedientia*. Ad dexteram ſedentis ſtat Prudentia bifrons, mathematica gerens inſtrumenta: ad lævam Humilitas ardentem attollens facem: inſcriptiones utramque indicant, ſub Humilitatis icone Angelus quoddam expellens monſtrum, *ſemivirumque canem, ſemicanemque virum*, ceu Superbiæ ſymbolum.. Hinc, & inde homines, & Angeli ſedentem adorant. ſuper porticus ſigna, cœlum versùs tendens S. P. extenſis manibus Stygmata oſtendit. hìc duo itidem Angeli Scripturas quaſdam explicatas demonſtrant. in tertio triangulo contra Solis Occaſum, ſponſalia inter Franciſcum, & Paupertatem, dexteras Chriſto jungente, ingenioſè rapræſentantur. Paupertas mulier extenuatæ faciei, veſtis laceræ figuratur; contra quam canis latrans, homo purpura amictus lapides jaciens, alter cœruleo tectus indumento virgam extendens, illamque ſpinis implicare contendens. Angelorum cohors utrinque ſtantium ſacro aſſiſtit Hymenæo. Ad dexteram extremitatis Franciſcus adhuc juvenis ab Angelo indutus, recentem exuit tunicam, eamque pauperi donat. Ad ſiniſtram tres viri mollibus induti avaros figurant, quorum unus manu crumenam ſtringit, alter rapacem volucrem ſuſtinet, alter dextera pectus tangit, ceu cor divitiarum cupidum oſtentans. In ſupremo angulo Deus inter diaphnas nubes velatus tranſpicitur, cui duo offerunt Angeli, alter ſublime Templum, alter habitum illum, quem adoleſcens Patriarcha inopi præbuit: in medio ſic legi-

tur, *Sancta Paupertas*; in extremo triangulo ſiniſtrorſum Arx videtur conſurgere, vallo, propugnaculiſque munita, e cujus medio Turris tollitur, & ſuper hanc album vexillum, & in ipſa turri patens feneſtra, ex qua, velut ad cuſtodiam poſita, pulcherrima apparet puella manibus ad pectus junctis, ſupplicans Deo, cum verbis, *Sancta Caſtitas*, cui duo volantes Angeli, tamquam è cœlo dimiſſi offerunt, unus palmam, & alter Regnum. ſubtus extra arcem totidem Angeli virum in balneo ſtantem abluunt, ſuper quem ex caſtri muris mulier, cui inſcriptio, *Sancta munditia*, aquam infundit, & alia, cui Titulus, *Sancta Fortitudo*, pannum porrigit abſterſorium, totidem item Angeli binas deferunt veſtes, velut ad induendum ablutum. Extra arcem, ceu cuſtodiæ aſſiſterent, ſeniores ſunt milites ſanctitatis diademate coronati, ex quibus unus imperialem, regalem alter defert coronam. Hos puto Henricum Imperatorem, & Boleslaum pudicum Poloniæ Regem, qui virginitatem conjugio copulavere. In angulo ad dexteram, ceu à rupe aſcendentes tres S. P. excipit viros, quos ad lavacrum, & arcem invitare videtur. In alio ad ſiniſtram *Sancta Pœnitentia*, habitu Anachoritæ, dextera flagellis, læva ſigno Crucis armatur, & ſpectra quædam è rupe dat præcipitio, nigerrimum nempe Diabolum, tetrum mundum, pallidam mortem, cæcum Cupidinem. Pœnitentiam comitantur aliæ Perſonæ flagella, Cruces, virgas in hoſtes illos vibrantes. Arcus Tribunæ conterminos, varia inter parerga, Sanctorum, Angelorumque vultus decorant.

Opus hoc ſummam Giotto peperit famam, tum propter artem, tum propter myſticam inventionem, & tot Idæarum expreſſionem; non etenim ante illum mos erat pictoribus per ſymbola Triumphos, aut geſta exponere, ſed nudas hiſtorias ruditer pictitabant. Hinc & ipſe hujuſce inventi Inſtitutor eſt habitus; dignus, cui Angelus Politianus hoc texuerit Epitaphium.

Ille ego ſum, per quem pictura extincta revixit,
Cui quàm recta manus, tam fuit & facilis.
Naturæ deerat quod noſtræ defuit arti.
Plus licuit nulli pingere, nec meliùs.
Denique ſum Jottus. quid opus fuit illa referre?
Hoc nomen longi carminis inſtar erit.

Cum Giotto aderat Puccius Capanna, Florentinus, ejus diſcipulus. Huic tribuitur Pictura Paſſionis Chriſti in cupa dexteri brachii Crucis Templi, Sanctam quoque Portiunculæ Ædiculam figuris ornavit, & in variis Civitatis Aſſiſii partibus varia opera perfecit. Hinc Civium omnium ad ſe traxit amorem, inter quos cooptatus uxorem nobilem duxit, & Puccinorum familiæ nomen dedit.

Stephanus Florentinus, alter ex Giotti alumnis Paradiſi gloriam in Chori Tribuna delineare cœpit, at non perfecit, quam temporis injuria ferè lapſam Cæſar Sermęus Aſſiſias tandem politiori ſtylo eleganter, & ingenioſè reſtituit: additis in imo loco Purgatorii, & Inferni imaginibus.

Petrus Caballinus Romanus, qui & Giotti diſcipulus, in declivitate ſub Hiſtoria Paſſionis à Puccio depicta Chriſtum Cruci affixum, turbam hominum, & equitum delineavit; cum enim equos valdè eleganter pingeret, Caballinus eſt nuncupatus. Quod magis hìc obſervandum, eſt Angelorum turba per aerem circumvolitans, quorum quivis vario motu ſummum dolorem explicat, & ad compatiendum videntes excitat.

Simon, & Lippus Memmi Senenſes fratres, Giotti ſimul alumni varias tum Virginis, tum Sanctorum fecere imagines in inferiori proſpectu alterius Eccle-

ſiæ

ſiæ brachii, propè ingreſſum, ad Sacella Septemtrionalia. His etiam tribuuntur figuræ ſuper primam Refectorii majoris menſam ſervatæ.

Jo: Gaddus Taddei filius, concivis, & diſcipulus Giotti in cupa ſiniſtri brachii B. Virginis, & Jeſu pinxit hiſtorias, puta Viſitationem, Nativitatem, Epiphaniam, Purificationem, Innocentium ſtragem, fugam in Ægyptum, iter ad Jeroſolymam, diſputationem inter Doctores. In ordine medio eſt Chriſtus Crucifixus, mater, mulieres ad Crucis dexteram plorantes, ad lævam Franciſcus cum ſociis genuflexus, per aerem Angeli pacis amarè flentes, & ſanguinem vulnerum ſcyphis ſuſcipientes. in immediato ſuper Virginis Altare proſpectu, eſt Virgo ipſa cum Filio ſedens duos inter Angelos ſtantes: ſubtus extra cornu Epiſtolæ propè majoris Tribunæ Arcum vera S. P. Franciſci vero habitu induti effigies.

Thomas Stephani Florentinus, Giotti ſectator inſignis, ideoque Giottinus dictus in proſpectu ſuper Ambonem B. Virginem ad cœlum aſſumptam, inque arcu ipſo quædam S. Nicolai geſta, & vitam in ejuſdem Sancti Sacello eleganter depinxit.

Bonamicus Buffalmaccus, non S. Catharinæ Lararium, ut Vaſarius autumat, quod illius tempore adhuc non erat, ſed SS. Mariæ Magdalenæ, & Martini Epiſcopi Cappellas utriuſque geſtis ornavit. Bonamicus enim anno 1346. deceſſit: ubi S. Catharinæ Sacellum Ægidius Cardinalis Albernotius, rubeo pileo donatus anno 1350. à fundamentis extrui fecit. potiùs dixerim hæc, & alia à Giottini diſcipulis, qui poſt ipſum eo ſæculo floruerunt, depicta.

Singulos ex præfatis pictoribus fuiſſe ex illius ævi inſignioribus teſtatus eſt Georgius Vaſarius, qui omnium vitam, & opera digniora deſcripſit: ex eo habui quidquid in hoc Titulo de picturis Almę Baſilicę aſſervi, ac de pictoribus, qui artis venuſtate Collis Paradiſi amęnitatem auxerunt.

Sacella Eccleſiæ expenduntur, quæ ſucceſſivè picturis condecorantur.

TITULUS XXV.

IN prima Baſilicæ conſtructione juxta graphycam Jacobi Alemanni jam pręſcriptam inventionem, utrumque Templum ſua conſtabat unica Navi in modum Crucis protracta; nec media latior erat ſuprema, ſed utraque ſuper eiſdem fundamentis erecta. In ſublimiori tria tantùm erant Altaria, majus B. Virgini, ex minoribus unum Angelis, alterum SS. Apoſtolis ſacrum: in inferiori, ſeu ſecunda itidem tria, primum S. P. Franciſco, alterum Deiparę Innocentiſſimæ, Tertium S. Jo: Evangeliſtę dicatum. Anno verò 1236. F. Helias jam ſecundò Generalis Miniſter aliud erexit Altare in eodem Septemtrionali Crucis brachio, juxtà illud B. Virginis, S. Eliſabeth Turingiæ Lantgravię, quam Gregorius IX. inter Sanctas retulerat, dedicatum: Sacellum hoc à Modernis, fortaſsè inconſultò, ſublatum eſt.

Cum Innocentius IV. Sanctorum faſtis Stanislaum Epiſcopum, & Martyrem adnumeravit, ut diximus, ad ejus honorem, in ipſo Ambonis circuitu, in quo illius vita fuerat promulgata, ſub eminenti Arcu, Altare juſſit ædificari. Inde F. Philippus de Campello Fabricę Præpoſitus, & in Architectonica lau-

dati Jacobi alumnus, propoſuit, additione Lateralium Sacellorum alterius,& alterius ordinis mediam Eccleſiam dilatandam, cumque elegans dediſſet exemplar, à Septemtrionali plaga opus inceptum fuit.

Prima ex Cappellis S. Marię Magdalenæ ſacra, in qua Buffalmaccus geſta illius inſigniora delineavit, tempore Generalatus S. Bonaventuræ completa eſt; quam cum ipſe benedixerit, poſtea ejus inſuper nomine fuit inſignita. Deinde ejuſdem Sancti Generalis mandato, Sacellum aliud S. Antonio Patavino ſacrum erectum eſt, quod Giottinus primò picturis ornavit; ſed cum temporis curſu jam periiſſent, anno 1610. Cœſar Sermæus Aſſiſias illarum vice, ejuſdem Divi opera, & miracula potiora depinxit, qui & ſuperiùs in quadripartita teſtudine SS. Franciſci, Bonaventurę, Ludovici, Claræ vitam eleganter expreſſit.

Sequitur ordinatim aliis uniforme Lararium SS. Ludovicis, Francorum ſcilicet Regi, & Epiſcopo Toloſę dicatum, jampridem à Buffalmacco depictum, in cujus quadrifica teſtudine Andreas Aloyſius Aſſiſias Petri Peruſini alumnus, & Raphaelis Urbinatis condiſcipulus, à Georgio Vaſario in vita Petri plurimùm commendatus, quatuor Prophetas, & totidem efformavit Sybillas, circa annum 1490. Opus, peritorum judicio, inter cœtera abſolutiſſimum. In proſpectibus hujuſce inſignis Cappellę, circa annum 1560. Adon Donus, item Aſſiſias, Confraternitatis S. Stephani ſumptibus, Protomartyris geſta eximiè figuravit. Majora hęc inter Sacella, totidem minora conſtructa erant. At duobus ſublatis, duo tantummodo remanſere: unum S. Valentino, alterum S. Laurentio Martyribus ſacrum. Itaque Aquilonaris Sacellorum ala perfecta eſt.

A Meridie ante Lararium SS. Ludovicis ſacratum, paris ſtructuræ Cappella, juſſu, & ſumptibus Cardinalis Gentilis à Monte Florum Franciſcani, circa annum 1310. extructa eſt, quam Buffalmaccus coloribus venuſtavit. Succedit Sacellum S. Andreę Apoſtolo ſacrum, alteri è regione reſpondens. ſitum eſt propè Campanariam turrim, unde aliis anguſtius apparet. Cappella S. Marię Magdalenę aliam ex adverſo habere non potuit, cum ſitus ille à Sacriſtia jam fuerit occupatus. Extat igitur ibi Ambo cum Roſtro, & ſub Arcu Altare S. Stanislai, de quo egimus.

Crux Templi etiam in brachiis fuit ad proportionem deducta; nam circa idem tempus è plaga Septemtrionali Neapolio Cardinalis Urſinus Lararium Divo Nicolao Epiſcopo ſacrum excitari fecit, quod illius Sancti vita Thomas Giottinus ornavit. Ad plagam Meridionalem in ejuſdem conſpectu D. F. Jo: Urſinus S. Jo: Jeroſolym. Eques, dicti Purpurati Germanus aliud paris formę S. Jo: Baptiſtæ dicatum extrui curavit, cujus picturę cum in dies unà cum materia cadere cernerentur, dealbatum fuit; eo in loco dextrorſum Porta extat majoris Sacrarii, ad lęvam verò majus Eccleſię Organum.

Sed & navis, quę ab ingreſſu in Baſilicam tranſverſam Tau figurat, Cappellis adaucta eſt. Ex adverſo Portę majoris, Aquilonem verſus, circa annum 1355. Ægidius Camillus Cardinalis Albernotius, totius Italię Apoſtolicus Legatus magnificum S. Catharinæ Virg. & M. Lararium addidit, ejuſdem Sanctę geſtis manu Bonamici, vel alterius inter illius ævi pictores eximii condecoratum. Cum autem poſtea in eodem Altari celeberrimum Crucifixi ſimulachrum locatum fuerit, pro ſpiritualibus exercitiis qualibet Feria ſexta fieri conſuetis; in majori ambitu extra, intraque Sacellum ab Hieronymo Martelli Aſſiſiate Paſſionis Chriſti hiſtoria depicta hoc ſęculo fuit. in cupa verò ejuſdem ambitus, manu prędicti expreſſus eſt cœruleus cœli aſpectus, aſtris ornatus, & inter nebulas ęterni Patris imago.

Extra eumdem ambitum Ortum versùs ampla Ædicula erecta eſt S. Antonio Abbati

Abbati Sacra, opibus, ac pietate Spoletanorum Ducum, quæ à Franciſco Vagnutio Aſſiſiate olim egregiè depicta fuit. Sed humiditate ſuperioris plateæ, cui partim ſubeſt, picturæ unà cum parietum tunica cecidere.

Ad lævam in Eccleſiæ ingreſſu modicum quidem, ſed elegans eſt Sacellum S. Sebaſtiani Martyris: in ejus fornice, ac proſpectibus Jacobus Georgettus Aſſiſias, eximius noſtri ſæculi pictor, martyrium ejuſdem Athletæ delineavit. In ambitu ingreſſus Eques Cęſar Sermæus item Aſſiſias hinc Annunciationem B. V. & Chriſti Nativitatem, illinc Angelum, qui Picam S. Franciſci Matrem de Filii natali præmonuit, & hujus in ſtabulo ortum depinxit. Itaque vetuſtis, recentibuſque picturis utrumque Templum eleganter ornatum eſt.

Ex Sacellis, quod S. Nicolao dedicatum erat, dein SS. Urſulę, ac Sociis eſt adſcriptum, ibique pro fidelium communione S. Euchariſtię vas aſſervatur. Quod erat B. V. ejuſdem Immaculatę inſcribitur Conceptioni. In Larario S. Jo: Baptiſtę Tabula Sanctiſſimi Nominis Jeſu à S. Bernardino donata conſpicitur. In Altari S. Jo: Evangeliſtę ab Alexandro Cardinali Peretto, Sixti V. Nepote nobiliter exornato Sacrę conduntur Reliquię, à quibus nunc nomen refert. Cappella S. Andreę, à S. Petro de Alcantara, altera S. Marię Magdalenę, à S. Bonaventura erecta, ab eodem Divo, & alia S. Martini, à S. Lucia Virgine participatur.

Vitreæ feneſtrarum valvæ picturis itidem exornantur.

TITULUS XXVI.

ETſi Georgius Vaſarius in vita Gullielmi de Marcilla, inventionem eidem tribuat vitreas feneſtrarum valvas pingendi, quem circa annum 1500. vixiſſe, ac floruiſſe teſtatur; attamen ex noſtræ Baſilicæ operibus artem hanc longè antea extitiſſe liquidò conſtat. Et figurarum antiquitas, & varia in eis expreſſa ſtemmata docent, in Sacellorum extructione feneſtras ipſas cum ſuis valvis, atque picturis factas fuiſſe. Singula Altaria ſolam habebant Crucem, & Candelabra, eiſque pro tabulis, & imaginibus ipſæ feneſtræ Sanctorum figuris depictæ inſerviebant. In Capella S. Præcurſoris Jo: Urſinus fundator, in S. Nicolai Cardinalis Neapolio illius frater, in S. Ludovici Cardinalis Gentilis effigies, & inſignia referuntur. Hos autem ante annum 1300. dignitatibus ornatos fuiſſe neminem fugit.

Feneſtræ ſuperioris Eccleſiæ varias Ss. Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum imagines, & inter parerga geſta demonſtrant: inferioris autem, ut diximus, Sanctorum, quibus Altaria ab initio dicata fuere, effigies, & miracula habent. Superiores marmoreis bipartitæ, inferiores quadripartitæ aſſeribus, cunctæ ocellis variis, & Cyclopibus venuſtatæ. Vitrum tam ſolidum, ut jam quatuor poſt ſæcula adhuc integrum, nec minima quidem parte fractum appareat. Colores tam vividi, adeoque tenaciter adhærentes, ut niſi imaginum vetuſtior admoneret figuratio, nuper depictas diceres. Forinſecùs retia ex filis æreis compacta vitreas valvas communiunt, & quæ antiquitùs locata fuere, illæſa adhuc conſpiciuntur. Hinc dicendum conſultò, priſcos illos artifices æternitati labores, ac ſtudia dedicaſſe, & tam fragili materiei perpetuitatis notam dediſſe.

Picto-

Pictorum ex antiquioribus, quos retulimus, opera ipſa vitrea apparent. Superiora quippe Cimabovis modum, atque induſtriam ſapiunt, inferiora eorumdem, qui Sacellorum parietes exornarunt. Inter omnes ex valvis elegantiores videntur, quæ Divi Antonii Patavini miracula in ejus larario repræſentant; nam Giotti manum, & uſum indicant, coloreſque quàm vivaciſſimi cæruleus, viridis, flavus nuper impreſſi videntur.

Sacri Conventus Picturæ.

TITULUS XXVII.

PRæcipuas Sacri Conventus partes variis olim, eximiiſque picturis inſignitas fuiſſe non eſt quem lateat. Quædam adhuc manent veſtigia. In priori Capitulo ſub ædibus Pontificiis ſito extat uſque nunc Crucifixi Icon, circumvolantes Angeli Sancti ſtantes, ac flentes, Franciſcus, Clara hinc, & inde genuflexi quæ manu Giotti, aut Giottini exarata ex modo conjici poteſt.

In Occiduo majoris Refectorii proſpectu vetuſtæ imagines B. V. Filium amplexantis, & quatuor aliorum ex Sanctis aſpiciuntur; opera Simonis, & Pipi ex Memmis Senenſibus, quos Vaſarius Giotti alumnos deſcribit. Super majorem ejuſdem Refectorii Januam antiqua eſt pictura in pariete, quam partim collapſam manus quædam vulgaris reformare tentavit. Stat in medio Seraphicus Patriarcha, quem ſtantes Sancti Filii venerantur, utrinque & ſub his eodem ſitu genuflexi ſeni, ac ſeni ex primis diſcipulis, radiolis coronati, cum ſingulorum inſcripto nomine, quos inter tertius ad dexteram proſtratus legitur F. Helias de Bevilio. Extra ordinem eſt Diabolus, qui F. Jo: de Capella laqueo interficit. Sanctorum ſtantium capita recens pictor refecit; at Socii genuflexi, ut ut erant, ſervantur. In Orientali Refectorii ejuſdem proſpectu Crucifixi imago depicta eſt, quem Ss. Franciſcus, & Clara collachrymantes adorant, manu Adonis Doni Aſſiſiatis, qui & montes ibidem, & flumina, & valles mirè diſpoſuit, prominente in extremis collibus ad dexteram Jeroſolyma, ad lævam Aſſiſio. ejuſdem peniculo in Refectorio minori ultima Chriſti cum diſcipulis cœna perbellè expreſſa conſpicitur.

Principale clauſtrum, quod ad elegantiorem formam juſſu, & ope Sixti IV. redactum eſt, ut ejus ibi fixa teſtantur ſtemmata, idem Donus anno 1560. eleemoſinis F. Gregorii Pernæ Aſſiſiatis, in utroque Deambulatorio ſuperiori, & inferiori ſex, & quinquaginta Iconibus, vitam, acta, miracula S. P. egregiè referentibus decoravit. Inter Icones ſub fornicum juncturis effigies Sanctorum, ac Beatorum Seraphici Ordinis ad pectus uſque formatas delineavit. Ad hoc impluvium, velut ad Picturę Lycæum, ſæpiùs adventare, & exemplaria ducere viſi ſunt, qui excellentes ea in arte evadere ſatagebant, nec ſpe fruſtrati; pictores quippe, quibus hæc Seraphica Civitas poſt Donum abundavit, ut inter eos Cæſar Sermæus non ſemel confeſſus eſt; Sacri Conventus Clauſtrum, ceu proprium Gymnaſium habuere. Sacriſtia picturis itidem, iiſque celebratis, non caret. Super armaria variè diſpoſitæ ſacræ Hiſtoriæ inſpiciuntur, Deſponſationis B. V. Chriſti Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, fugæ in Ægyptum. Inter eas Fides, Spes,

Cari-

Charitas, Prudentia à Jacobo Georgetto Aſſiſiate depictæ ſunt. Superiori ex parte columnatum patet theatrum; diverſæ ibi Sanctorum Imagines: Empyrei reſeratus aſpectus, S. Pater ab Angelis elevatus, cui æthereæ princeps militiæ Archangelus Michael obviam it, eumque divinæ Triadis ad ſolium adducit. Opus communi peritorum calculo abſolutiſſimum, quo Cæſar Sermæus majorem ubique ſibi famam paravit.

Alexander IV. Sacræ Baſilicæ fautor, & opitulator oſtenditur.

TITULUS XXVIII.

INnocentio IV. Alexander numero, & virtutibus par ſucceſſit in Petri cathedra. Neapoli ipſo Natalis Domini die 1254. creatus. Antea Raynaldus de Comitibus, Gregorii IX. Nepos, Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis, & Seraphico Ordini Protector conceſſus. In Pontificatu eamdem retinuit, & exercuit protectionem, noluitque alium ad id ſufficere Cardinalem; ut eximię devotionis effectum erga S. Franciſcum, quem viventem agnoverat, ejuſque corpus Stygmatizatum non ſemel viderat, demonſtraret. Huic in primis Aſſiſienſis Baſilica omnium ordinis Eccleſiarum verè caput, & Mater, cordi, & animo fuit, cui innumeras contulit ſpirituales, ac temporales gratiarum prærogativas, ut ex ejus Diplomatibus; inter quæ duo: unum incipiens, *Pro reverentia B. Franciſci. Dat. Viterbii 2. Nonas Maii Pontif. an.* 4. quo Cuſtodis, & Fratrum Aſſiſienſium precibus annuens, eis auctoritatem largitus eſt abſolvendi omnes ad eam Eccleſiam accedentes ab omiſſis in exequutione votorum emiſſorum ſuper ipſius viſitatione: aliud *Dat. ibidem 6. Kalend. Octobris ejuſdem anni*, quo eidem Cuſtodi facultatem concedit conſtituendi Confeſſarios tam Fratres ſibi ſubditos, quàm aliundè advenientes ad miniſtrandum pœnitentiæ Sacramentum cunctis Chriſti fidelibus, ex remotis partibus ad ſolemnitatem venientibus, cum auctoritate eos abſolvendi à peccatis omnibus, niſi fortè talia fuerint, ut propter ea Sedes Apoſtolica meritò eſſet conſulenda. Similiter conceſſas à Prędeceſſoribus Indulgentias confirmavit, aliaſque perpetuas eſt largitus Sacram Baſilicam viſitantibus in feſto S. Staniſlai Epiſcopi, & Martyris, ac per ejus octavas, ob illius Apotheoſim ibi peractam, cui ſe in minoribus conſtitutum adfuiſſe teſtatur literis incipientibus, ad veneranda Sanctorum merita. *Dat. Lat. 7. Kalend. Febr. Pontif. an.* 2.

Summi hujus Pontificis patrocinium maximè enituit in coercendis his, qui Sacræ Eccleſiæ eleemoſinas uſurpare, & pia legata retardare, & impedire tentarunt. Vinceſlaus namque Boemiæ Rex piiſſimus quamdam auri ſummam in fabricæ ſubſidium devoto miſerat animo: ſed nuncii eam deferentes, & in itinere apud quemdam Comitem declinantes, de viarum periculis admoniti, ejuſdem Comitis fidei, & cuſtodiæ pecuniam commiſerunt. Is ut ad Fratres integra perveniret, ſe curaturum ſpopondit. Cum verò potiorem auri partem miſiſſet, gravi, lethalique preſſus ægritudine, uxori, filiuſ-

filiiſque præcepit, ut quod reliquum erat fideliter tranſmitti ſatagerent. Poſt ejus mortem hæredes debitum negantes, vel jam integrè ſolutum aſſerentes, ſe nil ultra daturos dicebant, imò in poſtulantes Fratres convicia, & minas jactabant. de his admonitus Pontifex eidem Comitiſſæ, ac filiis graves ſcripſit Epiſtolas, incipientes, *Ad illa potiſſimè prompti eſſe debetis, &c. Dat. Neapoli 14. Kal. April. Pont. Anno primo*. Quibus detentionem illam infamiæ nota dignam exageravit, eiſque in mandatis dedit, ut nunciis Cuſtodis, ac Fratrum Aſſiſienſium abſque dilatione facerent ſatis.

Aliud quid ſimile accidit, eodem Pontifice, anno 1260. Multi de Marochio fideles non modicam pecuniæ quantitatem collegerant, nunciiſque tradiderant, ut integram Cuſtodi Sacri Conventus aſſignarent, in ſubſidium inſignis ædificii Eccleſiæ, & Conventus ejuſdem S. Patris. Iter agreſſi nuncii, ob navigationis pericula, & Saracenorum incurſus, quò ſecuriùs rem agerent, ad quamdam Hiſpaniæ Civitatem appulere: ubi quibuſdam Januenſibus Mercatoribus cuſtodiendam pecuniam fiducialiter tradiderunt; qui eam in urbe prædicta recipientes, in qua negotiis vacabant, totam inhibi reliquere, rati ſe eamdem ſummam Januæ reddituros; quò cum perveniſſent fœdifragi homines dilationem quærere, tempus poſtulare cœperunt, priùs verba, poſtea & contumelias dantes. Tandem nil ejs debere renunciant; quin minas addunt, ni à poſtulatis deſiſtant. Cuſtos ad hæc, & Fratres ad Alexandrum recurrunt, factum exponunt, patrocinium implorant. Summus Pontifex mercatoribus ſcripſit, monens, ac mandans debiti ſolutionem. viri obedientiam negarunt. Alexander Archiepiſcopo Januenſi commiſit, ut debitores ad integram ſatisfactionem induceret infra terminum aſſignandum, quo elapſo, ſi contumaces fuiſſent, excommunicationis pœnam contrà eos quovis feſtivo die, in cunctis Eccleſiis, pulſatis nolis, ac cereis accenſis publicari juberet, & ſic uſque ad completam ſolutionem eos compelleret. Literas inſuper addidit Poteſtati, & Capitaneo Januenſibus, incipient. *In his, quæ ſunt digna fieri, &c. Dat. Later. Idib. Decembr. Pontif. an. 6.* quibus totum enarrat factum, eoſque monet, ac cogit, quatenùs Archiepiſcopo, ab eo requiſiti, impenderent auxilium, ac etiam auctoritate propria in contumaces animadverterent, quod tandem factum eſt.

Ad colligendas, exigendas legatorum pecunias, & copioſas eleemoſinas, quæ per omnes Umbriæ Civitates tam in bonis mobilibus, quàm ſtabilibus, à fidelibus piè, & liberaliter noſtræ deſtinabantur Eccleſiæ, ac domui, Summus ipſe Antiſtes Alexander Jacobum Samuelis, & Venturam Judicis, Cives Aſſiſiates, Procuratores, ac Syndicos inſtituerat. qui tamen ingentes in exactionibus difficultates patiebantur. Siquidem bonorum hæredes Religioſis ſatisfacturi opponebant, Minores Fratres paupertatis arctiſſimæ profeſſores, ac ipſorum Eccleſias ſuſceptionis, ac receptionis ejuſmodi redditiuum fore incapaces. Idem aliqui ſuſtinebant: Unde Civitatum Poteſtates jus contrà Procuratores, & Syndicos protulere. Summus Chriſti Vicarius ſingulis Provinciæ Poteſtatibus nominatim literas miſit, incip. *Cum dilectos filios Jacobum, &c. Dat. Anagniæ 13. Kalen. Octob. Pont. ann. 5.* declarans bona omnia mobilia, immobilia Eccleſiæ Aſſiſienſi S. Franciſci aſſignata, ad S. Romanam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam pertinere, cui ſoli illa ſubjicitur. Præcipit ergo, ut tam cives à ſe conſtitutos, quàm alios ab ipſis conſtituendos, ob ſedis Apoſtolicæ reverentiam habeant commendatos, eis auxilium, ac favorem impendant, nec ſinant à quibuſcunque circa commiſſi officii exequutionem impediri, vel moleſtari. Alexander itaque tot beneficiis

neficiis, privilegiis, indultis Sacræ Baſilicæ Collis Paradiſi ſe tutelarem, atque Patronum eximius Prædeceſſorum æmulator, oſtendit.

Urbanus, & Clemens Quarti Sacræ Baſilicæ privilegia confirmant, & augent.

TITULUS XXIX.

ALexandro è vivis erepto Urbanus ſucceſſit hujus nominis Quartus, qui ad Eccleſiarum Latinæ, & Græcæ unionem toto animo ſe convertit. Ad id Minoribus Fratribus Apoſtolicis Apocriſariis uſus eſt. Privilegium aliquod Sacræ Baſilicæ peculiariter ab Urbano conceſſum non invenimus; omnia privilegia, gratias, indulgentias à ſuis Prædeceſſoribus datas confirmavit Diplomate incipien. *Cum à nobis, &c. Dat. apud Urbem Veterem 4. Kal. Junii Pontif. ann. 1.* quòd ſi diutiùs vixiſſet, certè ampliores prerogativas eſſet largitus. Nam, ut in ipſius vita refert Ciacconius, cum anno Pontificatus tertio, hoc eſt 1264. dolor eum continuus invaſiſſet, planè ut exiccatis interioribus ne vocem quidem formare poſſet, ab Urbe Veteri diſcedens, Tudertum abiit, mox Dirutam, & cum hinc Aſſiſium pergeret, utique S. P. ſepulchrum veneraturus, & forſitan inſpecturus, vix duas itineris leucas emenſus fuerat, cum preſſis ob nimiam anxietatem viſceribus, breviori via per Pontem Peruſiam versùs lectica vectus fuit, cumque ad ſuburbium perveniſſet, in Monaſterio S. Petri Eccleſiæ Sacramentis munitus, in pace quievit: quique Franciſcum adorare cupiebat in terris, videre citiùs meruit (ut piè de piiſſimo Pontifice credendum eſt) cum Deo regnantem in cœlis.

Urbano, poſt quatuor Interpontificii menſes, Clemens IV. ſucceſſit, Peruſiæ Nonis Februarii 1265. electus; anteà Guido Groſſus, Epiſc. Sabin. Cardinalis, nobilis Gallonarbonenſis, Legatus Galliæ, abſens. Hic de electione admonitus, fœliciter rebus illius Regni compoſitis, Minorum habitu indutus, ut impii Manfredi Eccleſiæ hoſtis inſidias, quas ſibi in itinere paratas noverat, evitaret, incognitus, ſed incolumis Peruſiam pervenit; inde Viterbium cum Cardinalibus abiit, ubi Pontificatus ſuſcepit inſignia.

Pontifex hic Franciſcanam familiam in viſceribus habuit, ſed & illius Caput, & Matrem Eccleſiam prædilexit. Rogatus à Generalibus Magiſtro Sacri Ordinis Prædicatorum Jo: de Vercellis, & Miniſtro Minorum S. Bonaventura, Apoſtolicas eis dedit literas, incipient. *Obtentu Divini Nominis, &c. Dat. Peruſ. 2. Idus Febr. Pontif. ann. primo*, quibus, ut Religionem utramque à moleſtiis liberaret, quas aliqui ex Prælatis, Clericis, Laicis ei attulerant, ſub prætextu, quòd Fratres mundo mortui, proprium poſſidere nil poſſent, adeòque ab omni ſint hæreditate excludendi, declaravit, ut in temporalibus bonis, in quibus ſuccederent exiſtentes in ſæculo, licitè Fratres valeant & in Religione ſuccedere. patet in eiſdem literis.

Baſilicæ verò Aſſiſienſi, ad quam Peruſia initio ſui Pontificatus venerat, & admirabile S. P. Corpus in proprios ſtans, pedes inſpexerat, conceſſit, ut juxta illam, vel ejus limites loci ad trecentas cannas nulli Eccleſiam, Oratorium, Noſocomium, Monaſterium ædificare, vel inſtituere liceret, abſque ſpeciali Apoſtolicæ ſedis licentia. diploma Cuſtodi, & Conventui Aſſiſienſi di-

rectum incipit, *Clara merita ſanctitatis*, *&c. Dat. Peruſ. Non. Octobr. Pontiſ. Anno primo*.

Præterea viſitantibus Eccleſiam, in qua pretioſum Franciſci Corpus conditum eſt, in die ejus feſto, ac per octavam, cunctis Chriſti fidelibus annuatim annum unum, & 40. dies Indulgentiæ condonavit. Breve incipit, *Cum ad promerenda*, *&c. Dat. Peruſ. 5. Id. Octob. Anno primo*. Item Miniſtro Provinciali, Cuſtodi, & Conventui Aſſiſien. indulſit, literis *Datis Peruſ. 2. Kalend. Martii Pontiſ. ann. 2. incipien. Deſideriis veſtris*, *&c.* ut in Sacra Baſilica tempore univerſalis interdicti, in feſtivitatibus S. P. Franciſci, in Anniverſario Dedicationis, perque eorum octavas divivina officia ſolemniter celebrare valerent.

Sed & privilegia omnia à Gregorio IV. Baſilicæ, dum conſtrueretur, antequàm ad eam Sacrum S. P. Corpus tranſlatum eſſet, conciſtoriali diplomate attributa, confirmavit, aliaque tenoris ejuſdem conciſtoriali Brevi in ampliſſima forma ſtabilivit, ipſo Papa, & Cardinalibus omnibus tunc Peruſiæ exiſtentibus ſubſcripto, & ſignato. incip. *Is*, *qui Eccleſiam ſuam*, *&c. Dat. Peruſ. 17. Kal. Maii* 1266. quo Collis Paradiſi Baſilicam in fundo Sanctæ Sedi oblato conſtructam, prærogativa libertatis, & honoris donavit, ſub B. Petri, ejuſque ſucceſſorum immediato patrocinio ſuſcepit, eique ſoli ſubiectam ſtatuit. Caput, & Matrem illius Ordinis, quem S. P. inſtituit, haberi, & ibi per Fr. Minores perpetuò inſerviri mandavit. Privilegia ſimilis notæ in eodem Diplomate continentur, quæ omnia in ſuo perſeverant rigore; nam quotannis cenſus pro eis impoſitus à Fratribus Aſſiſienſibus Sedi Apoſtolicæ ſolvitur, in feſto SS. Apoſtolorum.

Cum autem non deſint qui dictis, & ſcriptis hæc privilegia audacter imminuere, & indirectè negare præſumunt, libet proinde ſingula ad trutinam revocare.

Privilegium immediatæ ſubiectionis Apoſtolicæ Sedi.

TITULUS XXX.

PRivilegia hactenus recenſita quidam non magni facientes, affirmant omnes Ordinum Regularium Eccleſias de jure communi Sedi Apoſtolicæ eſſe immediatè ſubiectas, adeoque ab Epiſcoporum, & locorum ordinariorum juriſdictione immunes, quod privilegio libertatis eſt frui: At rem non ſatis perpendunt. ſingularitas enim diplomatis ſingularitatem arguit privilegii, juxta regulas juris. Sancitum eſt à Summis Pontificibus Regularium Eccleſias omnes ad ſummam eorum poteſtatem immediatè ſpectare, ut eas ab aliorum auctoritate eximerent, & ab ipſis Regularinm Prælatis viſitari, ac dirigi poſſent, nec propterea ſingulæ Pontificiæ, & Patriarchales dicuntur Baſilicæ, & Sanctæ Sedis ſpeciales: quibus titulis paſſim hæc legitur à Pontificibus decorata, quæ nulli alteri, ſed ſoli Romano Pontifici prorſus ſubiecta eſt. Hanc propterea Provincialis Miniſter viſitare non poteſt, & Generalis Miniſter ipſe non niſi tamquam ſpecialis Delegatus Apoſtolicus viſitat: unde in actis Viſitationis Generalis hæc ſemper verba præſcribuntur, & præmittuntur: *Habitis priùs verbo ſpeciali*, *&* *aſſenſu Summi Pontificis*; ex quibus plurimi motu proprio, præter communes regulas, leges huic Eccleſiæ condiderunt, quas Superioribus Ordinis quibuſcunque, & Capitulis Generalibus mutare, vel irritare interdixerunt, quamvis Conſtitutionibus Ordinis adverſarentur, ut legentibus liquet. Hine evidenter convincitur, Chriſti Vicarios, nedum immediatam,

diatam, ſed & omnimodam, privativè quoad alios, exercuiſſe, & exercere in eam juriſdictionem, & auctoritatem.

Ob hoc ſuprema in Eccleſia Pontificium ſolium perpetuò erectum cernitur, in Chori medio, ex adverſo Majoris Altaris, ad quam aſcendere aliis Prælatis non licet. Extat & in templo intermedio Ambo marmoreus, qui (teſte S. Carolo Borromæo in ſuá inſtructione fabricæ, & ſupellectilis Eccleſiaſticæ) Baſilicæ ſolùm Patriarchali conceditur. Ibi Diaconus Evangelium ſolemniter populo decantare conſueverat, cum ſummus celebraret Antiſtes.

Ulteriùs propè ipſam Eccleſiam in altiori Cœnobii regione, ut diximus, Papales Ædes ab initio conſtructæ fuere, quò & Depoſitum fuit armorum, librorum, pecuniæ, rerum aliarum ad Apoſtolicam Sedem ſpectantium; conſtat ex variis Summorum Pontificum literis, qui ad ea reſumenda non ſemel Nuncios miſere, quæ Cuſtos, ac Fratres ſervabant. Imò anno Domini 1321. Jo: XXII. Summo Pontifice, Guelphos inter, & Gibillinos Aſſiſiates civili bello ſæviente, horumque vi prævalente, quorum Dux erat Mutius quidam Franciſci, Aſſiſias; Friderico Comiti Montis Feretri, Eccleſiæ, ac Papæ rebelli familiaritate conjunctus oſtia Pontificii theſauri ab ejus turba confracta ſunt, indeque pecuniæ, quæ pro Sede Apoſtolica ſervabantur, ereptæ: unde Civitas à Pontifice vinculo interdicti ligata fuit, eoque dein ſoluta pulſo à Guelphis Mutio, ac ei adhærentibus.

Ad ultimum annui cenſus nunquam intermiſſa ſolutio eaſdem prærogativas unicæ ſubiectionis, exemptionis, libertatis, aliaſque in Bullis expreſſas, non communes, ſed ſingulares oſtendunt.

Sacra Baſilica totius Ordinis Caput, & Mater peculiari dignitate appellatur.

TITULUS XXXI.

PRærogativam Capitis, & Matris noſtræ convenire Baſilicæ, eique à tota Religione attribui, juxta ſententias Pontificias omnia ex antiquioribus monumenta demonſtrant. Quoties Regeſtum aliquod legitur Provinciarum, Cuſtodiarum, Conventum, Locorum totius Ordinis, in capite ſemper legimus Sacrum Aſſiſienſem S. Franciſci Conventum, tamquam ſupremum omnium caput. Ita Vvadd. t. 4. ad ann. 1399. n. 11. univerſalem refert Catalogum ex m. ſ. Vaticano, ex codice impreſſo, ex monumento Aracælitano; in quibus primò ponitur S. Franciſci de Aſſiſio; dein locus S. Mariæ de Angelis; tertiò S. Claræ, deinceps ordinatè alii Cuſtodię Aſſiſienſis Conventus, & Loci, tamquam membra propinquiora ſub capite. Sic loci dignitas poſtulat, ut ea Eccleſia ſit mater, in cujus, velut ſponſæ, ſinu ſacrum recumbit Franciſci Corpus; e cujus vulneribus, ceu ex mammis, lac illud dulciſſimum ſacri cruoris ad cunctos alendos filios promanat. Hæc, inquam, à ſingulis Minoritis habenda Caput, & Mater, in qua ſanctiſſimus Parens, & Patriarcha moratur, qui eam ſibi domum elegit; recuſaret namque eſſe in corpore, renueret in filiorum numero computari, qui à capite ſe diceret alienum, vel hanc Patris Sponſam agnoſcere dedignaretur ut Matrem; Mater quippe, & caput illius Ordinis conſtituitur, quem S. P. inſtituit, ex duplici Apo-

ſtolicæ Sedis Conciſtoriali ſententia; quapropter qui eam reſpueret, non eſſet Ordinis à S. P. fundati.

Scriptores quidam ejuſmodi prærogativas alteri Eccleſiæ tribuentes, videntur, huic, cui legitimè, ac juridicè competunt, indirectè negare. Poſt Ordinis Franciſcani diviſionem omni ſtudio, & arte id attentare conantur. Eccleſiam Portiunculæ caput, & Matrem vocant, propria opinione, nulla Pontificum auctoritate ſuffulti, imò ei aliquo modo adverſantes. Sed almæ illi Ædiculæ, cui tot aliæ conveniunt, has præſtantias addere, æquum non eſſe liquet, qua in re ad veritatem eruendam, ac tenendam, parùm hic immorandum.

Duo capita corpori eidem tribuere monſtroſum eſt, binam matrem eidem proli aſſignare ridiculum. Vel ergo totius Franciſcani corporis caput, & univerſæ Minorum ſobolis mater hæc, vel illa cenſenda eſt. Summi totius Eccleſiæ Judices, Chriſti Vicarii, cum Sacro Cardinalium cætu, Catholicam dirigentes fidem, ſolemniſſimis Decretis juſſerunt, Collis Paradiſi Baſilicam in qua pretioſus aſſervatur theſaurus, ſanctum videlicèt corpus glorioſſimi Inſtitutoris, ac Patris, Caput, ac Matrem habendam. Parens ipſe Seraphicus tam proprio, quàm filiorum ſuorum nomine obedientiam, ac reverentiam Domino Papæ Honorio, ejuſque ſucceſſoribus vovit; ſuoſque Fratres pedibus S. R. E. ſemper ſubditos voluit. Fratres ergo Minores à S. P. inſtituti, & non ab alio, eam ſui Corporis Caput, & Matrem agnoſcere, ac confiteri tenentur, quam Eccleſia, & Sedes ipſa Apoſtolica præcipit agnoſcendam; ne dum particulari Matri adverſantur, univerſali etiam, ac ſupremæ contumaces reddantur.

Præterea Gregorius IX., qui primùs cum toto Eccleſiæ Senatorum Collegio præcepit Collis Paradiſi Baſilicam Caput habendam, ac Matrem, S. Franciſco viventi tali, tantaque fuerat familiaritate, & amicitia conjunctus, ut S. P. omnia ei ſui cordis arcana deſideria communicaverit, ſicut Papa ipſe teſtatus eſt in ſua, *Quo eleganti &c.* quam apud Vvad. videre placeat t. 1. ann. 1230. n. 14. fuit & Gregorius noſtri Ordinis primus Cardinalis Protector. Si ergo S. P. Franciſcus voluiſſet ſui Ordinis eſſe Caput, & Matrem Eccleſiam Portiunculæ, negotium tanti ponderis Amico, & Protectori, quem ſciebat Summum Pontificem mox futurum, communicaſſet, & Gregorius, qui in cunctis illi complacuit, oppoſitum, aut diverſum expreſsè non præcepiſſet. aut ſi S. Franciſcus hujuſmodi deſiderium illi non inſinuaſſet, hoc ipſi Fratres egiſſent, qui Patris intentionem ſatis optimè noverant. Ubi autem Hiſtoriæ Bullis Summorum Pontificum adverſantur, & præcipuè circa res ejuſdem temporis, ſunt prorſus rejiciendæ; nulla etenim major, quàm Chriſti Vicarii auctoritas.

Hinc dato, quod S. P. eam habuiſſet intentionem, de qua nullimodè conſtat, imò ejus humilitati incompetens eſſet, adhuc tamen cum Pontifex, quin tot Pontifices aliud juſſerint, ipſe, qui obedientiam Domino Papæ ſpecialitèr voverat, etiam proprium retractaſſet optatum.

Nec adverſantibus refragantur ea verba, quæ in Lectionibus propriis illorum Breviarii leguntur, videlicèt. *Quam idcircò Eccleſiam Portiunculæ vocari voluit, quod eſſet futura Caput, & Mater puſilli gregis Fratrum Minorum.* clarè enim conſtat, ea verba centùm circitèr ab hinc annis addita, & intruſa fuiſſe, & noſtrorum (fateor) injuria permiſſa. Antiquiora Franciſcana Breviaria ante diviſionem Ordinis m. ſ. quæ in Aſſiſienſi Bibliotheca ſervantur, de feſto Portiunculæ nullam omninò faciunt mentionem. alia poſt diviſionem impreſſa ſimplices continent Lectiones, nudam ex vetuſta relatione hiſtoriam referentes,

ferentes, quæ in Archivio noſtri Sacri Conventus extat originaliter. Quorſùm verò hoc nomine, Portiuncula, Caput, & Mater valeat deſignari, mea tenuitas non capit; potiùs enim parvam corporis portionem, quàm caput, totum eminenter continens, ſi de corpore agatur, ſignificat; ſi de generatione, potiùs filiolam, quæ parva portio eſt matris, quàm matrem ipſam videtur exprimere.

At memini me legiſſe in vita S. Benedicti à Patre quodam Caſſinenſi deſcripta; inter multa ex Sacris Larariis à prædicto Patriarcha in Territorio ſublaci erectis, præcipuum id extitiſſe, quod propè Villam, quæ Portiuncula dicebatur, B. Virgini dedicavit, ad cujus ſimilitudinem, inquit, Patres Benedictini, Subaſii montis incolæ, aliam conſtrui in Aſſiſis planitie curaverunt, quam & Portiunculam appellarunt, eamque poſtmodum S. Franciſco aſſignavere. Hinc ergò Portiunculæ nomen, non à capite, & matre derivatum eſt.

Ipſa Portiunculæ Eccleſia tribus fermè ſæculis ante Ordinis diviſionem ſubdita ſemper fuit Domui Aſſiſienſi, tamquam capiti membrum; clara ſunt m.ſ. referentia Aſſiſienſem Cuſtodem quotannis eam viſitaſſe: Fratres eo in Conventu degentes ſub illius obedientia vixiſse, Guardianum loci ab eodem Cuſtode, ac Patribus S. Conventus electum, ac deputatum fuiſſe; eleemoſinas omnes, tam in pecunia, quàm in cera, quàm in paramentis illi Ædiculæ oblatas, ad hanc ſupremam ſpectaſſe; eaque omnia per ſingulos annos, ſufficientibus relictis, ad Cuſtodis arbitrium Aſſiſium delata. Imò etiam poſt Ordinis diviſionem, quæ ſub Leone X. accidit, uſque ad Urbanum VIII. eleemoſinæ illi oblatæ, non ab Obſervantinis (inibi ab anno 1415. degentibus ex conceſſione eis à Conventualibus facta) ſed à Conventualibus ipſis, perpetuis Baſilicæ Aſſiſienſis Cuſtodibus ſumebantur. Præfatus autem Urbanus, qui eas ad Obſervantinos tranſtulit, ne hanc Eccleſiam antiquo omninò jure privaret, illos ad ſolutionem nummorum aureorum bis mille obligavit, quorum fructibus prædictas voluit eleemoſinas compenſari, quæ omnia omnimodam indicant, antiquam, perpetuam illius Sacræ Ædiculæ huic Patriarchali Baſilicę ſubjectionem. Quomodò ergo caput, & mater? nunquid ſub membri directione caput? ſub filiorum obedientia mater?

Vvadd. hac in re magis accuratè, quamvis non omnimodè ſe veraciter geſſit. tom. 1. ad ann. 1330. n. 2. ubi eadem referens privilegia à Gregorio IX. primitùs Collis Paradiſi Eccleſię, quę tunc conſtruebatur, conceſsa, & bullam addens, abſque tamen Papę, & Cardinalium ſubſcriptionibus, hęc ſcripſit. *Eccleſiam novam, quæ ædificabatur in Sancti Inſtitutoris honorem, denuò multiplici gratia, & favore affecit, exemptam faciens, quam anteà anno ſecundo ſui Pontificatus exemit à quacunque juriſdictione, ſibique immediatam, & totius Ordinis Caput, & Matrem conſtituit. verumtamen antiquitate caput eſt Conventus S. Mariæ Angelorum, & Mater ex inſtituta primitus ibi Religione: ſed Cœnobium hoc Pontificio privilegio utrumque habet dignitate, & auctoritate, & ex recondito theſauro præcellit.* hęc Vvadd. ſed quę de antiquitate, & prima inſtitutione aſſerit convenire Portiunculę, clarum eſt apud omnes hiſtoricos, apud ipſum Vvadd. t. 1. ad ann. 1209. & 1210. ad Rivitorti Ædiculam derivari, ut ſuo loco diffuſiùs ediſſeram.

Id poſtremò in hac materia obſervandum, quòd in publicis proceſſionibus pro hac Baſilica duę ſemper deferuntur, & delatę ſemper fuerunt, Romanarum more Patriarchalium Cruces, ſub quibus ante prędictam Ordinis diviſionem cuncti nedum tertii Ordinis fratres, ſeu de Pœnitentia, ſed & Patres noſtri

Re-

Reformati, modò de Obſervantia nuncupati, incedebant: ſub quibus adhuc crucibus Patres Capuccini ab ipſorum inſtitutione uſque ad diem præſentem conveniunt, & convenire volunt, dignitatem capitis, & matris, tamquam veri S. P. filii agnoſcentes.

Aptiſſimè hujuſmodi privilegia Sacræ Baſilicæ congruunt; cum nempe totum Minoricum corpus ſemper ſubditum, & ſubjectum S. R. E. pedibus juxta fundatoris regulam eſſe debeat; Eccleſiam illam, quæ hujus corporis caput, & mater à filiis habenda eſt, ſub immediata ſpeciali ſubjectione, & protectione S. Petri, Sediſque Apoſtolicæ conſtitui dignum erat; ut Capite, ac Matre mediantibus totum corpus ſubditum ſemper agnoſceretur, ac protegeretur à viſibili capite Eccleſiæ, Chriſti Vicario, & ab univerſali Matre, quæ eſt Romana Eccleſia, foveretur.

Sacra Baſilica perpetuò à Fratribus Minoribus excolenda.

TITULUS XXXII.

IDipſum Gregorius Nonus ſanxerat in conciſtoriali Diplomate, anno 1230. cum adhuc Eccleſia conſtrueretur. Exinde colligi liquet, in tanta Franciſcani Ordinis partitione, qui ſint primævi Fratres Minores, & Seraphici Patriarchæ primogeniti Filii. Neminem latet, poſt ejus obitum primo illo ſæculo unicum extitiſſe ſub unico Generali Miniſtro Minoricum inſtitutum, cui ſacrum Parentis corpus creditum eſt, & Eccleſia ab Apoſtolica Sede tantæ prolis agnita mater extitit aſſignata. Quintum ferè ſæculum currit, ex quo iidem Minores Fratres Baſilicam incolunt, & tumulum admirabilem poſſident; nec tamen legimus ab eis deſertam, aut ab aliis aquiſitam, aut alterius inſtituti fratres, prioribus expulſis, fuiſſe inductos. Bullæ, quibus hæc perpetua ſervitus Fratribus à S. P. inſtitutis commiſſa fuit, revocatæ non ſunt; imò ſingulis annis ſolutione cenſus perſpicuum eſt confirmari. qui ergo inibi perſeverant, Conventuales, ad diſcrimen aliorum, vocati, primi ſunt ex Minoribus Fratribus, paternæ, maternæque hæreditatis legitimi, ac perpetui poſſeſſores. A quibus etiam quæ nunc poſſident ſacra loca Patres Reformati, ſeu Obſervantes habuere. Nam ſub anno 1515. Conventuales ipſi ſacram Portiunculæ Ædiculam eis conceſſerunt, quam ducentis annis tenuerant; ſicut poſtmodùm anno 1430. ſacrum Alverniæ montem, aliaque ex diverſis locis tamquam dilectis Filiis tribuerunt.

Ad hujus privilegii manutentionem ſępiùs laboraverunt PP. Conventuales, quin adversùs deturbatores Aſſiſiatum civium, defenſionem, & Summorum Pontificum juſtitiam ſint experti. Non ſemel ſacram Domum invadere, illoſque expellere vi, aut fraude quidam conati ſunt. At S. P. cui complacuit puſillo ſuo primo gregi Regnum dare, nunquam ab eo ſeparari permiſit. Adverſitates, perſequutiones, jacturas non mediocres ad humilitatis, patientiæ, mortificationis exercitia eos pati voluit, qui aliquando vel propheticum illud dicere potuerunt, *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti*. Piiſſimus tamen Parens nunquam prędilectos Filios à ſua excluſit Domo; nunquam à ſe, nunquam à ſua Sponſa, ab Eccleſia, inquam, eorum matre expulit; ſed illorum obſequio delectatus, ſemper cum primis natis manere voluit.

Hinc anno 1520. ſedente Leone X. die prima Auguſti Religioſorum quorumdam

rumdam maxima multitudo Conventum ingreſſa (Conventualibus interim Eccleſiæ cultui, & Sacramentorum adminiſtrationi intentis) Cęnobium percurrere, Capitaneo, quòd ad rumorem occurrerat, contumelias jacere, militibus verbera; vulnera lethalia infligere, tumultuosè clamare, hinc curſitantes, & inde: noſter eſt locus: Conventuales diſcendant, temerariè auſi ſunt. Hi periculum advertentes, implorato Seraphici Patriarchæ auxilio, aggreſſoribus reſiſtentiam fecere, & à Civibus adjuti vim vi licitâ repulerunt. Res ad Summum Pontificem fuit delata, qui Cardinalibus B. Epiſcopo Sabinenſi, & F. de Urſinis cauſæ examen commiſit, peractoque proceſſu, qui Romæ in Archivio Pontis Sixti apud Generalem Conventualium Procuratorem originaliter aſſervatur, Leo ipſe, parùm alioquin Conventualibus favorabilis, pro juſtitia, ad compeſcendam obſeſſorum audaciam decrevit, Aſſiſienſem S. Franciſci Baſilicam, ſpeciali titulo Apoſtolicę Sedi immediatè ſubiectam, ad Conventuales perpetuò pertinere, eoſque ſemper in illa manutenendos. Alios referre poſſem eventus, quos modeſtia detentus omitto.

Reliqua Diplomatis privilegia expenduntur.

TITULUS XXXIII.

AD libertatis, & honoris prærogativam, quam almæ noſtræ Baſilicæ conceſſit Apoſtolica Sedes, quæ ſubtexui privilegia pertinent, quorum licèt plura ab omnibus Regularium Eccleſiis fuerint poſtmodum per extenſionem participata, huic tamen primitùs inter Minoricas, & principaliter, velut capiti, ſingulariſſimo modo conceſſa apparent. Præcipua ſunt; ne quis audeat in eam excommunicationis, vel interdicti pœnam promulgare: ut infra clauſuras locorum, ad ipſam, ejuſque Fratres pertinentium nemo præſumat rapinam, ſeu furtum patrare, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè capere, aut interficere, vel violentiam exercere: ut nemo audeat præfatam Eccleſiam quomodolibet perturbare, aut ejus bona auferre, aut ablata retinere, minuere, ſeu quibusvis vexationibus fatigare: ſed ut omnia integrè conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione, & ſuſtentatione ſunt data, uſibus omnimodis profutura. Alia ſuo loco legere quivis poterit.

Ad omnium privilegiorum, & jurium firmitatem, ac robur, prout in prædictis literis, Summi Pontifices, & Cardinales in contravenientes pœnas graviſſimas addiderunt; privationis ſcilicet cujuſcunque poteſtatis, dignitatis, honoris, alienationis à corpore, & ſanguine Jeſu Chriſti, & in extremo die divinam ultionem. Servantibus autem jura omnia ſacræ Baſilicæ facta, Salvatoris pacem in hac vita, & portionem in viventium terra augurati ſunt.

Caveant ergo cujuſvis conditionis perſonæ, ne dictis, ſcriptis, factis, directè, & indirectè præjudicium aliquod Sacræ huic Baſilicæ, aut Domui inferant, aliter pœnas comminatas certò incurſuros ſe ſciant. Caveant, inquam, omnes, ſed peculiariter, qui Franciſci ſe Filios dicunt, & hoc titulo gloriantur, Franciſcanam Aſſiſienſem Eccleſiam verè caput, verè Matrem agnoſcant: eam fateantur tot prærogativis, privilegiis, honoribus à Sede Apoſtolica decoratam. Sic Summis Pontificibus obedientiam, ac reverentiam præſtabunt, S. R. E. omnimodam ſubiectionem profitebuntur, & æternæ mercedis conſequutione digni reperientur.

Eadem

Eadem privilegia à Sede Apoſtolica confirmantur.

TITULUS XXXIV.

PRædeceſſorum exemplo, ac propriæ devotionis affectu certatim Summi Pontifices ſtuduere, ut privilegia Almæ Collis Paradiſi Pontificali eorum Baſilicæ conceſſa nedum firmarent, ſed & augerent.

Nicolaus IV. Apoſtolicis literis incipient. *Præclara glorioſiſſimi Confeſſoris,&c.* Cuſtodi, ac Fratribus Aſſiſien. directis, hæc habet. *Nos propter ipſius Sancti reverentiam, volentes prædictam Eccleſiam, quæ totius Ordinis veſtri caput exiſtit, & Mater, ſpecialitèr honorare, Eccleſiam ipſam, quæ nulli, niſi Romano Pontifici eſt ſubiecta, & totum locum ipſius, cum pertinentiis ſuis, nullus omninò valeat perturbare, &c. Dat. Reate. 2. Id. Maii, Pont. ann. 1.*

Sixtus IV. in Bulla incip. *Quamvis Altiſſimus, &c. Dat. Aſſiſii 8. Kal. Septemb.* 1476. ſic ſcribit. *Eccleſia ipſa, quæ inter alias Eccleſias domorum dicti Ordinis re, & nomine obtinet Principatum*. Ex quo claret, Apoſtolicam Sedem, ultra Matris, & Capitis dignitatem, inſuper aliam Principis omnium Eccleſiarum Ordinis Minorum dediſſe. Sed & Bonifacius IX. in Conſtit. incipient. *Alma Domus B. Franciſci. Dat. Romæ Non. Octob. Pontif. ann.* 4. alio non minoris ponderis titulo eam inſignivit, ſubdens; *quæ lapis fundamentalis exiſtit totius Ordinis Fratrum Minorum.*

Ne tamen omnes ſingillatim hic referam, ac tædio lectores afficiam, unius Clementis VIII. ampliſſimum Diploma percurrere ſatis ſit; incip. *In Apoſtolicæ dignitatis culmine, &c. Dat. Romæ Non. Septemb.* 1602. quo confirmavit omnia, ſingula privilegia, indulta, libertates, exemptiones, prærogativas, facultates, favores, gratias tam perpetuas, quàm ad tempus eidem Domui, Cuſtodi Fratribus à prædeceſſoribus ſuis, & nominatim ab Innocentio 4. Clemente 4. Nicolao 4. Gregorio 9. Gregorio undecimo, Nicolao 5. Alexandro 4. Bonifacio 9. Caliſto 3. Pio 2. Gregorio 13. aliiſque conceſſas. Quoties enim Fratres Minores, ejuſdem S. Baſilicæ cultores perpetui S. Sedem pro privilegiorum confirmatione rogarunt, toties munificentiſſimè collata obtinuerunt.

Ad hæc ſpectat, quod anno 1690. dum in S. Conventu, licèt indignus, Cuſtodis munus obirem, mihi accidiſſe memini. Quædam obſervabam præludia, ex quibus facillimè graviſſimum prejudicium S. Baſilicæ proximè inferendum prænoveram. ut opportunè occurerem, Romam me contuli. Ibi à Summo Pontifice, tunc Alexandro VIII. perbenignè exceptus, dixi. Mihi, S. Apoſtolicæ Sedis in Baſilica Aſſiſienſe, quæ nulli poteſtati ſubdita eſt, miniſtro, onus incumbere, ſummum præmonendi Rectorem de his, quæ in præjudicium indemnitatis ejuſdem Eccleſiæ verti poſſent. Negotium expoſui. Reſpondit Pontifex, optimè ſe callere Eccleſiam illam ſpecialiſſimè ad S. Sedem ſpectare, quapropter eam ſibi maximè charam ab omni intendebat præjudicio immunem. Ad hæc plurium Eminentiſſimorum examini cauſam expoſitam, & commendatam commiſit, quæ anno ſequenti ſub Pontificatu Innocentii XII. juxta meum votum eſt abſoluta, & juſſu ejuſdem Pontificis Decretum exequutioni mandatum. Ad particularia non deſcendo, ne proximis injurius videar. Satis pro nunc oſtendiſſe, quàm

gra-

gratioſè ſemper inſpecta, & beneficiis locupletata fuerit à S. Sede Sacra hæc Domus, omnium aliarum Franciſcanæ familiæ caput, Mater, Princeps, Lapis fundamentalis.

Fabricæ conſervationi à S. Sede Apoſtolica providetur.

TITULUS XXXV.

COpioſis pecuniarum largitionibus, quas Summorum Antiſtitum munificentia, & populorum devotio obtulerat, brevi temporis curſu tam ingenti, admirandoque ædificio manus ultima impoſita eſt. At ne temporis iniuria liberetur, in hoc tota fuit Apoſtolica Sedes, ut conſervationi in poſterum, ac futuræ tantæ molis reſtaurationi provideretur.

Nicolaus ſiquidem IV. ann. 1288. in literis, *Reducentes ad ſedulæ, &c. Dat. Reate Idib. Maii, Pontif. anno* 1. ſtatuit eleemoſinas omnes à fidelibus oblatas, & offerendas in Eccleſia S. Mariæ Angelorum conſignandas Miniſtris, Cuſtodi, Fratribus S. Franciſci in Civitate degentibus, ad conſervationem, reparationem, ornamentum Eccleſiæ, & Domus, quò ſacrum corpus Sancti ejuſdem quieſcit. Hoc privilegium abſque jurgio uſque ad annum 1417. ſervatum eſt, quo tempore Fratres Conventuales Aſſiſii etiam Portiunculæ Eccleſiam incolebant. Eodem verò anno Conventuales Portiunculæ Ædiculam Patribus Reformatis aſſignavere, qui nunc de Obſervantia nuncupantur, à F. Paulo de Trincis Fulginate Laico paulò anteà exorti. hi locum ea conditione acceperunt, ut eleemoſinæ omnes, pecuniæ, ceræ, paramenta prædictæ Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum oblata conſignarent Cuſtodi, & Miniſtris S. Aſſiſienſis Conventus, relicta ibi, ad Cuſtodis ejuſdem arbitrium, & judicium, & ceræ, & paramentorum ſufficienti portione; quod & ſervatum fuit à Reformatis: tunc enim proteſtabantur, velle ſe regulam ſervare ad literam, abſque gloſſa, abſque privilegiis, ut erat mens F. Pauli eorum inſtitutoris, ideoque nunquam ſe pecuniam recepturos, nec per ſe, nec per interpoſitas perſonas; ſed Conventualibus privilegiatis, à quibus Sanctuarium recipiebant, & ſub quorum obedientia vivere promittebant, penitùs relicturos. Et id nedum ad parendum Pontificiis juſſis, ac oſtendendum benefactoribus, & ſuperioribus ſuis gratitudinis debitum, ſed ut Regulæ paupertatem abſque ullo privilegio ſervarent. Cum verò à Communitate, ſeu Conventualitate Ordinis ſeparari cæpiſſent, & proprios habuiſſent Vicarios, tentaverunt ab Apoſtolica Sede aliquam ex pecuniis oblatis partem ſibi concedi: unde anno 1454. à Nicolao V. Breve obtinuerunt, quo Minoribus Fratribus Sacri Conventus iniungebatur, ut pro ædificatione cujuſdam Dormitorii pro una tantùm vice illis ſolverent florenos centùm, & ad ipſum Nicolaum recurſum habuere, qui veritate privilegii, & initæ conventionis comperta, præfatum ſuum Breve, tanquam obreptitium revocavit, & nullius roboris declaravit, & Minores Fratres à ſolutione reliquorum ducentorum abſolvit. Literæ revocationis hujuſmodi, Cuſtodi, ac Fratribus Conventus Aſſiſienſis directæ, incipiunt, *Mandavimus dudum. Dat. Romæ die* 16. *Februarii* 1454. diligenter ſervatæ.

Succeſſivè à Callixto III. PP. Reformati, nunc modernę Obſervantię obtinuerunt pro eo anno 1457. ex oblationibus eiſdem ducatos quadraginta ſibi aſſignandos, vigore Brevis incipientis, *Decet, & convenit*. *Dat. Romæ Id. Septemb. ejuſdem anni*. Sed Pius II. Callixti ſucceſſor, ſuis literis incipient. *Vidimus literas*. *Dat. Florentiæ die 1. Maij* 1459. illud Breve revocavit, nullius eſſe valoris decrevit, & omnia Eccleſiæ S. Franciſci applicanda juſſit. Similia tempore Leonis X. & Gregorii XIII. evenere, ut ex eorum Conſtitutionibus ſuo loco ponendis patet.

Ultrà præacceptas proviſiones Sixtus IV. obſervans Fabricam ex parte Occidentali minitari ruinam, excitari, & perfici juſſit profundum, excelſum, ampliſſimum ex ſolido ſecto lapide ſuſtentaculum, in quo accedente Ægidii Cardinalis Albernotii liberalitate, plurima aureorum millia impendit. Idem principale impluvium reſtaurari, & ad formam præcepit elegantiorem reduci. Ulteriùs, ut futuræ conſervationi conſuleret, plenariam perpetuam Indulgentiam, & per modum Jubilæi omnibus fidelibus conceſſit eam Eccleſiam viſitantibus in anniverſario corporis S. P. Franciſci Tranſlationis ad illam die, confeſſis, abſolutis, & hujuſmodi conſervationi manus adiutrices porrigentibus; diploma incipit. *Quamvis Altiſſimus*. *Dat. Aſſiſii* 1476. 8. *Kal. Septemb.* lectu digniſſimum. Præcepit inſuper ſolemnia Tranſlationis ejuſdem quotannis perſolvi ſecunda poſt Pentecoſten Feria, ut ex ejus Bulla, *Dignum reputantes*. *Dat. Romæ* 4. *Non. Febr.* 1478. Cuſtodi, & Fratribus Min. Aſſiſ. directa.

Collis Paradiſi ſacris decoratur Reliquiis.

TITULUS XXXVI.

AD optimam hujus Sanctuarii coronidem additæ ſunt celeberrimæ Chriſti Domini, B. V. Præcurſoris Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, S. P. Franciſci, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum Reliquiæ, quas ferè omnes Summi Pontifices, aut magni nominis Principes donavere.

Gregorius IX. anno 1220. pro tranſlatione ſacri Depoſiti à Templo Sancti Georgii ad hanc à ſe fundatam Baſilicam, Crucem miſit in majori Ara exponendam, ex divino ligno compactam, valdè notabilis quantitatis, duplici tranſverſam aſſerculo, ad inſtar Patriarchalis, aurea majori cruce clauſam, ut priſca referunt monumenta: nunc verò in ampliori argenteo tabernaculo per lucidam apparens cryſtallum, ſervatur. Extat & alia ejuſdem ſalutiferi ligni particula, quam magnus quidam Conſtantinopolitanus miles dono miſit.

S. Ludovicus Galliarum Rex, dum anno 1260. ſacram peregrinationem perageret, Aſſiſium veniens, integram ſpinam ex corona Redemptoris avulſam Baſilicæ ſui S. P. donavit; extat in tabernaculo ex auro obrizo ſuper cylindros Zileni lapidis, qui ſuper baſim pariter auream eriguntur, & per ſpecilla circumquaque coagmentata conſpicitur. Fratres verò Sancto Regi cervical cannabaceum dederunt, ſuper quod paleis repletum S. P. moriturus caput reclinaverat. Hæc Reliquia in S. Pariſienſi Capella regali honorificentia aſſervatur.

Ni-

Nicolaus V. cum anno 1454. Aſſiſium veniſſet, & S. P. corpus mirabiliter ſtans obſervaſſet, extremitatem, ſeu cuſpidem ferrei clavi, quo Cruci affixus fuerat Dominus, quadrato argenteo conditam tabernaculo, per cryſtallos ſpectabilem dono dedit.

Sixtus IV. viſo ſui S. P. admirabili exuvio, inter inſignes reliquias, quas Roma Aſſiſium detulerat, largitus eſt oram manicæ purpureæ veſtis, qua Salvator pro nobis paſſus, indutus fuit, argenteo, latoque Tabernaculo extenſam, perq; cryſtallinum operculum clarè inſpectam. Inſuper partem inconſutilis veſtis Salvatoris ejuſdem, argenteo, & inaurato vaſe reconditam.

De ſacro S. Dei Genitricis velo ſequenti titulo peculiariter dicam.

Clemens IV. Aſſiſii degens anno 1266. viſo S. Patriarchæ Depoſito, alia inter munera vaſculum obtulit, ex lucidiſſima montis cryſtallo ad inſtar Crucis affabrè expolitum; cujus in medio argenteus eſt cuniculus, ibique puriſſimum B. Virginis lac reconditur. Nunc cryſtallus ipſa in ſinu amplioris argentei tabernaculi collocata conſpicitur. Dedit inſuper de veſte, cingulo, capillis ejuſdem Dei Genitricis, alio vaſe argenteo repoſitis.

Innocentius IV. cum anno 1252. Eccleſias, & Cœnobium dedicaſset, ſub ampliſſima Aræ majoris menſa, & unico expolito perlucido marmore compacta, & elegantiſſimis columellis innixa, in medio aliam, & grandiuſculam quidem columnam erigi juſſit, in qua Pontifex ipſe S. Jo: Baptiſtæ coſtam, quam à Civitate Januæ attulerat, pretioſo vaſe, cum aliis Sanctorum reliquiis, velut in ſacro puteo, recondidit.

In argentea capſula clauduntur duo digitorum articuli Ss. Petri, & Pauli Apoſtolorum Principum. In plano, ac pulcherrimo Tabernaculo pars cutis S. Bartholomæi Apoſtoli extenſa cernitur. In aliis, iiſque pretioſis Reliquiariis cæterorum omnium Apoſtolorum Anacleta ſervantur. Quas omnes Sixtus IV. ad ſuam Baſilicam, & Conventum, cujus extiterat Filius, ex Urbe attulit. Qui dein Romam reverſus, per Magiſtrum Franciſcum Sampſonem Generalem Miniſtrum miſit ſacra Lipſana Sanctæ Annę Matris ſanctiſſimæ Matris Chriſti, S. Mariæ Magdalenę, S. Catherinæ V. & M. S. Blaſii Epiſcopi, & M. aliorumque ex Sanctis, quæ aureis, argenteiſque thecis condita ritè cuſtodiuntur.

In argentea, & quidem magni ponderis capſula ſunt oſſa integra brachii S. Staniſlai Epiſcopi, & M. à Cracovienſi Capitulo ad hanc Eccleſiam tranſmiſſa, ob ſolemnem ejus S. Præſulis Canonizationem inibi ab Innocentio IV. celebratam, de qua ſupra Tit. 23.

Adſunt tria argentea ſimulacra, quæ capita, & pectora ſuper ſuas baſes referunt, in quorum uno tria capita, in aliis ſingula clauduntur quinque ex Sanctis Virginibus, & Martyribus Divę Urſulæ ſociis. Hæc a quodam Reverendiſs. Patre Soc. Jeſu Generali huc allata noſtri ſeniores teſtantur.

Caput S. Gereonis mart. qui Thebanæ legionis miles extitit principalis, à Sereniſſimo quodam Sabaudiæ Duce huc tranſmiſſum, capſa argentea ſervatur.

Sixtus IV. tres Iconas dedit, S. Lucæ manu depictas, quarum una B. Virginem puerum Jeſum brachiis gerentem, alia eamdem B. V. Filium è Cruce depoſitum gremio ſuſtinentem, tertia Salvatoris effigiem rapræſentant, cui ſimillima videtur Salvatoris Imago, quę in Lateranenſi Sanctuario adoratur.

In Oſtenſorio Argenteo extenſum apparet corium, quod S. P. Franciſcus deſuper lateris vulnus, vel ad illud tegendum, vel ad dolorem mitigandum ferebat. Hoc in medietate ſciſſum, & ſanguine congelato aſperſum plagæ figuram oſtendit; unde in ſolemniis Sacrorum Stygmatum per Civitatem proceſſionaliter circumfertur.

Argentea capſula capit calceamenta molli ex materia conſuta, quæ S. P. F. poſt impreſſionem Stygmatum deferebat, quibus & ſanguis congelatus introrſum adhæret. Calceoli lanei manibus S. Claræ intexti, & Beato Patriarchæ miſſi ad Stygmata pedum tegenda, qui & ſacro cruore conſperſi apparent, theca pretioſa clauduntur.

Cilicium ex nodoſa chorda cameli pilis ad inſtar loricæ textum, quo nudam carnem S. P. veſtiebat, capſa argentea reconditur.

Alba ex lana Tunica, qua indutus S. P. deceſſit, ampliori arca argentea cuſtoditur. Introſpicitur ſanguis à ſacro lateris vulnere effuſus: Hanc B. Jacoba Romana funeralia inter paludamenta ab Urbe ad hanc Civitatem attulerat.

Caputium S. P. figuræ rotundæ, ſcapulari ſtricto, oblongo, in extremitatibus plano in lignea capſa, quam tela argentea coraliis, & auro affabrè acu picta cooperit, conſervatur.

In ſecretiori Sacrario reconditum eſt Originale Diploma Regulæ, quam S. P. ab Honorio III. confirmatam accepit in ampla membrana exaratum; quod à pietate Franciſci Cardinalis Barberini Senioris in ampliori argenteo conditorio extenſum ſub prægrandi cryſtallo conditum fuit; unde facilè legi poteſt. incipit. *Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis F. Franciſco, &c.* diffuſè totam continet Regulam, addita confirmatione, cum plumbeo ſigno. quidam ex idiotis aſſerunt, hanc Regulam manu F. Leonis, Deo dictante, conſcriptam; at evidentiùs patet, eſſe Apoſtolicam Literam, & characterem alicujus Cancellarii: cum tamen S. Inſtitutor inter vivos agens, ſemper illam ſecum habuerit, hinc tanquam Religionis fundamentum, ac paternæ dilectionis pignus, inter præcipuas Sacri Conventus divitias, ac delicias æſtimatur.

Ampla ex argento theca extenſam continet Benedictionem, quam S. P. proprio charactere in membrana exaravit, ſignavitque ſigno Tau, ac F. Leoni inter diſcipulos prædilecto tradidit, ut Dæmonis tentationes repelleret. ibi minoribus rubeis literis ejuſdem F. Leonis hæc atteſtatio legitur. *Iſtam Benedictionem ſcripſit manu ſua B. Franciſcus mihi Fratri Leoni.* in calce fecit, & ſignum Tau, cum ſuo capite.

Involutam Syndonem ſericam, aureis floribus arte Phrygia exornatam videre eſt, in qua S. Franciſci corpus in Eccleſia S. Georgii quatuor ferè annis permanſit, quam etiam B. Jacobá ad decorandum ſacrum funus detulerat.

Baſis argenteæ ſtatuæ accludit chordam, quam S. P. nudos ſuper lumbos geſtabat.

Excelſam ex perpolita cryſtallo Crucem, in cujus medio particula cernitur ſalutaris noſtræ Redemptionis ligni, S. Bonaventura Doctor Seraphicus, dum eſſet Generalis, & univerſalia Ordinis Comitia Aſſiſii celebraret, donavit.

Vas portatile aquæ luſtralis ex unico pretioſo achate confectum, & aſpergillum argenteum, quo S. Ludovicus Epiſcopus Toloſæ utebatur, ipſemet huic Sacrario dedit, cum ad venerandum S. P. Corpus veniſſet.

Perampla ſexangularis tabula quadratam ſuper baſim erecta, undique cælaturis, & anaglyphis in coronide præcincta, utraque ex parte ſanctiſſimo Jeſu Nomine à S. Bernardino Senenſi, cum in Collis Paradiſi Baſilica concionaretur, deſcripta, publicæ adorationi expoſita eſt. Nunc verò in Lario S. Jo: Baptiſtæ eleganter ornato propè Sacrarium clauditur, ſub tranſparenti velamine, & maxima devotione percolitur.

Innu-

Digitized by Google

☞ Innumeræ aliorum Sanctorum Reliquiæ, quas longum foret ſingillatim referre, ad tantum theſaurum locupletandum concurrunt.

De Sacroſancto Velo præcelſæ Dei Genitricis.

TITULUS XXXVII.

CÆleſtes inter divitias, quibus hujus Terreſtris Paradiſi gaza redundat, à fidelium pietate ineſtimabiliter colitur ſacrum velamen, quo B. Dei Genitrix Virgo capite tegebatur, quoque in antro Bethlem infantem Jeſum involuit. Hoc ad noſtrum Sanctuarium modo admirabili perveniſſe vetuſtus indicat codex, quin & muta picturarum hiſtoria ſatis exprimit, ex quibus omnia ferè ſub hoc Titulo contenta decerpſi.

Dominus Thomas Urſinus, nobilis Romanus, Comes Manupelli, cum adhuc juventa floreret, Dux Italicæ Claſſis in expeditione contrà Saracenos, defuncto S. Ludovico Francorum Rege pro Terræ Sanctæ recuperatione, captivum tenuit quemdam ex Saracenis Damaſci Præpoſitum. Hic, ut libertatem redimeret, victori ſpopondit, theſaurum exhibere, quem Chriſtiani pretioſiſſimum reputarent; Velum ſcilicet, quo Maria Filium ſuum jam natum involuerat, quod ipſe inter Eccleſiæ Jeroſolymitanæ ſpolia acceperat, & apud ſe quàm diligenter tenebat. Urſinus adhæc libenter, inquit, aſſentiar, dummodò id verum eſſe firmiſſimis rationibus comprobes. Cum captivus pretioſam obtulit capſulam, in qua unà cum ſancto Velo literæ teſtimoniales aderant antiqui Patriarchæ Jeroſolymitani. Comes tam digno pretio ſumpto, captivum Saraceuum libertati donavit. Tandem expleto bello, compoſitiſque poſt varios exitus, cum Saracenis rebus, dux ipſe Thomas Romam ſua cum claſſe redibat: at non procul à Cretenſi mare, oborta ingenti tempeſtate, cum nautæ, ac milites mortem jam jam imminentem timerent, ille protinus Velum è ſua capſula extraxit, contra aerem expandit, Mariam vocavit, cœteris omnibus Matrem miſericordię invocantibus: cum diſſipatis illicò nubibus, quieſcentibus ventis, demiſſis fluctibus, aeri ſerenitas, ponto tranquillitas rediit.

Romam reverſus, animo diu revoluit, qua in Eccleſia theſaurum illum reconderet; at dubio perſeverante, adhuc apud ſe retinebat; cum gravi oppreſſus morbo, in vitæ diſcrimine Deum enixè precatus eſt, ut locum deſignaret, in quo ſervandum vellet ſacrum illud operculum. Nocte dormitans vidit in ſomniis S. P. Franciſcum, ſibi ſpecialiter advocatum, dicentem: Thoma ſanaberis: ſi Velum Virginis, mihi deſtinatum, meæ Aſſiſienſi Eccleſiæ dederis. Manè viſionem adſtantibus narravit agnatis, qui tanto privari theſauro nolentes, ſuadere cœperunt, viſionem illam non veritatis myſterium fuiſſe, ſed ſomnium. Ingraveſcebat ægritudo cancri ejus pectori inhærentis, cum S. P. illi ſecundò apparens, eademque repetens, addit, alioquin morieris. reſpondit, promitto; & expergefactus deliberatè ſpondet ſe adimpleturum. En ſtatim pręter ſpem phyſicorum valere cœpit, & in ſanitate nondum firmatus, Aſſiſium verſus, nobili ſodalitio ſociatus, iter agreditur. jam ſanus eò pervenit, die 11. Martii 1320. ſedente Jo: 22. Cuſtodem, & Fratres in Eccleſia convocari petiit, ubi coram omnibus ante Aram maximam genuflexus, gra-

gratiam S. P. agens, capſulam protulit, & aperuit, Velum oſtendit, omnia, quæ evenerant, diſtinctè enarravit, in eademque incluſum arcula conſignavit, ac votum ſolvit. Tres ad id convocati fuerunt Notarii, Petrus Pucciatellus, Honuphrius Lutius, Nicolaus Lutius, qui teſtibus adhibitis eodem die, ad perpetuam rei memoriam, ſolemni inſtrumento totam facti ſeriem deſcripſere. Cuſtos tunc temporis erat F. Philippus Baciucci S. T. D.

Sacro munere jam recepto, Fratres in ſecretiori Sanctuario, & in ejus honorificentiori loco, pluribus ſub clavibus condiderunt, ubi adhuc ſervatur.

Devotionem populi nedum Aſſiſiatis, ſed & exterorum erga ſpecialiſſimum hoc divini Pueri, & puriſſimæ ejus Matris amoris pignus, nemo ſatis concipere, aut exprimere poſſet. Bis tantùm quolibet anno, innumeris populis, ex ſingulis Vallis Spoletanæ Civitatibus, Oppidis, ac Suburbiis concurrentibus, palam oſtenditur. In Feſto B. V. ab Angelo Annunciatæ; quo die ſolemni proceſſione ad Eccleſiam Portiunculæ à PP. Conventualibus fertur; portant Arcam, in qua clauditur, quatuor Levitæ Dalmaticis induti, ſub Baldachino. muſici præeunt; militum copiæ circumeunt. ſuper majorem illius Eccleſiæ januam in excelſo Propylæo ad id ædificato, poſt ſermonem à Concionatore Conventuali habitum, priùs coram populo intra Templum, dein multitudini in latiſſima platea extra, & ante Eccleſiam ſtanti, à P. Cuſtode Sacri Conventus pluviali induto, ſpectandum exponitur, ac ter benedicitur. Mirum, tantam numeroſitatem, dum ſacrum panditur Velum, in profundo ſilentio genuflexam procumbere; ſtatim verò ac elevatur, omnes unanimiter exclamare, Deique implorare miſericordiam. Vidi egomet non ſemel DD. Cardinales, Epiſcopos, Prælatos, ac Magnates adſtantes tanta pietate ex his vocibus commoveri, ut lachrymas nullatenus cohibere valerent.

Pari celebritate, ac pompa publicè oſtenditur ſacrum Velum ſecunda die Pentecoſtes; proceſſionaliter enim à ſuo Sanctuario defertur per Collis Paradiſi plateas ad ſupereminentem, amplumque Xiſtum undique patens, ac teſtudine tectum: hinc innumera gentium cohors, qua nedum tres ſubjectæ plateæ, ac viæ, per quas conſpici queat, ſed & domorum tecta, agrique infra Urbem inundant. dum obſervandum, atque adorandum proponitur, alta in populo taciturnitas: dum benedictiones ad quatuor mundi plagas diſtribuuntur, ſinguli vocem tollentes, miſericordiam poſcunt.

Solemnitatis hora eſt ante Veſperas, paulò poſt horam meridiei, ut detur exteris ad propria reditus. plures conſtanter aſſerunt, dum Sacrum Velum ab Eccleſia egreditur, ſuper illud ex diametro fulgidam cerni ſtellam, quæ & comitari videtur, uſque dum ad eamdem Eccleſiam referatur. quapropter ſibi invicem indicantes, & Cœlum aſpicientes, dicunt: ecce ſtella: ipſam aſpicite. Hoc evenit prædicta ſecunda Pentecoſtes die, cum Sol meridianus ardentiùs fervet. Illam aſpicere mihi pluries contigit, licèt non potuerim in ea oculos figere, eo quòd proceſſionaliter incedebam; at viſus, cujus debilitate laboro, non ita clarè intueri permiſit. piæ tamen multitudini ſtandum.

Uberrima gratiarum munera Benigniſſima Virgo in ſui amoris ſpecimen per Velum hoc impartitur. lubet ex plurimis aliquas canonicè probatas referre. Anno 1364. dum per Civitates, Oppida, & caſtra Umbriæ peſtis crudeliſsima deſæviret, Aſsiſiates, quamvis adhuc immunes, vicinum tamen malum timentes, longiùs abſcedebant; cum Fratres, ne deſolata maneret Civitas, ſolem-

ſolemnem indixerunt proceſsionem, & annuente Epiſcopo F. Bertrando Lagerio Minorita, per totam Civitatem extra capſam in Tabernaculo velum ſpectabile detulerunt. En Civitas omnino à lue intacta permanſit: imò & alibi Dei flagellum quievit, ac brevi tempore evanuit.

Eugenio IV. Chriſti vices gerente, Epiſcopus, ac Poteſtas Aſsiſii irreconciliabili odio æſtuabant, planè ut qui ortam ſedaret litem, nullus inveniretur. cives, velut incerti, ſtudia in contraria ſcindebantur; hinc diſsidia fovebant, nec ullus inter Aſsiſiares paci locus patebat. cum verò dies adeſset, Annunciationi B.V. ſacra, ambo, ſeorſim ad S.P. Franciſci Eccleſiam ſe contulerunt, ut de more cum Civitatis proceribus pię aſsiſterent functioni; dumque in ſacrario eſſent, priuſquàm ſacrum Velum in Arca portatili clauderetur, Epiſcopus devotè illud eſt oſculatus, dein etiam Poteſtas, qui extemplo, occulta vi, nec alio reſpectu ſibi invicem obviam venientes, in amplexus pariter, & mutua oſcula convenerunt, proteſtati coram Velo Matris pulchræ dilectionis omnes vel datas, vel cogitatas offenſas procul ab animo fugaturos: quo ex tempore apparuerunt arctę neceſsitudinis vinculo ſociati. Hinc omnium ordinum cives animo geſtire, B. V. pro miraculo gratias rependentes.

Mulier per biennium oculis capta, ad deoſculandum cœleſte hoc velamen manuducta, dum ſacra figeret oſcula, & preces adderet, voti compos effecta, viſum perfectè recuperavit.

Ad aſpectum Sancti hujus Velaminis obſeſsi illicò liberantur, & malæ poteſtates pelluntur. Tempore inundantis, diuturnioris, ac noxiæ pluvię palam publica ſupplicatione defertur, & ſerenitatem inducit. Teſtis oculatus ſum ego. His, aliiſque ejus notæ favoribus B. V. ſuam oſtendit protectionem erga Civitatem, & Eccleſiam, cui tantum ſuæ dilectionis pignus donavit.

In ampliori ex argento tabernaculo, tanti ponderis, ut duos, aut tres Sacerdotes ad illius elevationem concurrant, à munificentia Cardinalis Alexandri Peretti, Sixti V. Nepotis donato extenſum Velum, ac per cryſtallos utrinque viſibile conſervatur.

Hujus ad theſauri cuſtodiam, præter Cuſtodem, & Patres deputatos, ſingulis trienniis à Conventuali Capitulo bini eliguntur Civitatis Patritii, quibus ab eodem P. Cuſtode claves traduntur, ut & vigiles ipſi aſsiſtant, quoties publicè oſtenditur, aut privatè. nec tamen cuilibet, ſed Eminentiſsimis Purpuratis, Principibus, ac inſignioribus Prælatis moſtrari ſolet. ita Patres Generales ad ſervandum decus tantæ reliquiæ decreverunt, ita S. Congregatio Sacrorum Rituum confirmauit.

Sacra

Digitized by Google

Sacra Baſilica Indulgentiarum theſauro locupletatur.

TITULUS XXXVIII.

CUm *ex Clem. Religioſi de privil.* Religioſi pronuntiantes Indulgentias indiſcretas peccent mortaliter, quod prohibetur eis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna æternæ maledictionis: Indulgentiæ autem indiſcretæ, *ſecundùm gloſ. & Card. in dicta Clem. ac Pan.* ſunt quę aut conceſſæ non fuerunt, aut invalidè conceſsę, aut probari nequeunt, & ſunt dubię, ſic Auctores Summarum Tabienę, & Angelicę, ac P. Rodericus Min. Obſervant. t.2. qq. reg. q. 98. art. 1. & 2. cum omnibus aliis; hinc mihi in hac materia cautiùs incedendum, ut non niſi ex Apoſtolicis literis à me lectis Indulgentias huic Sacrę Baſilicę conceſſas deſcribam.

Biennio à tranſitu S. Patris nondum expleto, Gregorius IX. volens Eccleſiam ad illius honorem, & corporis aſſervationem magnificè ędificari, conceſſit Indulgentiam 40. dierum Chriſti fidelibus aliquam eleemoſinam pro illo opere facientibus. Bullam pręmanibus habeo, incipit, *Recolentes qualiter, Dat. Reate, 3. Kal. Maii. Pontif. Ann. ſecundo*, qui fuit noſtrę ſalutis 1224. Exemplaria ad omnes Provincias juſſu Pontificis miſit Generalis Helias, qui ex harum eleemoſinarum cumulo, non ex taxa pauperculis Fratribus impoſita, ut falsò illi quidam aſcribunt, & Templum, & Conventum extruxit. Hæc Indulgentia licèt modò parui ponderis videatur, eo tamen ſæculo & magna erat, & rara; ideoque ad eam lucrandam moti fideles ad tam pium opus copioſas eleemoſinas erogabant.

Pontifex idem, cum de Translatione Sacri Corporis ad novam Baſilicam ageretur, conceſſit omnibus eo die uſque ad Feſtum Nativitatis B. V. dignè illam viſitantibus, transfretantibus tres annos, tranſeuntibus alpes duos, & reliquis unum Indulgentiæ annum, ut ex eiſdem literis, *Mirificans Miſericordias. Dat. Lateran. 17. Kal. Junii Pont. ann. 4.* nec majorem lucrabantur Indulgentiam, illis temporibus, viſitantes limina Apoſtolorum Petri, & Pauli, ut teſtatus eſt ipſe Gregorius IX. in aliis, *Speravimus hactenus. Dat. Later. 16. Kal. Julii ejuſdem anni.*

Ritè diſpoſitis in Anniverſario Translationis S. P. die, & per octavam dictam Eccleſiam viſitantibus unum Indulgentiæ annum largitus eſt idem Papa in eadem Bulla, *Mirificans*.

Innocentius IV. literis, *Licet is, de cujus &c. Dat. Peruſii. Idib. Februar. Pontif. ann. 9.* dignè Eccleſiam viſitantibus in Feſtivitate S. P. Franciſci, per ſubſequentes quindecim dies, ſingulis annis, annum unum, ac dies quadraginta.

Pontifex idem. *Si populus Iſraeliticus, &c. Dat. Aſſiſii, 3. Id. Junii Pont. ann.* 10. eam, ut ſupra, viſitantibus, & manum pietatis ei porrigentibus in Anniverſario Dedicationis, & ſubſequentibus diebus quindecim, duos annos, & 80. dies in perpetuum indulſit.

Idem Innocentius, *Conſecrationes Altarium, &c. Dat. Later. 7. Kal. Febr. Pontific. anno 2.* dignè Baſilicam viſitantibus in feſto S. Stanislai Epiſc. & Mart.

Mart. & infra octavam centum dies annuatim.

Alexander IV. *Pro reverentia B. Franciſci*, 2. *Non. Maii Pont. anno* 4. conceſſit Cuſtodi Sacri Conventus, ut viſitantibus Eccleſiam ex voto, ſi aliquid in exequutione votorum emiſerint, poſſit eos abſolvere.

Clemens IV. *Cum ad promerenda. Datum Peruſii Id. Octob. anno primo id eſt* 1265. in feſto S. Franciſci, & per octo ſequentes dies annuatim, annum unum, & 40. dies, ritè accedentibus indulſit.

Nicolaus IV. *Praecelſa Glorioſiſſimi. Romae* 4. *Nonas Maii, Pont. anno* 2. confeſſis, ac viſitantibus diebus ſingulis annum unum, & quadraginta dies.

Et in aliis. *Ante thronum. Datum Romae* 12. *Kal. Febr. anno* 1. in feſto Sancti Patris Franciſci, & per ſeptem ſequentes dies alium annum cum quadragena.

Idem Nicolaus. *Eximiae devotionis. Datum apud Urbem Veterem, Id. Iunii anno* 4. Viſitantibus in feſtis Pentec. Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. M. V. ac Sancti Antonii de Padua, & per earum Octavas, & in Anniverſario Dedicationis ipſius Eccleſiae unum annum, & 40. dies Indulgentiae.

Bonifacius VIII. *Licèt is. Datum Romae* 12. *Kal. Febr. Pont. ſui anno primo.* Viſitantibus Eccleſiam S. Franciſci Aſſiſii, centum dies ſingulis diebus.

Idem. *Ante thronum. Datum Romae* 12. *Kal. Febr. anno primo.* Viſitantibus eam in feſto S. Franciſci, & per totam octavam annum unum, & quadragenam.

Bonifacius IX. *Licèt is, de cujus. Datum Peruſii* 2. *Kal. Novemb. anno* 3. Viſitantibus Capellam S. Catharinae Virg. & Mart. in eadem Eccleſia Sancti Franciſci Aſſiſien. in feſto ejuſdem in perpetuum quinque annos, & totidem quadragenas.

Idem. *Eccleſiarum, &c. Datum Aſſiſii* 5. *Kal. Sept. anno* 4. venientibus ad Eccleſiam ipſam benè diſpoſitis, perpetuis temporibus, ſeptem annos, & totidem quadragenas.

Martinus V. *Quantò frequentiùs. Datum Florentiae Kal. Apr. Pont. anno* 3. dignè accedentibus, & manus adjutrices porrigentibus annos quinque, cum ſuis quadragenis.

Sixtus IV. *Inter caeteros Dei Athletas. Datum Romae* 6. *Kal. Dec. anno D.* 1472. Viſitantibus eamdem Baſilicam in Solemnitatibus Aſſumptionis B. M. V. B. Franciſci, Antonii de Padua, & Bernardini Sen. ducentos annos, & totidem quadragenas.

Idem. *Quamvis Altiſſimus. Datum Aſſiſii* 8. *Kal. Sept. anno* 1476. Viſitantibus Eccleſiam in feſto Tranſlationis S. Franciſci confeſſis, & eleemoſinam aliquam dantibus pro conſervatione ingentis fabricae Indulgentiam plenariam à primis Veſperis, uſque ad occaſum Solis ipſius feſti.

Eadem bulla dedit facultatem Cuſtodi pro tempore conſtituendi Poenitentiarios, qui etiam quatuor diebus praecedentibus habeant poteſtatem abſolvendi poenitentes ab omnibus peccatis, dummodo tàm gravia non forent, ut meritò conſulenda eſſet Apoſtolica Sedes; addita facultate permutandi vota, exceptis viſitandi terram Sanctam, limina Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Jacobi in Compoſtella, & Religionis; ulteriùs & conſtituendi tot Poenitentiarios doctos, & idoneos, quot Cuſtos ipſe judicaverit opportunos.

Idem Papa. *Dignum reputantes. Romae* 4. *Nonas Febr.* 1478. conceſſit, ut Feſtum praedictum Tranſlationis in Eccleſia Aſſiſienſi ſit feſtum mobile, ac

quotannis celebretur ſecunda die Pentecoſten, quia Translatio ipſa peracta die 25. Maii 1230. eo anno incidit in ipſa die Pentecoſtes hora veſpertina. Et declarat Indulgentias pro ea die conceſſas etiam ad ſecundam diem Pentecoſt. eſſe transferendas.

Gregorius XIII. Singulari Diplomate, *Omnium ſaluti. Datum Romæ pridie Id. Octob.* 1577. conceſſit, ut quoties celebratur Miſſa in Altari S. Franciſci in ejus Eccleſia Aſſiſien. pro anima in Purgatorio exiſtente ipſa ab illis pœnis, meritis, &c. liberetur.

Sixtus V. in ſua Conſt. *Ex ſuperna diſpoſitionis. Romæ 13. Kal. Dec.* 1585. Motu proprio erexit Archiconfraternitatem Cordigerorum in Eccleſia, & ejus Altari Majore, ſub quo requieſcit Corpus S. P. Franciſci, deditque plenam facultatem Miniſtro Generali Minorum Conventualium erigendi Confraternitates in Eccleſiis etiam aliorum Franciſcanorum Obſervantium, & Capuccinorum, illaſque huic, omnium *Capiti*, aggregandi, & omnia privilegia participandi.

Indulgentiæ autem perpetuæ in illa Bulla expreſſæ ſunt. Quiſque fidelis, qui ritè confeſſus, & Sacra Communione refectus, cordam à Superiore Conventuali benedictam receperit, & huic Archiconfraternitati aggregatus fuerit, eo die plenariam conſequatur. Item in mortis articulo Cordigeri confeſſi, & nomen S. Jeſu ore, vel corde profitentes plenariam obtineant.

Inſuper omnes, & ſingulas Indulgentias, remiſſiones, ac relaxationes Archiconfraternitati Confalonis B. V. M. in Urbe, & omnes alias Ordini Minorum conceſſas, dummodò non ſint revocatæ, Cordigeris participat.

Idem Sixtus. *Divinæ Charitatis. Datum Romæ, Non. Maii* 1588. confirmavit omnia prædicta, & inſuper Cordigeris, qui interfuerint proceſſionibus, ſingulis menſibus agendis, confeſſis, & Divino pane refectis Indulgentiam plenariam, aliis verò non Confratribus, qui interfuerint, centum dies. Item prædictis Cordigeris, qui aliis proceſſionibus, vel Divinis Officiis aderint, qui Corpus Chriſti ad infirmos, vel defunctum ad ſepulturam aſſociaverint, aut eleemoſinam pauperi dederint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, toties centum dies remiſſionis de pœnitentiis, pro peccatis debitis, relaxavit. Ulteriùs dedit eis libertatem applicandi omnes prædictas animabus in Purgatorio detentis per modum ſuffragii. Et Miniſtro Generali Conventualium poteſtatem, eas communicandi, & participandi cœteris Confraternitatibus.

Paulus V. *ſub die* 2. *Martii* 1607. Omnes ſupradictas Indulgentias ampliſſimè confirmavit; & addidit ſeptem annos, & totidem Quadragenas Cordigeris viſitantibus Eccleſias Conventualium in feſtis Sanctorum Franciſci, Antonii Patavini, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi, Bernardini, & Claræ. Quæ à ſucceſſoribus conceſſæ ſunt omnibus plenariæ.

Gregorius XV. *die* 12. *Novemb.* 1622. ſimiliter omnes prædictas Cordigeris confirmavit; & inſuper eiſdem utriuſque ſexus, qui ob infirmitatem, vel diſtantiam, vel legitimum aliud impedimentum non poſſunt accedere ad Eccleſias Fratrum Minorum Conventualium. Si domi, vel alibi manentes recitaverint quinquies orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Gloria Patri, &c. omnes præfatas Indulgentias obtineant, ac ſi illas perſonaliter viſitarent.

Summarium prædictarum Indulgentiarum Pauli V. & Greg. XV. impreſſum Romæ in Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ 1623. Sigillo noſtri Procuratoris Generalis munitum, & manu, ac nomine Marcelli Caſtellutii

Cu-

Curiæ Capitolinæ Notarii ſubſcriptum, in Archivio hujus Sacri Conventus aſſervatur.

Tandem Summus Pontifex Innocentius XII. motus tantùm propria devotione erga merita mirabilia Seraphici Patris, ſub die 18. Auguſti Anni 1695. conceſſit noſtræ Baſilicæ Aſſiſienſi Indulgentiam plenariam perpetuam, & quotidianam pro omnibus fidelibus illam dignè viſitantibus; quæ certè omnibus Indulgentiis maxima eſt, & complementum noſtri theſauri.

In antiquo m. ſ. alias Indulgentias lego huic Eccleſiæ impartitas, ſed cum conceſſæ vivæ vocis oraculis referantur, eas à Gregorio XV. & Urbano VIII. revocatas cenſeo, ideoque non recenſeo.

Alias autem noſtris omnibus Templis conceſſas, ut plenarias in ſingulis noſtrorum Sanctorum feſtis, ſecunda die Auguſti, & ſimiles etiam purgantibus applicabiles omitto; cum meum ſit ſolas particulares Colli Paradiſi indultas referre.

In S. Baſilica Juſtorum corpora reſurrectionem expectant ad vitam.

TITULUS XXXIX.

BEatos hìc inſcribo, quos antiquitus Religio, vel populorum pietas ob ſanctimoniæ famam tali titulo inſignivit. Qua in re à Conſtitutionibus Apoſtolicis, & à Sacrorum Rituum Congregationis decretis recedere minimè intendo.

S. Patris Franciſci Socios, ac diſcipulos, qui poſt illius ad Cœlum tranſitum, ex hac vita migrarunt, plures in eadem Baſilica corporis exuvias depoſuiſſe invenio, ut cum Sancto Inſtitutore ad æternitatem glorioſi reſurgant.

Super Aram Immaculatæ Virginis, & ſub ejuſdem ſimulachro ſepulchrum elegans cernitur, crate ferrea munitum, ibique humantur corpora quinque Beatorum, quorum imagines, antiqua manu depictæ, ante Virginem proſtratæ conſpiciuntur. Videlicet

B. Bernardi Quintævallis Aſſiſien. quem S. P. ſuum habuit in Ordine primogenitum, qui, eo conſulente, omnia bona, quibus ditiſſimus erat, pauperibus erogavit. fuerat in patria vir ſummæ authoritatis, ob nobilitatem, ac opulentiam. Obiit anno 1241. aſſiſtente ſibi F. Ægidio ejus conſodale, cui ſæpè dicenti, Frater Bernarde, ſurſum corda, reſpondebat, habemus ad Dominum: dein, Gratias agamus Domino Deo noſtro, ambo pariter ſubjungebant.

B. Sylveſtri de Aſſiſio, item S. Patris diſcipuli, qui adhuc in ſæculo quadam nocte dormiens, ſuam Civitatem aſpexit ab ingenti Dracone obſeſſam, & cum anxius exterminium ejus timeret, obſervavit Franciſcum in aere ſublevatum, auream Crucem ex ore emittentem, ac monſtrum fugantem; propterea & ipſe, copioſa facultate divendita, ac mendicis erogata, illum ſequutus eſt.

B. F. Gullielmi Anglici, qui poſt mortem tot miracula patrabat, ut Frater Helias ei mandarit deſiſtere, ne Sancti Patris debitæ devotioni præjudicium afferret; ipſeque obediens in poſterum omninò à miraculis abſtinuit.

B. F. Electi Laici de Aſſiſio, Idiotæ quidem, ſed Spiritu Intellectus, & Prophetiæ illuſtris; qui, ut referunt m. ſ. obviàm habens Petrum Cardinalem Albanen. nil de morte cogitantem, vel ſuſpicantem, illi dixit, Domine hodie morieris, & ſic evenit. Fuit hic inter primos à Sancto P. vocatos.

B. Valentini, antea Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctoris, qui ad prædicationem S. P. converſus, quamvis eruditiſſimus, tanta excelluit humilitate, ut ſemper Laicus, vilioribus miniſteriis addictus eſſe voluerit.

In Altari S. Jo: Evangeliſtæ, quò nunc eſt Sacrarum Reliquiarum conditorium, corpora quatuor principalium S. P. ſociorum quieſcunt, puta

B. Leonis Confeſſarii, & omnium S. P. ſecretorum conſcii, quem ipſe Oviculam Dei vocabat. fuit unà cum eo in Monte Alverniæ, quando Sacra Stigmata recepit, cui primò illa patefecit. In vita, & poſt mortem miraculis claruit, præſertim in ſanandis malo (ut ajunt) caduco vexatis. Obiit in Colle Paradiſi, ubi diu apud Sanctum Patrem moratus fuit, anno ſal. 1271.

B. Maſſæi Marignani, ex Comitatu Aſſiſii, qui fuit humilitatis, & obedientiæ admirabilis cultor, quem S. P. ſecum Peruſiam duxit, ad poſtulandam Indulgentiam plenariam ab Honorio III. pro die anniverſario Conſecrationis Eccleſiæ Portiunculæ. Vivens fuit S. Patri familiaris, moriturus Aſſiſium venit anno 1280. plenus dierum, propè illum ſemper commoraturus.

B. Ruffini de Sciphis Nobilis Aſſiſien. S. Claræ conſanguinei, quem S. Pater, adhuc viventem, Sanctum vocabat. Vir ſummæ humilitatis, cui Deus ſingularem contulit ſuper energumenos poteſtatem: unde quoties S. Franciſcus obſeſſos ſtudebat liberare, Dœmonibus minabatur, ſe velle Fratrem Ruffinum vocare, unde illi ſtatim aufugiebant. Obiit anno 1270. aſſiſtente ſibi F. Leone.

B. Angeli Reatini nobilis militis, qui cum per ſuam Civitatem armatus incederet, obvium habuit B. Franciſcum ſibi ignotum, qui ei dixit, ſequere me; ipſe verò velut alter Apoſtolus, projectis armis ſequutus eſt vocantem. Sancto Patri extitit charus, & miraculis clarus.

Prope Sacellum Conceptionis Immaculatæ ad dexteram quieſcunt oſſa B. F. Joannis Anglici, cujus effigiem in pariete depictam videre eſt.

Inter Capellam D. Bonaventuræ, & Sacellum S. Valentini conſpicitur antiqua imago B. Valentini Narnienſis, qui Comes erat cujuſdam Caſtri propè ſuam patriam, duas habuit filias, quas in Monaſterio S. Claræ Deo conſecravit, tres filios ſecum ad Ordinem duxit. In pane, & aqua 30. annis vixit, perque annos decem aquam abſinthio immiſcuit. floruit circa annum 13.8. poſt mortem miraculis claruit. Obiit in Sacra Carcerum Eremo; unde corpus ad Sacram Baſilicam eſt translatum.

Sub Suggeſtu jacet Corpus Beatæ Jacobæ de ſeptem ſoliis nobiliſſimæ Matronæ Romanæ, S. Patris diſcipulæ, quæ ab Angelo de proximo illius tranſitu admonita, ab Urbe ſtatim ad Portiunculam properavit, omnia ad funeralia neceſſaria ſecum detulit, infirmum, ac ſpirantem vidit, & Aſſiſii reſiduum vitæ ducens, illius Canonizationi, ac Translationi adfuit, & paulo-

poſt

poſt obdormivit in Domino. Ejus effigies vetus in muro cernitur, ſub qua, in marmore ſculpta legitur hæc inſcriptio. Hìc requieſcit Jacoba Sancta, nobiliſque Romana. ferunt m. ſ. cum illa ſepultos eſſe duos ejus filios, quos Roma ſecum duxerat, qui tertium Ordinem profeſſi, Aſſiſii poſtea ex hac mortali vita deceſſerunt.

In diverſis Baſilicæ partibus, ſparſim in Domino obdormiunt alii venerabiles ejus ſervi, quorum in antiquo m. ſ. codice extat memoria, ſcilicet B. F. Bernardi de Viridantibus nobilis Aſſiſien. qui fuit S. Patris coætaneus, & apud ejus Corpus, quoad vixit, ſervavit excubias.

B. F. Illuminati Reatini, qui cum S. P. ad Ægypti Sultanum ivit, cui S. P. inter primos vulnera ſibi à Chriſto Domino impreſſa manifeſtavit. In Colle Paradiſi diu vixit, unde ad Colles æternos evolavit.

B. Guidi Senenſis, qui juvenis S. Franciſcum Cortonæ prædicantem rogavit, ut ad Ordinem admitteretur, cui S. Pater conceſſit, ut in Cella ſub cava rupe novitius habitaret. Totum contemplationi ſe addixit. In Sacro Conventu propè Sanctiſſimum Patrem ſenectutem, & vitam terminavit anno 1271.

B. Joannis Morici nobilis Aſſiſien. qui poſt obitum S. P. floruit, virtutibus, donis, ac prodigiis illuſtris.

B. Ægidii de Capotiis Aſſiſien. quem aliqui cum primo confundunt, qui Peruſii obiit, & ibi in noſtra Eccleſia ſub Altari in Sarcophago mirabiliter invento jacet. Hic autem in Sacro Rivitorti Larario poſt mortem S. P. diu contemplationi, & pœnitentiis addictus vixit. Moribundus Aſſiſium venit, ubi diem hujus vitæ clauſit extremum.

B. Petri de Aſſiſio, viri ſinceritate, ac ſimplicitate prædìti, qui vocatus ad gloriam anno 1249. monitus fuit ab Angelo, ut confiteretur peccatum quoddam, in ſæculo ab eo patratum, cujus oblitus fuerat; quod Vaddingus ſcribit T. 1. ad prædictum annum.

A noſtris Senioribus, dum eſſem juvenis, audivi, traditionem extitiſſe, quòd circa annum 1290. Cuſtos, & Patres Aſſiſienſis Conventus, de quorum familia, & numero erant pauci illi, qui apud Sacram Portiunculæ ædiculam morabantur; ut corpora quorumdam S. P. Sociorum, ac præcipuorum diſcipulorum, quæ ibi ſepulta fuerant, decentiùs, ac tutiùs ſervarentur, ab ea Eccleſiola ad hanc Baſilicam tranſtulerunt; Jam non videtur inveriſimile. Tamen cum de hujuſmodi translatione aliud non ſuppetat teſtimonium, ne veritati præjudicem, fidem ſuſpendo. Plures Dei ſervos, qui à principio, ac ſucceſſivè in Sacro hoc Cœnobio piè, ſanctèque vixerunt, & ab hac vita migrarunt, tumulatos hìc eſſe non eſt ullatenus ambigendum.

Collis

Collis Paradiſi virtute, ac gloria celebres incolæ.

TITULUS XL.

NOvi terreſtris Paradiſi nunquam defuere Vigiles, & Cultores, qui operarentur, & cuſtodirent illum, in quo Deus poſuit Franciſcum hominem, quem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam formavit, uſquedum ad æternam gloriam transferat, permanſurum. Nam præter Beatos, quos retulimus, viros, ibidem vita, & morte functos: indubium eſt, alios Sancti Inſtitutoris ſocios, diſcipulos, ac virtutum ſectatores, apud dilectiſſimum Patrem moras traxiſſe, indeque ad cœleſtem patriam purificatas animas tranſmiſiſſe.

Fama conſtans eſt, etiam per ora Summorum Pontificum, ac Principum reſonans, Sacrum hunc locum ſemper religioſos viros, exemplares, humiles, contemplationi, vigiliis, ac pœnitentiis addictos, virtutum ſanctimonia, ac Dei donis præditos, dignos, ut cum Sancto cohabitarent Inſtitutore, quos longum nimis eſſet referre, habuiſſe; ſolùm liceat quoſdam nominare jam defunctos, quos ſpatio quinquaginta annorum, ex quo Religioni ſum mancipatus, & ſacri loci omnium indigniſſimus filius, agnovi. Vidi, & alloquutus ſum Patrem Joſephum à Cupertino, multis annis in Sacro Cœnobio commoratum, qui pluries cordis, & animi mei arcana, ſoli Deo, mihique nota, paternè, ac confidenter mihi detexit. Me ad mortem properantem, ex gravi languore, dum eſſem adhuc novitius, ſanitati inſperatò reſtituit; juſſit enim pro medicamento mihi dari Agnum Dei, ideſt Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; quo recepto, eodem die, ſtupente Phyſico, convalui. Illum in extaſi inter ſpiritualia colloquia, & in aere ſublevatum pluries inſpexi. Cujus Beatificationis, & Canonizationis cauſa, completis jam proceſſibus, authoritate ordinaria, & Apoſtolica deſumptis, agitur in Sacrorum Rituum Congregatione; ejuſque vita deſcripta, atque Typis promulgata jam extat. De quo Summus Pontifex Innocentius XI. pluries teſtatus eſt, ſe ſanctum virum cognoviſſe. dignum certè à laudato viro laudari.

Cognovi Patrem Magiſtrum Gabrielem à Caravajo, ejuſdem Patris Cupertini Confeſſarium, mira exemplaritate conſpicuum, Charitate, Zelo, Oratione, corporis mortificatione, omnique virtute ornatum. Cujus ad exequias tota Civitas confluxit; & cum à devotis ejus tunica ſciſſa in partes fuiſſet, neceſſe fuit corpori ejus aliam ſuper imponere, feretrumque in altum elevare, ne denuo expoliaretur. Quæ vidi, refero. De ipſo etiam Innocentius XI. dicere conſueverat, ſe, dum fuit Aſſiſii anno 1649. agnoviſſe Patrem Joſeph à Cupertino, & Patrem Gabrielem à Caravajo, quos virtutibus pares, ac meritis reputabat. Per quamplurium annorum curriculum fuit etiam Sacri loci Conventualis Pater F. Angelus de Santa Agata, officio animarum Parocus, quem idem Pater Joſeph paſtorellum vocabat. Alter Pater Antonius à Carpio Tyronum curæ præpoſitus, qui poſt obitum Caravaii confeſſiones ejuſdem Cupertini excipiebat. Hi duo dierum, ac virtutum pleni, Sanctimoniæ odorem poſt mortem in Provincia Bononiæ relique-

querunt. Obiit inſuper, me adſtante, in Sacro hoc Conventu Frater Franciſcus de Catanzario Laicus, hujus domus filius, officio Janitor, vir ſimplex, humilis, patiens, rectus, ac timens Deum, Charitate in pauperes admirabilis; cujus cibus erat niger panis, cum herbis, vel cœpulis, & potus aqua, vel vinum diù ante lymphatum, & ferè corruptum: lectus tabula, vel Eccleſiæ pavimentum, poſt nocturnam orationem: alioquin lætus, affabilis, & omnibus charus. Viventes laudare non debeo, confirmet illos Deus Perſeverantiæ gratia.

Nullus dubio eſt locus, quòd Seraphicus Pater apud ſe voluerit ſemper aliquot ex ſelectioribus, & charioribus filiis, qui ex fontibus Salvatoris, ab ejus corpore manantibus, virtutum aquas, ſalientes in vitam æternam plenis faucibus deguſtarent; & ab ipſo geniti infantes rationabiles, ſine dolo, ex plagarum mammis lac concupiſcentes delibarent.

Singulari pariter ſapientia, & ſublimi gloria celebres locus hìc veræ voluptatis habuit colonos. Dignum enim ſemper, & æquum fuit, tanti Ordinis Matrem divinarum ſcientiarum pabulis ſuos enutrire filios.

Frater Hieronymus Aſculanus S. T. Doctor, qui per omnes Religionis, & Eccleſiæ gradus, primus ex Minoritis ad Petri ſedem aſcendit; fuit hoc Sacro in loco Conventualis, ſicut ipſe jam Pontifex teſtatus eſt. Duplici enim Diplomate Cuſtodi, & Fratribus Aſſiſien. directo, utroque incipien. *Eximiæ devotionis*, uno dato *Reate* 5. *Kal. Octob. anno* 1. altero *ibidem* 7. *Id. Aug. anno* 2. expreſsè gloriatur in minoribus ſe Deo devotas laudes hac in Eccleſia obtuliſſe. Qui propterea biduo ab ejus creatione eiſdem Fratribus bullatis literis ſcripſit, illam eis notificans, ac pretioſa munera mittens. incipiunt. *Suſcepimus nuper, licet immeriti. Datum Lat. 6. Kal. Maii anno* 1.

Magiſter F. Petrus de Candia, ſecundus ex Religione ſummus Petri ſucceſſor, per aliquot annos S. T. Regentiam obivit in Aſſiſienſi Lycæo. Cujus ſententiarum liber, ab eo conſcriptus, auditoribus explanatus, & Conventui donatus, adhuc in Bibliot. ſervatur.

Doctor S. T. Frater Franciſcus de Ruvere tertius ex Ordine Min. Chriſti Vicarius, cum eſſet Juvenis inter ſtudentes Aſſiſii collocatus, & Laureatus fuit; cujus virtutibus, ac moribus illecti Fratres nativi, in filium S. Conventus elegerunt. Unde in Pontificatu hanc ſuam domum poſſeſſionibus, privilegiis, Indulgentiis, immunitatibus, ac donis ditavit; perſonaliter ad eam viſendam redivit, & ruinæ proximam ingenti pecunia à lapſu præſervavit.

Frater Felix Perettus de Montealto extitit Baccalaurus in hoc S. Conventu, ubi in Capitulo Generali theſes Theologicas, Cardinali à Carpio Protectori præſenti dicatas publico expoſuit certamini; quo expleto ab eodem Purpurato Doctorali Laurea ſolemniter decoratus; inde gradatim aſcendens, Concionator, Procurator Generalis, Vicarius Apoſtolicus, Epiſcopus, Cardinalis, ad Apoſtolatus apicem aſcendit, Sixtus V. cujus nominis, & gloriæ fama perpetuò reſonabit.

Alios autem omnes, & ſingulos nominare, qui ex hujus Paradiſi cultura, ad excolendam vineam Domini Sabaoth, Sanctam videlicet Eccleſiam, evecti fuerunt, nimis arduum eſſet opus. Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Inquiſitores quamplurimi in eo priùs Divino cultui, orationibus, Sacrarum Scripturarum, ac Theologiæ ſtudiis addicti, ſacris illis præeminentiis ſe dignos reddiderunt; & prope Corpus illud Sanctiſſimum, unde fontes emanant

nant vivi, quaſi ex fluminis impetu lœtificantis Civitatem Dei, ſiſtentes, Virtutum, ac ſcientiarum undas ebiberunt.

Seraphicæ Civitatis Antiſtites ex Minoritis ſelecti.

TITULUS XLI.

EPiſcopos Aſſiſiates Franciſcanos in diverſis Catalogis tàm variè recenſitos legó, ut nihil certum de illis ſcribere poſſem, niſi P.Lucas Vadd. in ſuis annalibus ſparſim referret plures, quorum in regeſto Pontificum bullas, & tempora per extenſum affert; quoſdam ex manuſcripta ſerie, ſibi Aſſiſio tranſmiſſa deducit. Ipſius ergo, quem magis accuratum video, ordinem ex annis eliciam,

Primus biennio poſt mortem S. Patris Franciſci, ideſt 1226. aſſeritur Frater Simon Vereduccius Aſſiſiat. quem ex m. ſ. refert Vuad. t. 4. addit. ad t. 1. n. 14.

F. Nicolaus Brito Sacellanus, & Confeſſarius Innocentii IV. ab eo Lugduni anno 1247. electus, & conſecratus, ac Aſſiſium miſſus ad deponendum Fratrem Creſcentium de Æſio illegitimè intruſum; ut oſtendit Vadd. t. 4. addit. ad t. 1. num. 43. & in regeſto ejuſdem additionis, tribus Pontificiis literis, quibus totum, quod evenerat, per Papam narratur. Hinc perperam Creſcentius inter Epiſcopos numeratur, cum fuerit Pſeudo Epiſcopus. Nec unquam, ut dicunt, Cuſtos Sacri Conventus, ſed totius Ordinis Generalis Miniſter poſt Fratrem Heliam anno 1239. electus, & poſt tres annos in Capitulo Januæ exauthoratus.

F. Nicolaus Anglicus ab eodem Innocentio IV. anno 1255. electus. Hunc ponit idem Vuad. t. 7. in add. t. 2. ex m. ſ.

F. Illuminatus de Theate, antea Cuſtos S. Con. à Capitulo Cathedrali electus, anno 1273. & à Gregorio X. ſanatis quibuſdam electionis defectibus, confirmatus, ut liquet ex Bulla t. 2. ad eumdem an. in Reg. Pont.

F. Simon de Aſſiſio, cum eſſet Cuſtos, & DD. Canonici, tempore eis præſcripto non elegiſſent, à Martino IV. anno 1281. deſtinatus, ut ipſe Papa narrat in Bulla, poſita ab eodem hiſtorico t. 2. in reg. ad eumdem annum.

F. Theobaldus Offreduccius nobilis Aſſiſien. à Clemente V. creatus an. 1307. refert idem auctor t. 4. add. ad 3. n. 3. & etiam ex noſtris m. ſ. eruitur, quòd fuerit aliquando Cuſtos S. C.

F. Benedictus Caſtellus nobilis Interamn. Cuſtos S. C. electus à Capitulo Cathedralis Eccleſiæ an. 1324. ibidem n. 8. ex m. ſ.

F. Conradus Cerra Cuſtos, à Capitulo eodem electus an. 1333. & à Jo: XXII. confirmatus, t. 3. ad eum annum n. 14. Vuadd. ponit Diploma.

F. Paſtor de Serraſcuderio à Benedicto XII. an. 1337. electus, qui poſt biennnium tranſlatus eſt ad Archiep. Ebredunen. & tandem Cardinalitia dignitate donatus. Liquet ex Bullis add. an. & ſucceſſivè relatis.

F.Ni-

F. Nicolaus Zucii Aſſiſien. Cuſtos, qui à Benedicto XII. in locum Paſtoris ſuffectus anno 1339. poſtea etiam Vicarius Pontificius Romæ in ſpiritualibus, dum Papa Avenione moraretur, eſt deputatus. Vide Bullas in Vuad. ad annos prædictos.

F. Bertrandus ex Epiſcopo Adjacenſi, ad Aſſiſienſem an. 1344. à Clemente VI. translatus, qui poſtea à Gregorio XI. an. 1371. inter Purpuratos eſt cooptatus; cujus diplomata refert Vuad. ad eos annos.

F. Jacobus antea Epiſcopus Fundanus ab Urbano V. an. 1368. ad Aſſiſiatem Cathedram deſtinatus. affert Bullam.

F. Thomas Racani nobilis Amerinus, priùs Inquiſitor Vallis Spoletanæ, & Cuſtos S. Con. deinde ab Urbano V. an. 1374. ad hunc Epiſcopatum evectus.

F. Nicolaus Vannius Aſſiſien. ex Cuſtode ab Innocentio VII. anno 1405. Patriæ Antiſtes conſtitutus extitit, ad eumdem an.

F. Andreas antea Inquiſitor in Provincia S. Franciſci, & Cuſtos S. Conv. deinde à Bonifacio IX. anno ſal. 1392. Aſſiſien. Præſul electus.

F. Benedictus Nurſinus, cum eſſet Cuſtos, à Capitulo Aſſiſien. electus, ac poſtulatus fuit an. 1417.

F. Theobaldus Pontus à Martino V. an. 1425. fuerat Cuſtos.

F. Damianus de Buſſellis ei ſucceſſit, eodem Pontifice an. 1429.

F. Carolus Nepis nobilis Aſſiſias, item Cuſtos, an. 1458. A Calixto III. ſacris infulis Laureatus.

F. Bartholomæus Vagnotius de Aſſiſio pluries Cuſtos, tandem à Paulo II. an. 1465. ad patriæ thronum evectus.

F. Andreas Ægidii nobilis Aſſiſien. cum eſſet Cuſtos à Sixto IV. ſuæ Civitatis Antiſtes conſtitutus eſt an. 1475.

F. Franciſcus Inſignia, item Patritius Aſſiſien. cum eſſet Vice legatus Peruſii pro Cardinali Sabellio, ab eodem Sixto IV. anno 1481. Patriæ Præſul conſtitutus.

Omnium prædictorum ſuis locis, & annis P. Vuadd. accuratiſſimè electiones adducit, plurimorum per Bullas, quorumdam per relationes.

Fratrem Marcum de Aſſiſio ad Epiſcopatum Caſſanenſem anno 1268. à Clemente IV. deſtinatum, repugnantibus Ordinis ſuperioribus, quia abſque eorum licentia dignitatem acceptaverat. At Pontifex omnium ſupremus, ſanatoriam dedit; ut conſtat ex ejus dipl. *Significavit nobis. Datum Viterbii* 12. *Kal. Maii*, *Pont. anno* 4. diffusè ab eodem Vuad. relato t. 2. in Reg. ad an. 1268. Ubi Papa Fratrem Marcum præfatum his verbis commendat. *Nos attendentes multiplicia dona virtutis, & gratiæ, ac laudabilis vitæ merita dicti Fratris; ſperantes quoque, quòd per ipſius Miniſterium Caſſanenſi Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus provenient incrementa; mandamus &c.* De hoc inſigni viro tantus ſufficit teſtis.

P. Vuadd. tom. 3. an. 1307. n. 12. refert Fratrem Andreutium de Aſſiſio Epiſcopum, à Clemente V. cum aliis ſeptem Minoritis creatum, & cum eis in Tartariam miſſum ad inſtituendas ibi Catholicorum Eccleſias.

Quamvis Pater Seraphicus ob profundam humilitatem pluries dixerit, ac ſuaſerit filiis ſuis, ne Dignitates Eccleſiaſticas appeterent, oblataſve acceptarent: tamen ad exaltandam ejus humilitatem diſpoſuit, ac voluit Deus illum, ejuſque filios ſic honorare, ut quamplures ex eis ad majores, & ad ſummam ſublimarentur. Neque promoti ob id judicandi ſanctæ Inſtitutoris voluntati contradixiſſe, ut quidam indiſcreti ab initio arbitrabantur: nam

S. Pater in primis ſe, ſuoſque Voluntati Divinæ, ac pedibus S. R. Eccleſiæ ſubjecit. nec Sanctus Bonaventura acceptando Cardinalitiam, nec S. Ludovicus Epiſcopalem dignitatem, peccavit, non eſt enim vera humilitas, quæ obedientiam excludit.

Qui Corpus S. Patris viderint in Paradiſi Colle reconditum.

TITULUS XLII.

OMnes eos, qui primis illis annis ſacrum, & admirabile funus conſpexerunt, referre arduum, & ferè impoſſibile eſt. Licèt enim non eſſet omnibus patens locus, & liber aceeſſus; ſuperiores tamen, & fratres inibi conventualiter viventes, ac alii, referentibus fabricæ artificibus, qui operi inſudarant, facilè ſcire poterant: & magni Principes, qui devotionis gratia ſanctum locum viſitabant, ad illud aſpiciendum admittebantur. Ex quibus aliquos principales ex antiquis monumentis hic exprimere intendo.

Vidit Gregorius IX. & cum eo Cardinales, ac ſelecti Prælati, novennio à S. P. tranſitu, hoc eſt anno 1235. ut narravi tit. 16.

Innocentius IV. Qui jam eum eſſet Cardinalis interfuerat Canonizationi cum eodem Gregorio, & illud palam expoſitum obſervaverat, ereatus Pontifex, Aſſiſium venit anno 1253. ubi per ſeptem menſes moratus, Eccleſiam, & Conventum conſecravit, & ſacrum corpus pluries viſitans, ſuæ plenè ſatisfecit devotioni, & ſuorum familiarium, quos ſecum admittebat.

Cum Innocentio IV. aderat Cardinalis Oſtienſis de Comitibus, qui ei in ſupremo Præſulatu ſucceſſit, Alexander IV. qui eum non ſemel inſpexiſſet corpus illud Divinis jaculis transfixum, ut ipſe teſtari videtur ſuis literis. *Benigna operatio, &c. Datum Anagniæ* 4. *Kal. Novemb. anno primo.* eiſdem juſſit univerſos fideles in Stigmata S. Franciſci indubitanter credere, & impugnatores, quos invidos, temerarios, & ſacrilegos pronuntiavit, divinæ ſubjecit ultioni, imò per Conſtitutionem, *Quia longum eſſet, &c. Datum Anagniæ* 5. *Kal. Aug. Pont. anno* 5. mandavit Archiepiſcopis, & Epiſcopis Caſtellæ, & Legionis Regnorum, ut quoſdam Doctores, & Concionatores, temerè Franciſci plagis, ſcriptis, ac dictis adverſantes, ad ſe retractandos compellerent, aliàs excommunicationis ſententia eos mulctarent. Juſtè ſiquidem, cum potuerit dicere, Quæ vidimus, annunciamus vobis.

Urbanus IV. deſiderio flagravit illud videndi, ſed morte præventus non potuit, ut ſupra tit. 29. narratum eſt.

Clemens IV. anno 1265. ſui Pontificatus primo Aſſiſium petiit, ac perſonaliter videre, ac venerari voluit S. Franciſci, & D. Claræ pretioſas exuvias, quorum protectioni S. R. Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam commendavit, ut ab impii Manfredi furore, & inſidiis incolumes ſervarentur.

Nicolaus IV. ex Ordine Minorum primus, anno 1288. electus, non in Pontificatu, ſed dum eſſet Generalis, & Cardinalis vidit, ut in veteri m. ſ. lego.

Digitized by Google

lego. Nec ambigendum eſt, nam primo illo ſæculo ſuperioribus notus erat locus, & non adhuc impermeabilis acceſſus.

Æcubea Sueſſana Regina Cypri, quæ voti cauſa ex ſuo Regno ad Collem hunc ſanctum venit circa annum 1240. ad conſpiciendum, & adorandum ſacrum corpus admiſſa fuit. Ingentia munera D. Franciſco obtulit; in hac Eccleſia ſepulta communem reſurrectionem expectat.

Nicolaus V. anno 1449. cum eſſet Aſſiſii, & in ſacra Æde moras traheret, videre & ipſe voluit S. Corpus, quod pedibus ſuis ſtans, ac ſtigmatizatum, eodem planè modo, ac ſitu contemplatus eſt, quo tot alii antea conſpexerant. Quidam ſcriptores narrationem de hac viſione referunt, quam ſequenti Titulo examinabimus.

Ægidius Carillus Albernotius Hiſpanus Cardinalis, æterna dignus laude, cum eſſet Apoſtolicus Italiæ Legatus, in Sacro Aſſiſienſi Cœnobio diù reſidentiam tenuit, Sancto Franciſco arcta devotione addictus; qui vulneratum Redemptoris ſimulachrum inſpiciens, tantam erga Divum pietatem, & erga filios ejus dilectionem concepit, ut ibi vivens fabricam lapſui proximam reparari ſuis ſumptibus juſſerit, Eccleſiæ ædificium additione elegantiſſimi Lararii S. Catharinæ ſacri compleverit, ac morti proximus præceperit corpus ſuum illuc deportari: demùm pro ædificii complemento quadraginta millia aureorum legaverit.

Sixtus IV. dum Generalatus Ordinis munere fungeretur, advertens facilitatem paulatim invaleſcentem admittendi Perſonas gradu ſublimes ad tantum theſaurum inſpiciendum pluries præceperat Cuſtodibus, ac Fratribus, ne amplius quemquam ad illum introducerent. At fratres, petentium authoritate preſſi, juſſui obtemperare vix potuerunt. Unde Petri claves jam tenens, Aſſiſium ſe contulit anno 1476. & ut Fratres à moleſtiis eximeret, ac theſaurum tutiorem redderet, viſo, ac recognito ſacro tumulo, cum ſociantibus quibuſdam ſelectis, inter quos adfuit B. Jacobus de Marchia, quid agendum eſſet, cum eodem deliberavit: dixerat Dei ſervus, ſecretum Regis abſcondere bonum eſſe, & magnum illud fidei noſtræ argumentum jam ſatis notum, futuris temporibus reſervandum, quando Eccleſiæ Navis inter perſequutionum fluctus agitabitur, & ferè ad extinctionem declinabit. Tunc enim Deus, ad firmandam Eccleſiæ fidem, noſtræ Redemptionis vulnera condenſa revelabit, & tunc fideles omnes in Templo dicent gloriam. Tanto Papa admonitus Oraculo, & divino inſpirante Flamine, juſſit cuniculum, ſeù ambitum, per quem ad Eccleſiam infimam erat acceſſus, & ſcalam, per quam erat deſcenſus, denſo aggere ex lapidibus, ac cœmento compacto repleri; unde moraliter impoſſibilem reddidit acceſſum; cum non ſine multorum artificum diuturno labore reſerari poſſit. Tali interpoſito inſuperabili (ut ita dicam) impedimento, ceſſavit ſpes eò perveniendi, & paulatim evanuit memoria ingreſſus. Licèt enim, ut fama eſt, ſemper ſit aliquis Religioſus, qui ſub ſigillo uſque ad mortem id ſciat, non tamen datum eſt ei illuc penetrare: Tentarunt aliqui, pietate, vel pia curioſitate ducti, ex locis abditis ſibi viam aperire; at citò ingentia ſaxa, & duriſſimos ſcopulos, quibus collis abundat, invenientes, deluſi ab incepto opere deſtiterunt, & ne detecti adhærerentur injuria, illicò fugæ ſeſe dederunt. Situs tentati ſunt mihi noti; perſonas ſcio; eas nominare non licet. Hinc non poſſum non irridere quorumdam fabulas, dictis, & ſcriptis promulgantium S. Corporis viſiones ab aliis obtentas poſt prædictum annum 1476. cum ad aperiendum acceſſum

ceſſum plurium dierum requireretur patens, & ingens labor. Unde tota commoveretur Civitas, & Fratres omni vi obſtarent, timentes theſaurum rapi, vel ſaltem minui.

Relationes veræ ab apocryphis ſecernuntur.

TITULUS XLIII.

HOc noſtro ſæculo decimoſeptimo quædam in lucem datæ apparuerunt atteſtationes de viſione corporis S. P. Franciſci, quas, ad veritatem purè habendam, liceat examinare.

Primam lego in Chronicis à P. Marco Ulyſſipon. conſcriptis an. 1559. ab Horatio Diola ad Italicum idioma tranſlatis anno 1582. & Venetiis impreſſis anno 1606. quam affert part. 1. l. 2. c. ult. pag. mihi 282. aſſeritque miſſam à Domino Blaſo Adriæ Duce ad magnum militiæ Præfectum Generalem Hernandez Cordubenſem; in qua à Jacobo Abbate, qui poſtea fuit Epiſcopus Ariani, narratur, quomodo Nicolaus Papa V. viſitavit, & vidit Corpus S. Franciſci ſtans, incorruptum, ſanguifluis adhuc plagis inſignitum, & fragrantiam diffundens: à latere verò ejuſdem Sacelli monumentum, æneo clauſum opertorio, in quo corpora quorumdam ſociorum S. P. quieſcunt; Abbas verò à Cardinali Aſtorgio hæc audierat in extremis vitæ conſtituto, qui fuerat ab eodem Pontifice ad præfata omnia conſpicienda vocatus. Hæc omnia veriſſima ſunt, conformia antiquis monumentis, & relationibus aliorum, qui digni fuerunt hæc mirabilia conſpicere. Corpora verò, quæ ſunt in illo Sarcophago non ſunt primorum, ſed aliorum quorumdam diſcipulorum.

At Pater Lucas Vuadd. qui ſuos annales luci dedit an. 1625. t. 1. ad an. 1250. n. 4. nimis variam, & alteratam eamdem refert: variam quidem in perſonis relatis, quod parum eſſet; ſed falſam, & alteratam in his, quæ non ſatis fideliter ei fuerunt ſuggeſta: Addit enim, quòd coram corpore S. Patris Franciſci ſit aliud corpus in genua flexum, habitu Ordinis Prædicatorum indutum: quòd corpora Sociorum videantur in tribunis hinc, & inde juxta ordinem eorum diſpoſita; eò quòd corpus B. Ægidii ſtet ante januam loci. Beati autem hujus oſſa ſepulta ſunt Peruſii, ut diximus. Primorum verò Sociorum in Sacellis B. Virginis, & Reliquiarum, aliorum tamen, quæ propè corpus S. Patris jacent, clauſa in monumento, non ſub tribunis hinc, & inde diſpoſita. Quod verò adjungitur de Corpore Sancti viri Ordinis Prædicatorum, cujus etiam fronti verboſi quidam ſtellam affigunt, falſum adinventum omninò judicandum eſt. Nam ut mihi adhuc juveni ab hinc 40. annis retulit Pater meus Magiſter tunc octogenarius, vir doctus, & fide dignus; cum primò in lucem prodiit prædicta enarratio, licèt Idiota, & ſimplices, etiam ex noſtris applaudere viderentur, ſeniores tamen eam irridebant, quin palam aſſerebant, hoc extitiſſe alicujus malevoli art ficioſum adinventum, ad ſuſcitanda inter digniſſimos PP. Dominicanos, & nos Conventuales Franciſcanos diſſidia. Unde paulo poſt, noſtris inſtantibus, ob inauditam fabulam, Sedes Apoſtolica ſub excommunicationis pœna, ne id aſſe-

Digitized by Google

aſſereretur, prohibuit. Corpus D. Dominici Bononiæ, ubi obiit, ſtatim ſepultum, & poſt Sanctiſſimi Patris Canonizationem, ad Altare ei dicatum, translatum, ac in elegantiſſima reconditum arca fuit. Ibi à fidelibus venerabiliter adoratur; nec Deus ſuppoſitam iſtam translationem alicui revelavit; ſicut veram corporis S. Catharinæ V. & M. per Sanctos Angelos ad Montem Sinai pluribus juſtis, imò & toti Eccleſiæ notificavit. Nec ipſe, qui Veritas eſt, poteſt fideles ſuos decipere, ſi adorantibus corpus, quod ſciunt ibi ſervatum fuiſſe, Deus illud clam ſuſtuliſſet, & nemini indicaſſet. Narratio ergo præfata tot falſis aſperſa, ſalvis veris, parvifacienda erit.

Aliam atteſtationem, nomine Galeotti de Galeottis de Biſtochio exaratam, refert P. Vuadd. ibidem num. 5. quam dicit ſibi tranſmiſſam ex Archivio S. Mariæ Angelorum, apud Aſſiſium. In ea introducitur Galeottus quidam enarrans filio ſuo, ſe anno 1509. vidiſſe S. P. Franciſci corpus, ducentibus, & comitantibus P. Cuſtode Julio de Liccio, & Fratre Juſtino de Colleſtatto Sacriſta, à quibus, addit, multo nummo, ſuis votis cooperante Sancto Patre, conſenſum extorſiſſe. At certo certius hæc quoque fabula eſt, vel ſatyra, vel utrumque. Nam corpora iſtorum trium glorioſis dotibus prædita non erant, ut poſſent penetrare impenetrabile obſtaculum. Cuſtos ſine Fratrum nativorum conſilio, & aſſenſu nil poterat attentare, ni voluiſſet juſtum ipſorum, & Civium, ab ipſis in hoc caſu juſtè excitatorum experiri furorem: præcipuè cum eſſet advena, puta Apulienſis, & Sacriſta, ut aſſeritur, extraneus; de quibus nativi piè ſuſpicantes, in hac re ſummam diligentiam adhibuiſſent, ne illorum libertati datum eſſet, tantum theſaurum vel in totum, vel in partem furari, & ad proprias regiones transferre. Licet enim zelo ſuſpicionem habere de eo, quod à pietate alterius attentari poſſet. Tandem impium eſt, aſſerere Religioſos Sacerdotes pretio corrumpi paſſos eſſe; & prorſus temerarium, ac iniquum addere Sanctum Patrem cooperatum fuiſſe ſacrilegis illis tribus, qui pecunia emere, ac vendere ſui viſionem tentaviſſent. Cum primò hanc enarrationem legi in Vuadd. rogavi Patrem Franciſcum de Abaſtia Min. Obſerv. tunc Portiunculæ digniſſimum Guardianum, virum inſignem, verſatum, & ingenuum, mihi magna amicitia conjunctum, an verum eſſet ex Archivio illius Conventus Patri Vuaddingo tranſmiſſam fuiſſe atteſtationem præfatam? ſtatim reſpondit: valde miror, nam nihil hic habemus, & nihil ſcio de hac re. Poſt aliquot annos idem quæſivi à P. Antonio de Abaſtia Lectore Jubilato, illius Cœnobii actuali Guardiano, Religioſo integerrimo, ſtudioſo, ac ſincero; qui & ſtupens dixit; Amice certè ſuſpicor hiſtoricum fuiſſe deceptum; ſed fuiſſe artificioſam hanc relationem ex tempore mihi ſuadeo: nam anno, in quo ſupponitur data, Minoritica Conventualitas tot anguſtiis, adverſitatibus, ac perſequutionibus angebatur; ut niſi Patri ejus Franciſco ſuum ſibi complacuiſſet ſervare gregem, ad nihilum redacta fuiſſet; nec fuit impoſſibile, ab aliquo ex adverſariis, ad eam diffamandam, quaſi Viſionem Corporis S. Patris venalem exponeret, hanc fabulam ipſis injuriam, & S. Patri blaſphemam, compactam fuiſſe.

Pro futuris autem temporibus magis cavendam moneo atteſtationem quamdam, clam inter ſimplices divulgatam, & paulatim palam divulgandam, cujus exemplar vidi manuſcriptum, & audivi jam impreſſum extra Italiam fuiſſe. Aſſeritur, quod anno 1649. die 3. Octobris, 2. noctis hora, de licentia Papæ Innocentii X. Duo Cardinales, duo Generales Conventuales, actualis videlicet, & prædeceſſor, & duo Fratres Capuccini, deſcenderunt

runt ad Corpus S. P. Franciſci videndum, quod invenenerunt in pedes erectum, ſuper acumen Porphyretici Cordis eleganter inſculpti, integrum, incorruptum, plagatum, habitu, caputio acuminato, ſurſum erecto, & unito cum eo, indutum. Vidique geographicam delineationem, atteſtationi prædictæ annexam, & omnia prædicta clarè repræſentantem. Laus Deo. Quàm concinnè hoc mendacium compactum eſt? Eo anno ego eram in Sacro Conventu Novitius. Die 3. Octobris S. P. Franciſci vigilia ad feſtum venerunt DD. Cardinales Angelus Rapacciolus, & Cæſar Facchenettus, eiſque obſequens Generalis Miniſter M. Angelus Catalanus, aderat quoque Exgeneralis Jo: Baptiſta Berardicellus. Media nocte inter vigiliam, & feſtum D. Cardinalis Rapacciolus Miſſam in Pontificali cum omni pompa cantavit; ſicut manè poſt Tertiam D. Cardinalis Facchenettus: quod etiam aliis annis de licentia Summi Pontificis egerunt piiſſimi Purpurati. Totum hoc verum eſt, ipſe vidi. At quòd viderint Sanctum Corpus, ſicut impoſſibile, ſic ridiculum eſt. Nam pluribus noctibus ante feſtum Sacriſtæ, ac Miniſtri in Eccleſia vigilant, ac laborant, ornando Altaria, diſponendo per medium Templi, & per totum in circuitu lampades, ad illuminandam noctem illam ſolemnem, quæ tota ferè conſumitur in decantandis Matutino, ac Miſſa, adſtante innumerabili populo; præcipuè ſi Pontificalia agenda ſint, eadem nocte parari debent Presbyterium, Baldachinum, Abacus, Vaſa Argentea. & Sacra pretioſiora indumenta. Unde humano captui incredibile videtur, perſonas adeò inſignes tam arduum opus attentaſſe; niſi aſſeratur, quòd inviſibiliter, & inſenſibiliter eò ſe tranſtulerint. Dicat quæſo hujus fabulæ inventor: Quinam artifices illam magnam congeriem amoverunt, quæ ambitum replet? Quò detulerunt? Quot dies, & noctes inſumpſerunt? An fuit Angelus, qui lapidem tam grandem, imò tot ſaxa revoluit? An Cardinales, an Generales amoverunt ab oſtio monumenti? Quorſum acceſſerunt? Tantum à veritate abeſt, quòd Innocentius X. licentiam hanc dederit, ut eodem anno nomine magnæ, ac piiſſimæ Principis de hac re rogatus, negaverit, dicens. Tunc videndum fore S. Franciſci corpus, quando Deus iterum illud manifeſtare dignabitur. Quomodo ſciunt Generales remotarum nationum acceſſum illum inacceſſibilem? An dum eliguntur Generales, cœlitus infunditur eis hæc notitia? Nonnè ridiculum eſt, aſſerere Generalem Catalanum Patribus Capuccinis tam inviſum, propter librum de forma indumenti S. P. Franciſci, eos ad illius intuitum admiſiſſe? Si locum ſciebat, ut fabulator ſupponit, tam faciliter acceſſibilem, jam pluries antea vidiſſet; ſi acumen illud ſuper caput vidiſſet, vel abſtuliſſet, vel ſibi contradicentibus obſervare non permiſiſſet. Quando, à quo Cor illud in Porphyride ſculptum ſub pedibus Sacræ Sarcinæ fuit locatum?

Cum hanc fabellam prima vice perlegi, obierat jam D. Cardinalis Rapacciolus, vivebat adhuc Facchenettus Spoleti Epiſcopus, & Sacri Collegii Decanus. Quadam die anni 1680. dum Lectiones Sacræ Scripturæ exercerem in ejus Cathedrali, ab ejus benignitate ad familiaria colloquia admiſſus, omnia, quæ legeram, ſupradicta illi retuli. Qui ira candens, Quis (inquit) tam audaciter hæc mendacia protulit? aliaque in ſuſpectos exageravit. Jam cum iratum vidiſſem, rogavi, ut dignaretur hæc futilia irridere, nam mendacia ſuis ſe implicant laqueis, ac tandem ſemper triumphat Veritas. Tunc pacatè ſubdidit. O Utinam dignus eſſem videre!

Hæc

Hæc mea confutatio ad manus fabulantium iſtorum certò perveniet, qui cum viderint ſe detectos, forſan circumſtantias, & Perſonas Comediæ, variabunt. Præſcientiæ clypeo muniti, cauti ſimus, neque omni ſpiritui credamus: multoties enim fabulæ per has ſemitas penè tranſeunt in hiſtorias; & nugæ per aures ſimplicium tranſeuntes, eorum cordibus tam tenaciter inſeruntur, ut non ſine labore avelli deinceps poſſint.

Sedes Apoſtolica probibet acceſſum.

TITULUS XLIV.

POſtquam Sixtus IV. in Colle Paradiſi reconditum vidit theſaurum, & Beati Jacobi conſilio, ac divino inſtinctu ulteriùs videri prohibuit; Succeſſores ejus eodem ducti motivo, in eodem perſtitere propoſito, & ſub cenſurarum pœnis innovarunt. In mente quidem habuit piiſſimus Pontifex Pius V. ſacrum illud Corpus oculis contemplari, ideoque, (ut refert noſter Rodulfus, qui tunc Ordinis Secretarius erat) Miniſtro Generali Joanni Pico Papa ſuam patefecit intentionem; cumque Generalis difficultatem, & ignorantiam loci evacuandi, ex quo pateret acceſſus, propoſuiſſet; juſſit Beatus Pius, pluribus ex locis aperiendum, ut reperiretur via, quà ſibi admonito, & opportunè accedenti, daretur ingreſſus, unde ad hoc Miniſtros Aſſiſium miſit; Qui diebus, noctibuſque ſuffodientes, univerſaque loca tentantes, ſuperna vi laſſati, ab opere deſtiterunt. Cujus rei monitus B. Præſul, Dei voluntatem agnoſcens, & ipſe ſub pœna excommunicationis ulteriorem prohibuit perquiſitionem: inſpiravit enim ei Deus, tam evidens fidei noſtræ argumentum in majori ejuſdem fidei periculo eſſe revelandum.

Tempore Pauli V. quidam Excelſus Princeps Superiores Ordinis admonuit ſe Aſſiſium aditurum, efficaci deſiderio ductum, conſpiciendi S. Franciſci corpus. Illi inſuperabiles difficultates, & Pontificias prohibitiones objecerunt. Sed cum fama poſtea divulgaret Dominum illum devotionis prætextu, magna comitante caterva adventurum; Fratres D. Cardinali Protectori Alfonſo Vicecomiti omnia detulerunt; timebant enim violentiam aliquam ſibi ipſis inferendam. Cardinalis totum Summo Pontifici ſignificavit, à quo mandatum accepit, intimandi Fratribus Decretum, quod adhuc in Sacriſtia expoſitum patenter legitur, cujus hic pono exemplar.

Alfonſus Miſer. Divina tit. S. Sixti S. R. E. Cardinalis V. Comes Ordinis Minorum Conv. Protector, &c.

EX Ordine, & Mandato Sanctiſſimi P. N. Pauli Papæ V. nobis facto, omnibus, & ſingulis, cujuſcunque gradus, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, diſtrictè interdicimus, & prohibemus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & ipſo facto incurrendæ, ne in futurum

au-

audeant, & præſumant ſub quovis prætextu, aut quovis colore, in Eccleſiis, & Monaſterio B. Franciſci Civitatis Aſſiſii Ordinis Minorum Conventualium perquirere, ſeu aliquam diligentiam quovis modo facere, pro inveniendo corpore, & loco, ubi requieſcit Corpus Glorioſiſſimi P. S. Franciſci; quam excommunicationis pœnam incurrant Fratres ejuſdem Conventus, tam ſi hoc attentare præſumpſerint, quàm ſi aliis auxilium, aut favorem quomodolibet præſtiterint, vel contra hanc prohibitionem Apoſtolicam aliquid tentantibus omnibus viribus non reſtiterint. Hoc verò noſtrum decretum mandamus Cuſtodi ejuſdem Conventus, quamprimùm publicari curet Fratribus, in loco, ac more ſolito, ac regiſtrari in Archivio, & copiam autenticam retineri ſemper affixam in tabella lignea conſpicuò in Sacriſtia ejuſdem Eccleſiæ. Datum Maceratæ die 28. Menſis Auguſti 1607.

A. Cardinalis Vice-comes.

Locus ✠ Sigilli.

Jacobus Allegrettus Secr.

S. Petri locum tenente Innocentio X. Anno 1648. Maria à Sabaudia Regia, ac Ducali ſtirpe Infans, S. P. Franciſci Tertii Ordinis Profeſſa, dum Aſſiſii moraretur, Seraphici Inſtitutoris obſequiis tota incumbens, ardenti flagrans deſiderio ſanctum illius Corpus inſpiciendi, miſit ad Summum Pontificem pro petenda, & obtinenda licentia, ut ſuam devotionem hac in re explere poſſet. Sed Summus Rector reſpondit, Corpus S. Franciſci revelandum, cum divinæ providentiæ placuerit; nec eſſe tentandum Deum, ut noſtræ fidei myſteria fiant evidentia: Interim Dominam ſuo nomine monendam, oculis potiùs mentis, ac fidei intuitu ſuum Sanctum Patrem, ac Protectorem venerari, quò majus meritum cumularet. Hæc omnia mihi retulit P. M. Michael Angelus Catalanus Exgeneralis anno 1666. cum jam eſſet Epiſcopus Iſerniæ: ex cujus narratione cognovi, ipſum miſsum fuiſſe à Domina mediatorem, & imploratorem ad Summum Pontificem. Hinc facilè intelligi datur, quàm diſtet à veritate, eumdem Papam aliis dediſſe facultatem, quam digniſſimæ Dominæ denegaverat.

Inſignium Perſonarum corpora in Colle Paradiſi quieſcientia.

TITULUS XLV.

PRopè Seraphicum Patriarcham Principes quamplures tumulari voluerunt, ut cum illo reſurgentes, Advocatum experirentur apud ſupremum Judicem.

Martinus Papa IV. Peruſii morti proximus Cardinali Sabellio, qui in ſuprema dignitate ei ſucceſſit, commiſit, ut corpus ſuum Aſſiſium deferretur, & in

& in Eccleſia S. Franciſci Minoritico habitu indutum ſepeliretur. Idem Cardinalis, Pontifex creatus Honorius IV. exequutioni mandari juſſit; at Cives Peruſini propter multa miracula, & gratias, quæ obtinebant ab eodem S. Pontifice, non acquieverunt. Vide literas Apoſtolicas ejuſdem Honorii. *Veſtram non credimus, &c. & ſincera illa, &c.* ſuo loco.

Joannes Brennus Rex Jeruſalem, & Imperator Conſtantinopolitanus, circa annum 1235. poſt aliquot regiminis annos, rogabat Deum, ut ipſi certam ſuæ oſtenderet animæ ſalutis viam: ter cælitus admonitus, quòd ſi ſalvari cuperet, relictis mundi dignitatibus, Franciſcanos indueret cineres, & Ordinem Minorum ingrederetur: reſignatis coronis Balduino ejus genero, Religionem ingreſſus, ac in ea piè aliquandiu moratus, in Domino obiit, cujus Corpus Aſſiſium, ut deſideraverat, translatum, juſſu Innocentii IV. ibi commorantis anno 1253. ſub Ambone marmoreo honorificè conditum fuit.

Æcubea Regina Cypri ex voto Aſſiſium venit, ut advocatum ſuum S. P. Franciſcum viſitaret, cumque ad proprium Regnum rediret; Anconæ gravi morbo laborans, juſſit corpus ſuum in Eccleſia ejudem Sancti Aſſiſii tumulari; quò ſtatim poſt mortem delatum, in excelſo mauſoleo, ex albo lapide, thalamum Regium repreſentante, cum duobus Angelis, cortinas hinc, & inde dilatantibus, & Reginæ ſimulachrum oſtendentibus, conditum fuit. Super lecti laqueare cernitur Statua B. Virginis, brachiis divinum puerum geſtantis; & coram ea paulò inferiùs ſimulachrum Reginæ ſuper leonem ſedentis. Sub thalamo cernebantur parvæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum ſtatuæ, quæ temporis injuria nunc fractæ viſuntur: inter quas ſculpta ſunt Reginæ, vel Regni inſignia in ſtemmate quadripartita, & in qualibet parte Crux major in medio circuli, cum quatuor minoribus, ſupra, & infra diſpoſitis. Undique tota moles elegantibus cingitur ornamentis: dicunt opus fuiſſe Fucci Florentini Architecti, & ſculptoris ſuo tempore celeberrimi. Noſtra m. ſ. referunt Reginam prædictam objiſſe circa annum 1240. & maximam pecuniæ ſummam fabricæ complendæ legaſſe, pro cujus Anima quotannis, gratitudinis cauſa, celebrantur funeralia cum omnibus miſſis.

In Sacrario S. Antonii Abbatis Ducibus Spoleti erecto, & Eccleſiæ addito, extra cornu Epiſtolæ in pariete jacent corpora Dominorum Blaſchi Patris, & Graciæ filii; quorum ſimulachra marmorea in eleganti Arca conſpiciuntur. Eorum fata refert ibi ſculptum hoc Epitaphium.

Magnanimus miles, Prudens, pius,
Egregiuſque, cultor Juſtitiæ, ſervator honeſti,
Blaſchus Fernandi, pacis compertor amatæ,
Hiſpanus natu, morum venuſtate pręclarus.
Anconitanæ Marchio Marchiæ tempore multo,
Rector Bononiæ, Dux Spoletanus haberis.

Et paulo infra ſic legitur.

Inclitus iſte Senator, belli maximus auctor,
Proditus hic Burgo luci, mactatus ibidem,
Et genitus Gracias acerba morte peremptus.
Hicque jacent ambo genitor, genituſque vocati,
Quos Deus Eliſiis præponat ſedibus almis.

In cornu Evangelii juxta idem Altare conſimile elegans monumentum cernitur, quò condita ſunt oſſa quorumdam Baronum, & Ductorum inſignium militum, ejuſdem Fernandi ſtirpis, & Cardinalis Ægidii Albenotii agnatorum.

Digitized by Google

In plano Sacelli Sacrarum Reliquiarum, intra Conclave, humata requieſcit Sereniſs. Maria à Sabaudia, cujus Epitaphium ab Alexandro VII. compoſitum, tantæ Heroinæ virtutes planè ſingulares amplectitur.

Maria Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis,
Et Catherinæ Hiſpaniæ Infantis filia.
S. Franciſci Tertium Ordinem veſte, moribus, virtutibus profeſſa.
Vitæ aſperitate, continentia, convertendi Hæreticos ſtudio,
Sacris peregrinationibus, alendis pauperibus, Templis ornandis
Magnam ſanctimoniæ famam conſecuta, obiit Romæ.
A. D. 1656. ætatis 62. Atque hic, ubi ſepulchri locum ſibi delegit,
Sepulta eſt.

Lapidem ſepulchralem, totumque Capellæ planum hinc, & inde amplectuntur inſignia Sabaudiæ Ducum, variis, pretioſiſque lapillis affabrè intexta; ſub quibus montes, & ſuperiùs Stella, quæ ſunt Domus Chiſiæ ſtemmata. Hæc ex Devotione erga Dei famulam, ipſe Papa apponi mandavit. Totam molem pavimentum adoperit, ne pedibus conteratur. Pro anima ejuſdem Infantis prima Miſſa in majori Altari, ſub quo ſtat glorioſiſſimi S. P. Corpus, quotidiè celebratur.

In Capella S. Martino ſacra, ſub laterali muro ad dexteram Altaris reconditur Cadaver Domini Sigiſmundi Caroli Ducis Radzivil Poloni, qui viſitandi gratia ſacra Italiæ loca, cum Aſſiſium veniſſet, & ſua ſancto Patri obſequia præſtitiſſet, febre correptus, eo in loco, ut diſpoſuerat, ſepultus eſt anno 1638. Adhuc ſervantur in ſericis, auro impreſſa ejus inſignia cum Epigraphe.

Sigiſmundus Carolus Radzivil,
Dux in Olica, & Mieſvicsz,
S. Romani Imperii Princeps,
Comes in Mir, & Midlovviec,
Palatinus Novogradenſis,
Eques Militenſis, Commendator Poſnanienſis,
Stolevicenſis, & Pocieiki.

Ægidius Carillus Cardinalis Albernotius Hiſpanus Archiepiſcopus Toletanus, Apoſtolicę ſedis, Avenione commorantis, in tota Italia Legatus, ſuam reſidentiam ut plurimùm in ſacro Collis Paradiſi Conventu tenuit, qui ampliſſimis muneribus ad complementum, & munimentum fabricæ opitulatus eſt: extant propterea in altiori muro ejus inſignia: moriturus anno 1367. juſſit ſuum corpus in lalario S. Catherinæ V. & M. quod ipſe in ejuſdem Collis Baſilica à fundamentis ſumptuoſè erexerat, deponi, uſque dum Toletum ad ſuam Cathedralem transferretur. fuerunt quidem oſſa ejus illuc delata, ſed partes tenuiores in priori loculo remanſerunt. Pro cujus anima quotannis prima die Septembris ſolemnes celebrantur exequiæ.

In Sacello S. Ludovici à Cardinali F. Gentili de Monteflorum Minorita erecto, ac in pariete poſt Altare ab eo avulſum, eiuſdem Corpus in Domino requieſcit. A Bonifacio VIII. ea dignitate donatus fuerat anno 1298. Qui Avenione moriturus 1312. præcepit Aſſiſium ſuum deferri cadaver, & ibi tumulari. Effigies ejus, & inſignia in vitreis feneſtrarum valvis depicta cernuntur.

Franciſcus Urſinus Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Silice, à Bonifacio VIII. creatus anno 1294. Sancto Patri, cujus nomine gloriabatur, verè devotus, ex Gallia in Italiam rediens anno 1312. in itinere obiit, cum juſſiſſet in

hac

hac Baſilica ſepeliri. Ejus effigies, alba, & Dalmatica induti, capite mitram gerentis, junctis manibus, ac genuflexi, inſpicitur in laterali muro ſacelli S. Mariæ Magdalenæ, unde creditur ſub eodem pariete tumulatus.

Neapolio Urſinus Cardinalis Diaconus Sancti Adriani, à Nicolao IV. anno 1288. purpura inſignitus, Umbriæ, & aliarum Provinciarum Legatus, qui ſexaginta ferè annis in ea dignitate vixit, inſignem Capellam S. Martino Epiſcopo ſacram in hac Eccleſia erexit. Avenione, ubi anno 1347. deceſſit, ut præceperat, tranſlatus in ſarcophago poſt Altare (ab eo tamen diſtante) conditus fuit.

Joannes Jordanus Urſinus Romanus Princeps, ejuſdem Neapolionis germanus, ſepultus quieſcit in Sacello S. Jo: Baptiſtæ prope Sacriſtiam ab ipſo à fundamentis erecto. Ferunt ibidem cum eo tumulatum Thomam Urſinum Manuppelii Comitem, ejuſdem Joannis conſobrinum, qui ſacrum B. V. Velum noſtræ obtulerat Baſilicæ. De prædicto Jo: Jordano in antiquo m. ſ. reperio, quod propè Altare S. Jo: Baptiſtæ, ubi requieſcit, expoſita fuerit in charta membranea devota hæc expreſſio.

Rogo te Beatiſſime Franciſce glorioſe, ut gratia ſanctiſſimorum meritorum tuorum ſit mediatrix apud clementiſſimum Crucifixum pro me indigno ſervo tuo devotiſſimo Joanne Jordano Urſino, ut merear juxta ſuam voluntatem vivere, & pro ſua ſancta fide Catholica vitam finire ſibi acceptam, ad laudem, & gloriam nominis ſui ſanctiſſimi. Amen.

In calce ejuſdem ſupplicationis delineatum extabat ſtemma nobiliſſimæ Urſinorum familiæ, & hinc inde legebatur inſcriptio.

Joannes Jordanus Urſinus de Aragonea,
Chriſtianiſſimi Regis Ordinis S. Michaelis Eques.

Quod totum temporis injuria conſumptum evanuit: ſed renovari debuerat: eò vel maximè quòd pius Princeps inter vivendum eam appoſuerit. Et quidem nobiliſſima Urſinorum progenies, exemplo Nicolai III. ex ea aſſumpti, eximiè devota ſemper S. Patri, ac ejus Eccleſiæ mirè benefica fuit, cujus ſtemmata multiplicia intus, & foris conſpiciuntur.

Guido Montis Feltrii, Urbini Comes, ac Princeps, ob militarem potentiam celeberrimus; qui ſummis Pontificibus, & eorum militiæ infeſtus, diù terrorem incuſſerat; Tandem malè patratorum pœnitens, humiliatus ad pedes Bonifacii VIII. ſe projecit, veniam petiit, ac obtinuit anno 1296. Inde Principatu renuntiato, Ordinis Minorum Religionem ingreſſus, & Anconæ in Eccleſia S. Franciſci à Miniſtro Provinciali indutus fuit. In ordine piè, ac humiliter vixit, errata lachrymis, ac jejuniis diluens, & (quicquid in eum mordax Dantes licentia poetica cecinerit) religioſiſſimè in Sacra Aſſiſienſi domo obiit, ac in ea tumulatus; Id etiam conteſtantur hiſtorici, qui eo tempore vivebant, Marianus, & Jacobus.

In plano Lararii S. Bonaventuræ, coram Altare amplum monumentum erectum eſt, lateribus opertum, in quo condita ſunt oſſa quamplurium, & ferè omnium Epiſcoporum Aſſiſienſium, ex Ordine Minorum.

In propileo propè thalamum, ſeu mauſoleum Reginæ Cypri ad lævam humantur oſſa Fratris Caroli de Nepis, Aſſiſiatis Epiſcopi, ut indicant ſtemmata nobilis hujuſce familiæ, in parte exteriori apparentia.

In plano Sacelli S. Antonii Patavini, ante Aram quieſcunt Cineres D. Tecrimi Tecrimii Lucenſis Patriarchæ Hieroſolymitani, & Aſſiſiatis Antiſtitis, cujus inſignia in lapide Sepulchrali ſculpta cum hac inſcriptione cernuntur.

D. O. M.

Tecrimo Tecrimio nobili Lucenſi
Epiſcopo Aſſiſiati, Patriarchæ Hieroſolymitano.
Viro ut præſentis humanitatis, ita candoris antiqui,
At Prudentiæ omnium temporum.
Quem Urbanus Octavus P. M. privato quondam ſibi charum,
Poſt Princeps, multis aulæ muneribus adlectum,
Et cum laude, ac fide perfunctum;
Ubique benevolentia, ac judicio ſuo dignum invenit.
Obiit an. ſal. 1632. ætatis ſuæ 73.
Joannes Tecrimius fratris filius
Patruo optimo, ac benemerentiſſimo p.

Poſt Altare Sancti Valentini in terra cernitur Sepulchrum, in cujus lapide delineata eſt effigies Religioſi Minoritæ, cum inſcriptione.

Hic jacet Hugo de Hergilopo Anglus, Magiſter S. T. quondam Miniſter Angliæ. Obiit 3. Id. Sept. A. D. 1302. Orate Deum pro anima ejus.

In ampla planitie ante Altare Conceptionis puriſſimæ Virginis multa ſepulchra, in quibus quamplurium inſigniorum Fratrum Minorum oſſa requieſcunt, ac in marmoreis opertoriis eorum effigies delineatæ, & nomina ſculpta exprimuntur, ac dignitates.

In primo prope Capellam S. Nicolai abſque effigie legitur. Hic jacet Ven. Religioſus F. Franciſcus Macharelli de Aſſiſio, qui fuit Miniſter Provincialis Provinciæ S. Franciſci, cujus corpus Piſis depoſitum, & Aſſiſium honorificè portatum. Anno Domini 1347.

In aliis ſunt etiam conditorum Imagines, videlicet. Hic requieſcit P. F. Andreas de Galiano Miniſter Provinciæ S. Franciſci, qui obiit anno 1350. die 3. Decembris.

Sepul. Ven. P. F. Joannis de Spello in S. Theolog. Magiſtri, & lectoris ſacri Conventus Aſſiſii Anno D. 1362.

Hic jacet F. Angelus de Aſſiſio S. T. Magiſter, & Inquiſitor hæreticæ pravitatis Anno D. 1362. die 1. Februarii.

Sepulc. Ven. Fratris Joannis de Aſſiſio, qui fuit bis Miniſter Provinciæ B. Franciſci. Obiit Anno D. 1362. die 7. Aprilis.

Sep. F. P. Fulginenſis S. T. Magiſtri Terræ Sanctæ, Romaniæ, & S. Franciſci Provinciarum Miniſtri. Obiit A. D. 1461.

Sep. F. Bartholomæi Peruſien. S. T. Magiſtri, Provinciæ S. Franciſci Miniſtri, qui obiit A. D. 1491. die verò 13. Auguſti.

Ferunt in eiſdem monumentis ſepulta eſſe corpora quamplurium inſigniorum ex PP. S. Conventus Magiſtris, Inquiſitoribus, & celeberrimis Concionatoribus, ac Cuſtodibus. Colligitur Viros præclaros etiam in primis Ordinis ſæculis à noſtris ſenioribus honore affectos fuiſſe, & Magiſterii, Doctoratus, ac Inquiſitoriatus gradus, qui in ſolis Minoribus Conventualibus perdurant, ſemper viguiſſe.

Sacrorum Stigmatum veritas ab Apoſtolica Sede comprobatur.

TITULUS XLVI.

VIta functo, & jam Sanctorum faſtis adſcripto Seraphico Inſtitutore; cum jam fama per univerſum Chriſtianum Orbem ejus Corpori divinitùs impreſſa vulnera buccinaret, & per Eccleſiaſtum ora divulgaret: nonnulli docti Viri, ſæculi ſapientia inflati, qui mundana ſcientes, divina ignorare ſolent, hujuſmodi veritati dictis, ſcriptis, argumentis, & concionibus contradicebant, animosè palam aſſerentes Hæreticos eſſe id promulgantes, ac deceptos ſimplices, id credentes. At Apoſtolica Sedes, quæ cathedra Sanctæ fidei extat, & ab ea edocti ſummi, & irrefragabiles Magiſtri eorum ſuperbiam dejicere, audaciam frangere, & fideles in confeſſione tanti myſterii confirmare ſategerunt.

Gregorius namque I X. anno 1237. ſequens dedit diploma, cujus authenticum exemplar in Archivio Paradiſi Collis extat, lectu digniſſimum.

Gregorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis. Sal. & Apoſt. Benedic.

COnfeſſor Domini glorioſus B. Franciſcus, qualis vitæ meritis proceſſerit ad patriam perpetuæ claritatis, explicare literis arbitramur fore ſuperfluum, cum id ferè pervenerit ad fidelium notitiam ſingulorum. Veruntamen grande, ac ſingulare miraculum, quo ipſum Sanctorum ſplendor, & gloria, Dominus Jeſus Chriſtus mirabiliter decoravit, univerſitati veſtræ, tenore præſentium, non indignè duximus exprimendum: videlicèt, quòd idem Sanctus, cum adhuc ſpatium præſentis vitæ percurreret, & poſtquam illud feliciter conſumavit, manibus, latere, ac pedibus ſpecie Stigmatum extitit inſignitus. Quo ad noſtram, & fratrum noſtrorum deducto notitiam, & cum cœteris ejus miraculis per teſtes fide digniſſimos probato ſolemniter, ex ipſo ſpecialem cauſam habuimus, quòd Confeſſorem eumdem, de dictorum Fratrum, & omnium Prælatorum conſilio, qui tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtebant, Sanctorum Catalogo duximus adſcribendum. Igitur cum id ab univerſis fidelibus credi firmiter cupiamus; devotionem veſtram

veſtram rogamus, & hortamur in Domino J. C. in remiſſionem vobis peccaminum injungendo, quatenus ab aſſertione contrarii aures de cætero penitus avertentes, Confeſſorem eumdem pia vobis reddatis veneratione propitium: ut ejus meritis, & precibus & in præſenti à Domino proſperitatis gaudium, & in futuro felicitatis æternæ percepiſſe ſolatium exultetis.

Datum Viterbii, nonis Aprilis, Pont. noſtri anno XI.

At quia in Moravia Epiſcopus Olomucenſis morditus impugnabat hanc veritatem, & ſuis literis promulgari juſſerat ſuperſtitioſum, & falſum eſſe dicere S. Franciſcum Stigmata Chriſti in ſuo Corpore habuiſſe; Pontifex ipſe illi graviſſimis objurgavit literis, quas ex Archivio prædicto affero.

Gregorius Epiſcopus Ser. Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam Ven. Fratri, Epiſcopo Olomucenſi. Sal. & Ap. Ben.

Usque ad terminos orbis terræ præſumptionis tuæ ſigna protendens, patentes literas exhibendas univerſis Chriſti fidelibus, cuidam, ad ſobrietatem ſpernenti ſapere, ac damnabiliter deliro blaſphemiis, manu lubrica conceſſiſti; quas inter aliqua pietati conformia, & quædam obnoxia puritati continere percepimus; quòd (cum ſolus Patris æterni Filius fuerit pro humana ſalute Crucifixus; & ipſius dumtaxat Vulnera devotione ſupplici adorare debeat religio Chriſtiana) nec Beatus Franciſcus, nec Sanctorum aliquis cum Stigmatibus ſit in Eccleſia Dei depingendus; & quod peccat contrarium aſſerens, nec illi tamquam inimico fidei, credulitas adhiberi ulla debeat. Super quo non modicùm admirantes, quæ ſit cauſa ſuaſionis hujus, non indignè providimus perſcrutari; ut ſi fortè bona ſit (quòd impoſſibile creditur) commendabilis habeatur, quòd ſi non, in oblivione detur; & tu inductus ſpiritu pœnitudinis, ad ſuggerendum ſalutare contrarium promptus, & facilis habearis. Etenim ſuper his ex eo ſumpſiſti forſitan argumentum, quòd ſit indecens in ſubditis, ut planta ſibi prætendat inſignia capitis. Ad hæc quidem providentes; etſi non multa, quæ poſſumus, tamen breviter quædam, perſpicuè præſidium rationis habentia, reſpondemus, videlicet, quòd Dei ſapientia, quæ de limo terræ ſimilem ſibi formans hominem, ſimilem illi fieri per Incarnationis Myſterium, ut ipſum à morte redimeret, non contempſit; dilectum ſibi B. Franciſcum ſuorum ſpecie Stigmatum decoravit. Quæ temeritas? quod peccatum? ſi tam ſingulare privilegium, ad indulgentis gloriam, picturæ teſtificatione pateat oculis devotorum? nonnè, ut ſileamus de aliis, Princeps Apoſtolorum eximius, licèt poſitione diſſimili, quandoque pingitur Crucifixus? ſed dicis intrepidus: cum præteriri nequiverit, quòd de Cruce Petro veritas indicaverat, neque impropriè ſuſpenſus in Cruce dicitur, neque incongruè tali damnatus ſupplicio figuratur: ſed de Franciſci Cruce, vel Stigmatibus, quod veritatis indicium? quod probabile argumentum? Si quidem nota ſæculis vita ipſius reſpondeat; quòd poſtquam Religionis aſſumpſit habitum, vacando virtutibus, continuum carnis ſubiit cruciatum.

De

Digitized by Google

De Stigmatibus verò plures fide digniſſimi, quos miraculi tanti conſcios divinæ placuit reddere poteſtati, teſtimonium veritati perhibeant; & ad ipſum hoc fidelis Eccleſia ſuffragetur, quæ ex hujuſmodi miraculo, cum multis aliis, debita ſolemnitate probato, cauſam ſpecialem habuit, quòd eumdem Sanctorum Beatorum Catalogo reverenter adſcripſit. Quid ad iſta quaſi mundo publica, & tibi per conſequens non ignota, reſpondes? Niſi quòd voluntatis arbitrium præferens rationi, nos, vel Deum potiùs gratis offendis, ac utique dilectorum Fratrum Minorum Ordinem, nimis improvidè perturbas? Ad cor igitur, qui os in Cœlum ponere præſumpſiſti (ut de reliquo taceatur) ſine mora revertere: ad iram ſupremi Judicis mitigandam ſtudia ſuſcipe pœnitudinis, proviſurus, ut ſcandalum, quod quantùm in te fuit, univerſitati fidelium per prædictas intuliſti literas, deleatur; & dictorum Fratrum Collegia ſint in Theutoniæ partibus in reverentia conſueta. Quòd, ut tantò faciliùs, auctore Deo provenire valeat: fraternitati tuæ in virtute S. Obedientiæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus cordi tuo pro ſolemni voto conſtituens, quòd aliquid de cætero, ex quo provocari ſuperna majeſtas, vel Sedes Apoſt. juſtè conturbari valeat, non attentans, prædictum privilegium, quo celſitudinis Divinæ dignatio ſui Confeſſorem nominis reddidit glorioſum, damnabiliter infligere, aut impingere calumniis non præſumas; ſed celebrem, ad honorem Conditoris, quantùm in te fuerit, humili devotione procures; firmiter crediturus, quòd idem Sanctus, cum noſtræ mortalitatis habitum bajularet, prædictis Stigmatibus extitit inſignitus; & licèt ipſe, contemnens laudes hominum, celare ſemper ſtuduerit, ea tamen, migrans ad Paradiſi patriam, concurrentium obtuitu publicavit. Datum Viterbii 2. Kalendas Apr. Pont. noſtri anno XI.

Sequens Epiſtola pertinet ad Concionatorem quemdam Religioſum, qui multa proferebat contra S. Stigmata S. P. Franciſci, directa ad Superiores Ordinis illius Prædicatoris.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Provincialibus Ordinis....

NOn minùs dolentes accepimus, quàm mirantes, quòd quidam Frater veſtri Ordinis, Evechardus nomine, immemor, quòd ſermo prædicantium ſalis gratiæ ſemper habere debeat condimentum; cum perveniſſet Opaniam Moraviæ Civitatem, de prædicante tranſiens in blaſphemum, in communi dicere non expavit, quòd in laudem B. Franciſci per quoſdam ex diſcipulis ſuis pie depoſita, deberent haberi pro reprobis, quòd in ejus corpore Stigmata non fuiſſent. Quid ultra? nec Chriſto, qui Sanctum eumdem manibus, pedibus, ac latere hujuſmodi Stigmatum privilegio decoravit; nec nobis, qui ex tanto miraculo, cum cæteris ſolemniter probato, cauſam ſpecialem habuimus, quòd ipſum adſcripſimus catalogo Beatorum, deferendo; dicti Fratris elatio in tantam prorupit inſaniam, quòd di-

diſcipulos memoratos, coram populo quæſtuarios, & falſos prædicatores appellans, impudenter aſſeruit, quòd in ipſos, & conſimiles auctoritate noſtra, excommunicationis poſſet ſententiam promulgare. Verùm, cum non ſolùm jam dictæ nequitiæ protulerit verba; ſed & ipſis alia perverſa, proximorum pace, ſuaque ſalute poſtpoſitis, cumulaverit: diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus; quatenus, ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, Fratrem eumdem, apud quemcumque fuerit, ſuſpenſum à prædicationis officio, ad noſtram mittatis præſentiam, pro meritis recepturum. Datum Viterbii 2. Kalendas Aprilis Pont. noſtri anno XI.

Alexander, qui Dei prodigium in Sacro Corpore non ſemel viderat, eam veritatem ſingulari diplomate expreſsè confirmavit, mandans celebritate annua, prædicatione, veneratione frequenti ea divina beneficia, B. Confeſſori collata recenſeri. Quod attentè legendum ex noſtro Archivio propono; refertur etiam à P. Vvand. T. 2. an. 1255. n. 9.

Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, præſentes literas inſpecturis, & audituris. Sal. & Apoſt. Bened.

BEnigna operatio divinæ voluntatis in cœlo potens, & innovans ſingula ſapienter, & immutans mirabilia ſuper terram, poſtquam Dei filius victor mortis ad Patrem, undè deſcenderat vehiculo propriæ majeſtatis aſcendit, mirificæ fortitudinis viros ad conſumationem Sanctorum diverſis temporibus ſuſcitavit, à quibus teſtimonium ſpei gloriæ cum Chriſto, in Deo reconditæ firmaretur; & Eccleſiæ Sanctæ ad promiſſam requiem feſtinandi in hoc peregrinationis exilio, quod tædioſa deſiderii ejus dilatione protrahitur, per ipſos conſolationis ſolatium perveniret. Inter alios autem diebus noſtris B. Franciſcus almus Chriſti Confeſſor apparuit, ſignis, & virtutibus glorioſus. Qui clariſſimus piè vivendi meritis, & exemplis Sanctam fecundavit Eccleſiam, & caligantia præſentis ætatis tempora fulgoris ſui lampade illuſtrans, viam juſtitiæ perfectè præparans in eremo altiſſimæ paupertatis, quam ipſe currens, & alacriter exultans contra carnem, mundum, & Diabolum, velut gygas, traxit poſt ſe de inferni faucibus, & traduxit ad Dominum populum humilem, bonorum operum ſectatorem; ſicut eſt diffuſa ſuper faciem orbis terræ copioſa profeſſionis ejus religioſa generatio patefacit. Ut autem ad illuminationem gentium celebris ejus memoria, tamquam rutilum ſidus in coruſco firmamenti myſtici æthere ſervaretur; multis eum divina potentia, adhuc militantem inter homines, & demum in Sanctorum agmine triumphantem dignata eſt clarificare miraculis; quæ fel. recor. Gregorius Papa prædeceſſor noſter, ne illa vel perverteret æmula Sanctitatis iniquitas,

vel

vel oblivionis digitus, qui rebus geſtis citò ſuperducitur, aboleſceret; ſolertiſſimis inquiſitionibus indagata, & comperta fideliſſimis documentis fecit, ad laudem Dei, & augmentum fidei, & inſtructionem ſalubrem tam præſentium, quàm etiam futurorum monumentis perpetuis commendari; eumdem Confeſſorem Sanctorum catalogo adſcribendo, ſicut in plurimis locis liquidò per ipſius prædictas literas apparet, harum ſeriem explicitè continentes. Porrò quia longum eſſet, nedum exarare per ſingula, verùm etiam ſuccincta relatione perſtringere clara virtutis divinæ prodigia, quæ tam in operationibus ſanctitatis, quàm etiam in aliis mirabilibus argumentis probaverunt eumdem Confeſſorem tenere cum Sanctis ſolium gloriæ in excelſis; ſignanter vobis ante oculos proponere volumus recolenda frequentiùs, & vehementiùs admiranda illa ſaltem jucunda Dominicæ paſſionis inſignia, quæ in ejusdem Sancti Corpore manus cœleſtis operationis impreſſit. Viderunt namque oculi fideliter intuentes, & certiſſimi palpantium digiti palpaverunt; quòd in manibus ejus, & pedibus expreſſa undique ſimilitudo clavorum de ſubiecto propriæ carnis excrevit, vel de materia novæ creationis accrevit; quæ equidem idem Sanctus ſtudioſè ab oculis hominum, quorum refugiebat gloriam, dum viveret, abſcondebat. Inventa eſt patentiùs in ipſius defuncti Corpore, non inflicta humanitus, nec facta plaga vulneris lateralis, quaſi aliquid inſtar lateris Salvatoris; quod ſalvationis, & redemptionis humanæ in Redemptore noſtro protulit Sacramentum. Quæ quidem plaga, ſicut quoſdam ex fratribus ſibi familiariter adhærentibus latere non potuit, propter defluxum humoris; ſic diù antea viruerat in vivente. hæc igitur mira, & decora novæ demonſtrationis indicia magnæ debent eſſe devotionis divitiæ Chriſtianis, & inæſtimabiles religioſis deliciæ in ſpiritualibus communis Eccleſiæ Orthodoxæ: cum ex his ſincera fides Chriſti accipiat, quòd etiam illi poſſint eſſe paſſionis Chriſti, ſine extrinſeco perſequutore, conſortes, qui pro ejus amore carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis voluntariæ crucifigunt. Sanè de præfato Sancto hæc certiùs aſſerentes, indoctas fabulas, ſeù vanæ inventionis deliramenta non ſequimur: cum ea nobis dudum nota fecerit plenior fides rerum; quando videlicet in minoribus conſtituti, Confeſſoris ejuſdem familiarem, ex munere divino, meruimus habere notitiam, præfati prædeceſſoris noſtri domeſticis obſequiis tunc temporis inſiſtendo. Cum igitur oporteat cavere prudenter, nè tanta patrocinii gratia, humano generi cælitus in memorato Confeſſore collata in vacuum aſſumatur; univerſitatem veſtram rogamus, monemus, hortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes; quatenus ejuſdem Confeſſoris pretioſa merita celebritate annua, prędicatione frequenti, & veneratione aſſidua recenſentes, ad ipſius devotionem gratiæ divinæ memoriam ſubditos veſtros excitetis monitis, ut eo pro univerſo fidelium populo, ac præſertim pro his, qui eum invocarint, divinam miſericordiam implorante, mereantur ſupplices, quòd operum poſſibilitas obtinere non poteſt, ejus interceſſionibus impetrare. Nemo itaque eidem Sancto audeat de cætero eſſe moleſtus in Corpore ſuo Chriſti triumphalia Stigmata præferenti. Si quis igitur ſpiritu temerariæ præſumptionis inſaniens, divini muneris invidus, Apoſtolica indicia ſacrilegus impugnator præmiſſa, vel alia prodigiorum ſigna, quibus in Eccleſia Dei Sanctitas prædicti Confeſſoris eluxit, improbæ contradictionis morſibus obtrectanda crediderit: volumus, & mandamus, ut cum ſanæ menti reſtituat judicialis ſeveritas diſciplinæ; ità quòd diſtricta proprii Prælati caſtigatione correctus Dei opera blaſphemare dediſcat, & fidei Catolicæ fructus, de pia mirabi-

lium Domini credulitate pullulans, non areſcat. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ prohibitionis, confirmationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Anagniæ 4. Kalend. Nov. Pontif. noſtri anno 1.

Ad frangendam ignaviam Nebulonum quorumdam, qui in Regnis Caſtellę, & Legionis audaciter contra S. P. F. Stigmata oblatrabant; idem Alexander ſequentes literas miſit, quibus conſtanter pro veritate divinum hoc privilegium ſuſtinuit. quæ etiam do ex vet: Codice, & referuntur ab eodem Hiſtorico ad Annum 1259. n. 1.

Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei.

Dilectis fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per Caſtellæ, & Legionis Regna conſtitutis, præſentes lit. inſp. Sal. & Apoſt. Bened.

QVia longum eſſet nedum exarare per ſingula, verùm etiam, &c. ut in ſuperiori diplomate, *uſque ad illa verba*, pullulans non areret, & *ſequitur*.

Verùm poſt hujuſmodi noſtras exhortationes, & literas, ex relatione quorumdam fide dignorum, dolentes referimus, & conturbati, quòd nonnulli Religioſi, & Clerici Sæculares de Caſtellæ, & Legionis Regnis, circa dictum Confeſſorem condignam reverentiam gerere contemnentes; quandoque in publico, & frequenter aſſerunt in occulto, quòd idem Confeſſor non habuerit Stigmata memorata. Ipſi etiam in tantam prorumpunt inſaniam, quòd de Imagine Confeſſoris ejuſdem, ubicumque depictam illam inveniunt, Stigmata ipſa damnabiliter abolent, & faciunt abolere; prohibendo Pictoribus, nè præfat in Confeſſorem cum Stigmatibus depingant eiſdem: propter quòd ipſius Confeſſoris honori, & devotioni fidelium multùm adimitur; ac Venerandæ Religioni dilectorum filiorum de Ordine Minorum graviſſimè derogatur. Cum itaque ſuper his ad honorem Altiſſimi opportunum per nos deceat remedium adhiberi, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut omnes de Regnis prædictis, qui de Imagine Confeſſoris ejuſdem hujuſmodi Stigmata aboluerint, ſeù abolere fecerint, & qui prædicaverint dictum Confeſſorem ipſa Stigmata nullatenus habuiſſe, cujuſcumque ordinis, vel conditionis exiſtant, eo ipſo laqueum excommunicationis incurrant, à qua non poſſint abſolvi, niſi perſonaliter Apoſtolicam Sedem adeant, ſuper hoc beneficium abſolutionis petituri. Et ſi tales fortè Doctores, ſeù Lectores in Theologia, ſeù quacumque alia facultate fuerint, Lectionis ſi Doctores, Prædicationis officiis, ſi Prædicatores, ſi verò poteſtatem audiendi confeſſiones habeant, ea ſint omninò privati; & quilibet ipſorum, qui hujuſmodi officia, vel poteſtatem ſimul habuerit, ſimilem horum privationum incurrat. Ut autem hujuſmodi præſumptionibus finis deſiderabilis imponatur

ponatur, fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſeriem præſentium omnibus Rçligioſis, & Clericis Sæcularibus exemptis, & non exemptis veſtrarum Civitatum, & Diœceſum fideliter per vos, vel alium, ſeù alios exponatis: facientes excommunicationem, & privationem hujuſmodi, appellatione remota, firmiter obſervari; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Præceptum verò noſtrum in hac parte taliter adimplere curetis; ut iniuria, quam Dei filius in Sancto ſuo ſuper his pati dignoſcitur, cordibus veſtris eſſe moleſtiſſima videatur: ita & per conſequens gratiæ divinæ præmium, & noſtri favoris vobis proveniat incrementum. Dat. Anagniæ 5. Kal. Auguſt. Pont. noſtri anno 5.

Nicolaus III. pro eadem veritate in Eccleſia Dei firmanda anno 1279. confirmavit Conſtitutionem Gregorii IX. primam, ab eo datam ſuper hanc materiam ſequenti diplomate.

Nicolaus Epiſcopus Ser. Servorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus, ad quas literæ iſtæ pervenient, Sal. & Apoſt. Benedic.

Literas fel. recor. Gregorii Papæ IX. prædeceſſoris noſtri non abolitas, non cancellatas, non vitiatas, vera bulla bullatas inſpeximus diligenter; quarum tenorem de verbo ad verbum ex certa ſcientia præſentibus fecimus adnotari, concernentes, & ſtatuentes, ut idem tenor eamdem vim, eumdemque vigorem, & idem robur per omnia obtineat ſic inſertus, quæ ipſæ literæ ipſa bulla munitæ obtinere noſcuntur; etiam ſi dictæ literæ numquam in poſterum apparerent, & eadem ſibi fides in judicio, & extra judicium adhibeatur omninò, quæ prædictis originalibus literis præberetur. Prædictus verò tenor ſecundùm literam talis eſt. Gregorius Epiſcopus Ser. Ser. Deï. Univerſis, &c. Confeſſor Domini glorioſus B. Franciſcus, qualis vitæ meritis, &c. & ſequitur per omnia, ut ſupra in prima bulla hìc recenſita, uſque ad illud. Datum Viterbii, &c. & addit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam hùjus noſtræ atteſtationis, annotationis, Conſtitutionis infringere, vel ei auſu, &c. Si quis autem, &c. Datum Suriani 8. Kalend. Sep. Pontif. noſtri anno 2.

Sedente Nicolao IV. Religioſus quidam Concionator, non audens impugnare veritatem Stigmatum S. P. Fran. in quadam concione, odioſa comparatione illa vilificare ſtuduit; undè ad Superiores illius Ordinis, quem Papa exprimit, hìc autem deſero, infraſcriptum dedit mandatum, relatum etiam à Vuad. T. 2. ad annum 1291. n. 24.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilecto filio Provinciali . . . Fratrum Ordinis . . . Provinciæ Thuſciæ.

CUm ad aures noſtras inſinuatione multiplici perveniſſet, quòd Frater Thomas de Averſa tui Ordinis, cum in die feſtivitatis B.... Martyris publicè prædicaret, ſuis terminis non contentus, in obtrectationem Stigmatum Crucifixi, quibus B. Franciſcus certo, & ſingulari dono inſignitus fuiſſe dignoſcitur, temeraria objurgatione prorupit, ut ſigna Dei vivi Beato ... Martyri, & B. Franciſco mortui Dei ſigna, & hæc ſuperficialiter, ſicut cernitur in picturis, adſcriberet. Nos ſuper his non ſine admiratione commoti, hoc diligenter attendimus, quod Sancta Romana Eccleſia de Beato Franciſco, & Stigmatum ejus infixione ſollicita, illa in carne ipſius non ſuperficialiter, ſed in interiora per carnem, nervos, & oſſa in quinque partibus, manuum, pedum, & lateris in certos, & congruos fines ingreſſa; ita ut non virtute naturæ, ſed miraculoſo gratiæ dono ſic fieri, vel eſſe potuerit, per teſtes legitimè comprobatum accepit; & ut ſic de Stigmatibus ipſius B. Franciſci teneatur, & venerabiliter obſervetur, irrefragabili ſanctione firmavit: ex quo ambiguum videri non poteſt, ſacrilegii ſubire diſcrimen, quicumque negare, vel improbare audeat, quòd ipſa Mater Eccleſia tantæ ſanctimoniæ ſpiritu, non omiſſo humanæ juſtitiæ molimine, confirmavit. Propterea Fratrem ipſum, ut ex ore ejus ſcire poſſemus, ſi ſecundùm ea, quæ nobis inſinuata fuerant, facti veritas ſe haberet, ad noſtram præſentiam duximus evocandum. Qui poſtmodum in noſtra præſentia conſtitutus, poſt aliquam diſcuſſionem, fuit ſpontè confeſſus; quòd de ſignis hujuſmodi prædicaverat, ea in Martyre præfato viventis Dei fuiſſe, non mortui; & quæ in B. Franciſco fuerant, fuiſſe Dei mortui, & non viventis. Nos igitur dicti Fratris aſſertionem improbam, & temerariam attendentes, qua de Salvatore, & Stigmatibus ejus periculosè diſtinguens, Chriſtum in Sanctis ſuis aſſeruit nunc mortuum, nunc viventem; cum tamen, qui manet in æternum Chriſtus, non minùs, aut plus viveret in Martyre, cum illum ſigno martyrii coronaverit, quàm militanti Confeſſori, qui Crucem ſuam tulerat, & nudus nudum ſequebatur, cum dedit illi, ut Stigmata ſua excellentiſſimo privilegio in carnis ſuæ materia præſentaret: quæ quidem vivo adhuc ipſo Confeſſore, & poſtmodum defuncto, humanis oculis, & tactui patentiſſimè claruerunt. Memorato Fratri Thomæ, ut juxta ea, in quibus pernicioſa ſubtilitate deliquerat, pœnam agnoſceret, pro noſtra quidem patientia ſuo demerito leniorem, prædicationis officium, ac docendi miniſterium uſque ad ſeptennium nos interdixiſſe cognoſcas. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus interdictum noſtrum hujuſmodi circa ipſum Fratrem Thomam procures, & facias inviolabiliter obſervari: & tu ovem tuam cognoſcens, ac morbum ejus, & appoſitam medicinam, ſic illam boni paſtoris more cuſtodias, ut ipſa, & aliis per exemplum, & ſibi per meritum obedientiæ convaleſcat; & ex hoc tuæ cuſtodiæ rectitudo dignè poſſit à nobis in Domino commendari. Datum Romæ apud Sanctam

ctam Mariam Majorem 12. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

Benedictus X. qui etiam XI. dicitur, ex præclariſſimo Prædicatorum Ordine aſſumptus, ut veritatem hanc firmaret, omnemque dubietatem dirimeret, feſtum Impreſſionis Sacrorum Stigmatum in Corpore B. Franciſci inſtituit, & anniverſaria ſolemnitate cum officio celebrari juſſit, cum moraretur Peruſii anno 1364. ut conſtat ex actibus Capituli Generalis, eodem anno Aſſiſii celebrati, quam feſtivitatem Sixtus V. Paulus V. & Urbanus VIII. per omnem Eccleſiam confirmarunt.

Quis autem fuerit tam admirandi operis Auctor, ſeu ſculptor tam egregii Simulacri, in dubium revocandum non eſt; fuit ipſe Dominus J. C. Attamen hoc noſtro ſæculo non defuerunt aliqui inſcii, ne dicam invidi, qui tale opus Archangelo Michaeli, vel alteri de Choro Seraphim cœleſti Spiritui adſcribant. Ad quorum ignaviam evincendam ſufficerent præfata Summorum Pontificum decreta, & Hiſtoria à S. Bonaventura conſcripta, in qua Chriſtus ipſe, ſub aſpectu Seraphico, ſex alis tectus, ſed Cruci affixus, & plagatus ad id veniſſe aſſeritur. Unde Eccleſia fatetur; ſignaſti Domine ſervum tuum Franciſcum, ſignis redemptionis noſtræ; Dominus ergo, non miniſter illum ſignavit. In Oratione quoque precatur; Domine J. C. qui in Carne Beatiſſimi Franciſci paſſionis tuæ Sacra Stigmata renovaſti, & in Hymno ad Laudes, ab Urbano VIII. feſtivitati aptato, dies refulſit lumine, quo Sanctus hic de Corpore Chriſti recepit Stigmata. Sed advertendum, quòd Breviaria quædam noviter impreſſa, neſcio an Typographorum incuria, vel induſtria, non ampliùs *de Corpore*, ſed *in Corpore* habent; at primæva, juſſu ejuſdem Papæ impreſſa, & ad intentionem ipſius, clarè *de Corpore Chriſti* exprimunt.

Epitheta Corpori Sancti Patris Franciſci à Sede Apoſtolica tributa, & prærogativæ Colli Paradiſi conceſſæ.

TITULUS XLVII.

Ex Summorum Pontificum diplomatibus obſervanda occurrunt laudum encomia Sacris exuviis S. P. tributa; quæ quiſque ſuis locis requirere poterit.

Gregorius IX. *Is, qui Eccleſiam.* tam pretioſus theſaurus, Sanctum videlicet Corpus illius, &c. Idem. *Mirificans Miſericordias.* Glorioſum Corpus, & in alia conſimili dicit, glorioſiſſimum Corpus. Et in alia, *Speravimus hactenus.* Sanctiſſimum Corpus.

Innocentius IV. *Licet is, de cujus*, in ea Eccleſia B. Franciſci glorioſum Corpus requieſcit. Idem. *Si populus Iſraeliticus.* Eccleſia, in qua pretioſum Corpus ipſius multis miraculis coruſcans requieſcit.

Alexander IV. *Benigna operatio.* ſcripſit hæc. Admiranda paſſionis dominicæ inſignia, quæ in ejuſdem Sancti Corpore manus cœleſtis operationis impreſſit. Et infra. Nemo itaque eidem Sancto audeat de cætero eſſe moleſtus,

Digitized by Google

ſtus, in Corpore ſuo triumphalia ſtigmata præferenti. Et in alia *cum ad aures noſtras*. ſignata in Carne ipſius non ſuperficialiter, ſed in interiora per carnem, & nervos, & oſſa in quinque partibus, manuum, pedum, & lateris ingreſſa, non virtute naturæ, ſed miraculoſo gratiæ dono. In eadem Chriſtus Dominus dedit illi, ut ſtigmata ſua excellentiſſimo privilegio in carnis ſuæ materia portaret.

Clemens IV. *Clara merita*. In qua Eccleſia ejuſdem Corpus venerabile requieſcit. Idem. *Cum ad promerenda*. in qua Sanctiſſimum Corpus ejus venerabiliter, &c. Item in Conciſtoriali, *Is, qui Eccleſiam*. in loco, qui dicitur Collis Paradiſi, reconditus eſt tam pretioſus theſaurus, Sanctum Corpus illius.

Nicolaus IV. *Dum ſollicitæ cogitationis*. Glorioſa Beatorum Franciſci Confeſſoris, & Claræ Virginis Corpora. Idem. *Præclara glorioſiſſimi*. Eccleſia, in qua Corpus ejus Sanctiſſimum req. In alia. *Excitamur ab intimis*, in qua Glorioſum requieſcere noſcitur Corpus. Et in alia. *Præclara*. dicit Sanctiſſimum Corpus.

Bonifacius VIII. *Ante thronum*. In qua Corpus ejus Sanctiſſimum.

Bonifacius IX. *Præ fulgore*. In cujus Eccleſia Glorioſum Corpus ejuſdem Sancti venerabiliter requieſcit.

Sixtus IV. *Quamvis Altiſſimus*. Ait, quòd Corpus D. F. eſt quaſi ſignum Dominici fœderis, paſſionis ſcilicet Domini noſtri J. C. in cujus carne renovata Stigmata geſtant pacem. Et infra. Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.

Alii Pontifices paſſim tam admirandum Divini amoris prodigium eiſdem titulis honoraverunt. Et Seraphicus Doctor S. Bonaventura de illius traslatione ſcripſit. Corpus illud Domino dedicatum. Et Sacer theſaurus regis altiſſimi bulla conſignatus.

Prærogativæ Baſilicæ Collis Paradiſi non minùs Pontificiis oraculis ſunt aſſertæ, nam Gregorius IX. in ſua Conciſtoriali Conſtitutione. *Is, qui Eccleſiam ſuam*. Cum conſtruatur Eccleſia. Prærogativa libertatis, & honoris gaudeat. Quam ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcepimus. Nulli, niſi Romano Pontifici ſit ſubjecta. Ordinis, cujus inſtitutor, & Pater extitit S. Franciſcus, Caput habeatur, & Mater. In ea per Fratres ejuſdem Ordinis perpetuò inſerviatur. In ea nemo audeat ſententias excommunicationis, & interdicti promulgare. Immunitate cum ſuis pertinentiis gaudeat. Nulli liceat illam temerè perturbare. Ei præjudicantes excommunicationi, & divinæ ultioni ſubjaceant. Cunctis verò ei ſua jura ſervantibus ſit pax D. N. Jeſu Chriſti, hic fructum benedictionis percipiant, & præmium beatitudinis inveniant. Idem. *Speravimus hactenus*. In honorem ejus (S. Franciſci) Eccleſiam fundare volentes, de manibus noſtris lapide primario ibi poſito.

Libertatis titulis decorata ſemper niteat celebris, & inſignis.

Cui illam conceſſimus Indulgentiam, quæ limina BB. Petri, & Pauli viſitantibus concedi conſuevit. Idem. *Recolentes qualiter*. Eadem Eccleſia libertate donata, ſub ſpeciali Apoſtolicæ Sedis tutela conſiſtens, affici non poſſit injuriis, ſed quiete, ſicut libertate fruatur.

Innocentius IV. *Si populus Iſraeliticus*. Eccleſiam in honorem Beatiſſimi Confeſſoris Franciſci nos ipſi duximus dedicandam. Idem. *Conſecrationes Altarium*. Eccleſia, quæ per nos ad honorem Dei, & B. F. Dominica ante feſtum Aſcenſionis Dom. extitit dedicata.

Cl.

Clemens IV. In ſua Conciſtoriali; *Is, qui Eccleſiam*. Cum in Colle Paradiſi conſtructa ſit Eccleſia, in qua reconditus eſt tam pretioſus Theſaurus. Et ſequitur ad literam, ut in conſimili Greg. IX.

Nicolaus IV. *Suſcepimus nuper*, ad venerabilem Eccleſiam B. Franciſci de Aſſiſio grandem, & continuum geſſimus devotionis affectum. Et paulo infra. In ſignum autem dilectionis hujuſmodi, & evidens ſpecialis reverentiæ argumentum, quam ad præfatam Eccleſiam, & eumdem Beatiſſimum Confeſſorem habuimus, & habemus, ac etiam habere proponimus in futurum, donamus, &c. Idem *Præclara Glorioſiſſimi*. Volentes prædictam Eccleſiam; quæ totius Ordinis veſtri Caput exiſtit, ſpecialiter honorare; & ſubinde. Nullus omninò Eccleſiam ipſam, quæ nulli, niſi Romano Pontifici eſt ſubiecta, & totum locum ipſius, cum pertinentiis ſuis, Eccleſiaſtico ſupponere valeat interdicto, abſque ſpeciali, & expreſſo mandato Apoſtolicæ Sedis, faciente plenam, certam, determinatam, & expreſſam mentionem de indulto hujuſmodi Eccleſiæ, & loco prædicto. Idem *Eximiæ devotionis*. Ut Eccleſiam veſtram in ejuſdem S. F. honorem conſtructam, in qua devotas Altiſſimo laudes obtulimus in minori officio conſtituti, præcipuis proſequamur honoribus. eadem verba repetit in alia.

Bonifacius IX. *Præ fulgore, &c.* Eccleſia, in qua, &c. Quæ totius Ordinis Fratrum Minorum quaſi lapis fundamentalis exiſtit, quam Rector omnipotens ſingulari gratia illuſtravit, ob grandia merita dicti Sancti.

Sixtus IV. *Quamvis Altiſſimus, &c.* Cupientes, ut Eccleſia Domus ejuſdem Sancti Aſſiſien. dudum egregiis ſtructuris, & opere admodum ſumptuoſo conſtructa; quæ inter alias omnes Eccleſias dicti Ordinis, tum ſtructurarum, & ædificiorum magnitudine, tum ratione loci, in quo ſita eſt, Re, & Nomine obtinet Principatum. Idem Sixtus IV. *Ad inſignem, venerandamque Eccleſiam Domus S. F. Aſſiſiat. &c.* Noſtræ peregrinationis Alumnam; quæ ipſius Ordinis Caput eſt, quam nuperrimè reparari, & inſtaurari opere ſumtuoſo fecimus. In alia *Etſi cunctis, &c.* Domus ipſa cæteras ejuſdem Ordinis Domos venuſtate antecellit, & in ea Glorioſum Corpus dicti Sancti devotiſſimè conſervatur: ejuſque fratres nullum alium habent, præter Romanum Pontificem defenſorem.

Sixtus V. *Divinæ Charitatis altitudo, &c.* Inſignis, & celebris Eccleſia Domus ejuſdem S. Fran. Aſſiſien. Ordinis Fratrum Minorum Convent. nuncup. in qua quidem Eccleſia, ſub illius Altari majori Corpus ejuſdem S. Franc. &c. Et in alia, *Ex ſupernæ diſpoſitionis, &c.* eadem verba repetit.

Hæc ſunt Oracula Summorum Pontificum, quibus ſi vel in minimo adverſentur hiſtoriæ, jam non hiſtoriæ, ſed nugæ, & fabulæ ſunt cenſendæ, ad quas converſi ſunt, qui auditum à veritate averterunt.

Jure ergo à Seraphico Doctore S. Bonaventura inter omnes Eccleſias Ordinis Minorum, ſola hæc titulo Baſilicæ extitit decorata, dum ait: ad Baſilicam in honorem ipſius conſtructam Corpus illud Domino dedicatum tranſlatum eſt.

Ri-

Rivitorti Sanctuarium.

TITULUS XLVIII.

COllem Paradiſi amœna loca, ad ſpirituales capeſſendas delicias, circumſtant, quæ ei tamquam capiti membra, adhærent, jamque ante Ordinis diviſionem, Patris Cuſtodis Aſſiſii juriſdictioni ſubiiciebantur. De ſingulis libet aliqua principalia delibare, dum in faciem locorum conſiſto, & antiqua monumenta ante oculos teneo. Qui enim à longe ſcribunt, famæ, quæ creſcit, & alteratur eundo, ſtant; aliorum relationes aliquando vitiatas tranſcribunt, & quandoque à ſe ipſis adinventa ſubiungunt. Hinc legentibus ſimul, & loca videntibus, ridicula potiùs, quàm credibilia, quæ narrantur apparent.

Hic obſervandum, quòd diù antequam Franciſcus naſceretur, vir quidam devotus, qui ad declivia Montis Subaſii habitabat, Zaccardus nomine, vel cognomine in ſuo quodam agro, planitiem versùs ab ejus domo diſtante, juxta ſinuoſum Rivum, ab eodem monte deſcendentem, Oratorium quoddam rurale erigi fecit; & in muri interioris proſpectu Imaginem B. V. Mariæ ſedentis, & ſuper genua è cruce depoſitum Filium ſuſtinentis, ſuperque eum plorantis, depingi curavit. Hinc, & inde duas Cellulas, Oratorio connexas adiecit, ac devotum eremicolam collocavit, cum quo ſæpè ſpiritualia colloquia habebat, eique ſuis eleemoſinis ſubveniebat. Locus jam vocabatur Sancta Maria Zaccardi; ita à ſenioribus Comitatus incolis appellarum egomet non ſemel audivi: à propinquo tamen torrente dicitur Sancta Maria Rivitorti: à primævo incolatu S. P. Franciſci à quibuſdam vocatur Sanctus Franciſcus paruulus. Mortuo Zaccardo, Eremita locum deſeruit, antequam eò loci veniret Franciſcus Juuenis, qui ab immundo hoc mundo nudus egreſſus, ut alium verè mundum inveniret, rudi, brevi, & anguſta tunicula contectus, quam priſtinus ſibi dedit amicus, eleemoſinis à pietate fidelium obtentis tres, jam notas, inſtauravit Eccleſias. Hinc ad Xenodochium leproſorum, ut eis inſerviret, ſe contulit: qui locus à Civitate mille paſſibus diſtat. Stat adhuc ibidem vetus Eccleſia S. M. Magdalenæ, cui adiacentia prædia ad commune pertinent hoſpitale.

Cum ibidem aliquot diebus moratus eſſet, ſolitaria loca quærens amica mœroribus, quodam ſero per planitiem Orientem versùs, ad ſexcentos paſſus procedens, ad eam Ædiculam Zaccardi pervenit, quam ingreſſus, ut obſervavit Virginem ſuper Filium plorantem, gemitibus inenarrabilibus Redemptoris diram paſſionem, & Matris compaſſionem tota nocte ploravit. Inde patens habitaculum, & derelictum aſpiciens (hæredes enim, ablatis poſtibus, & valvis, id deſeruerant) ſecum ſtatuit ibi moras ducere; quò commodè poſſet frequenter ad parum diſtantes leproſos accedere, & Miſſis audiendis vacare.

Quandoque Aſſiſium ibat ad prædicandam in Eccleſia S. Georgii, vel in platea pœnitentiam. Ubi quadam nocte apud Bernardum Quintavalle Patritium hoſpitatus, ab eo, ex recondito loco, in majori noctis ſilentio orans, miroque ſplendore cinctus, in extaſim raptus viſus eſt. ex quo nobilis hoſpes

Digitized by Google

ſpes deſiderium concepit ſeſe illi jungendi. Sequenti manè ad Eccleſiam Sancti Nicolai inſimul perrexerunt, Miſſaque audita, ter librum Evangeliorum Franciſcus Sacerdotem rogavit, ut aperiret; tribus Evangelicis monitis jam auditis, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. nihil tuleritis in via, & qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me; ſtatim ad Bernardum reverſus dixit. Hæc eſt vita, & Regula noſtra, omniumque, qui volunt noſtræ ſocietati conjungi. Aderat ad hæc Petrus Cataneus Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, qui cum Bernardo, Franciſco ſeſe junxit; eodemque die Evangelica monita exequutioni mandarunt; & cum eo ad Oratorium Rivitorti perrexerunt. S. P. tria vilia indumenta, ſuo conformia, parari curavit; ſeptima die divinitùs ductus comparuit Ægidius, rogans cum illis admitti; itaque Sanctus hoſce tres primos, coram Altariolo ante Beatam Virginem, ab eo erecto, ſuo acquiſivit conſortio, eoſque ad probationem in primo illo Seminario admiſit, atque in præceptis Evangelicis erudivit. Aliquando ad alias regiones, prædicandæ pœnitentiæ gratia, euntes, ad præfatum locum redibant, ſimulque morabantur ſub diſciplina tanti magiſtri.

Exactiores Chronologi aſſerunt hoc Religionis principium fuiſſe 16. Kal. Maii anno ſal. 1208. Infra biennium alios novem Aſſeclas aſſequutus eſt. Interim ſuam Regulam ſcripſit, & tandem cum duodenario ſuorum numero novitiorum, Romam adiit ad Innocentium III. in D. Petri ſolio ſedentem, à quo Regulæ approbationem obtinuit; ſolemnem profeſſionem emiſit, & Miniſter Generalis inſtituti Ordinis conſtitutus fuit; ejus ſocii, Papæ juſſu, in manibus ejuſdem S. Patris, vel (ut quidam ſcribunt) Joannis Cardinalis Epiſcopi Sabinenſis profeſſionem fecerunt.

His peractis, ab Urbe recedentes, & ad primarium fluxuoſi rivuli Seminarium cum S. Inſtitutore jam profeſſi rediere: ibidem Vota, & Regulam juxta emiſſam Profeſſionem obſervare cæperunt. Hinc nocte illa memorabili, Dominicum diem præcedente, & abſente S. Patre, eumdem ſuper currum igneum, & ſuper ſanctuarium circumvolantem conſpexere, ſolaribus radiis micantem. Ibi S. Pater illorum penetrans ſecreta cordium, uti opus erat, paternè admonebat. Eo loci (ut ſparſim ſcripſerunt tres ejus ſocii, quorum manuſcripta præ oculis habeo) quadam nocte, ad vocem unius ex fratribus, qui ſentiens ſe fame deficere exclamabat, morior, S. P. accurrens cum aliis, cibos afferri juſſit, & ne miſer ille verecundaretur, ſecum comedit; alios ſic charitatem docens fraternam. Ibi, ne erubeſcerent eleemoſinam petere, eos hortabatur, exemplo Chriſti Domini, qui cum Apoſtolis idem in terris egit; ſed et eos corripiebat, qui nimia familiaritate cum ſæcularibus agentes, plura ab eis, quàm neceſſaria pro unica die forent, extorquebant. Ibi hyemali tempore fratrem graviter ægrotantem recenti uva, ex nuda vite avulſa refectum ſtatim ſanitati reddidit. Ibi ipſe luxuriæ ſtimulis à ſatana preſſus, nudus à cellula proſiliens, in circumjacentes nives ſeſe projecit, & rudia ſimulachra ex ipſis confecta amplexus, ſuo corpori dicebat: Ecce frater Aſine tua uxor, tui filii; illos tuo calore confove, nam frigiditate rigent: ſic carnem domuit, & diabolum eluſit. Illuc cum Præſul quidam iviſſet, Sanctum Patrem viſiturus, volens ejus cellam intrare, inviſibili vi repulſus eſt, eò quòd conſcientia gravaretur: unde ad ſe reverſus, culpam ſuam coram omnibus dixit, & Sanctus Pater obviam veniens, amplexatus eſt eum. Illac non longè tranſiens cum immodica pompa Imperator Otho IV. Romam versùs pergebat, at S. Pater noluit eum excipere, ſed miſit

ad eum unum de Fratribus, qui illi ſuo nomine diceret, tantam gloriam brevi tempore ad nihilum redigendam, quod & evenit; anno enim ſequenti à Summo Pontifice excommunicatus, ab Imperio pulſus fuit.

Inde ſæpius ſuos filios ad vicinum leproſorum Xenodochium emitebat, vel ducebat, tum ad Miſſam audiendam, & à ſancta peccatrice pœnitentiam addiſcendam, tum etiam ad humilitatem, & charitatem erga languidos exercendam. Hæc illorum erat oblectatio, ac voluptas Tyronum.

Sanctus hic locus tunc à publica via, quæ Fulginæo Peruſiam ducebat, ducentis circiter paſſibus diſtabat: undè ſolitarius erat, non tamen adeo aſper, remotus, atque ſylveſter, ut à quibuſdam falsò deſcribitur, nam in amœna planitie, fertili, & ex melioribus Aſſiſienſis comitatus extabat, & extat. Nec tam anguſtus, ut vix duodecim ſedentes caperet, video enim in ſolo Oratorio, dum ibi ſpiritualia peraguntur exercitia, viginti perſonas genuflexas contineri: unde juſtos illos non tam incommodè capiebat. Domus etſi anguſta, multos pace, & charitate coniunctos facilè amplectitur; at Palatium, in quo eſt diſcordia, duos nec capit aliquando germanos. In Cellulis ipſis, tabulas ſuper, & paleas dormiebant; Sanctus Pater humi jacebat; Aliqui alternatim in Odeo noctis vigilias cuſtodiebant. Ibi S. Præceptor jugiter Chriſti D. Paſſionem, & mortem, ac S. Matris compaſſionem ſuos deplorare docebat, ſæpius cum eis repetens, Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum. Ibi tandem Deus ſecùs decurſus aquarum plantavit vineam juſtorum, qui in lege ejus meditabantur die, ac nocte, ut fructum ſuum darent in tempore ſuo.

Modò magis patens eſt locus; cum etenim via vetus, per imam vallem olim directa, cænoſa nimis, & impermeabilis evaſiſſet; juſſu Sixti V. nova ad montis radices, ante fores ipſius ſanctuarii, inde non procul ab Eccleſia D. Mariæ Magdalenæ, ad Portiunculam uſque, & inde Peruſiam versùs, ad reddendum faciliorem tranſitum, & eos per ſancta loca ducendos, directa, & ſtrata jam fuit.

Sanè mirum eſt, quòd ſacer iſte flexi rivi locus, adhuc integer conſervetur, tota ſtante ſtructura, quamvis aquæ nedum eum alluant, ſed etiam in hyeme ex ipſo ſcateant. Oſtendit Deus, quòd ſervus ejus Franciſcus ædificavit domum ſuam ſupra firmam petram. Quòd & de aliis Sanctuariis obſervandum, quæ nec temporis omnia vorantis rabie, nec murorum debilitate cadunt, ſed divina manu ſuſtentata conſiſtunt.

Cum igitur integro ferè triennio, partim ſolus, partim cum duodecim primis Fratribus inibi permanſiſſet S. Inſtitutor, & alii paſſim ad ejus Ordinem admitti peterent, conſiderans plures ibidem cohabitare non poſſe, & ad multiplicationem corporum, multiplicitatem requiri locorum; cum ſuis propoſuit, ac ſtatuit primo illi hoſpitio aliud, & ſucceſſivè alia eſſe conquirenda. Propterea Epiſcopum Aſſiſiatem rogavit, ut Eccleſiam aliquam, vel Eremum extra Civitatem ſibi, ſuiſque concedere dignaretur; qui ſe excuſavit, cum nullam tunc haberet vacantem. A Capitulo etiam Cathedralis Eccleſiæ propter ſimile impedimentum excluſus, ad Abbatem Sancti Benedicti Monaſterii montis Subaſii ſe contulit, à quo benignè exceptus, Eccleſiolam ruralem ſui juris, & domunculam, parum ab ea diſtantem, in qua ſacerdos ſæcularis, à monachis ad celebrandum diebus feſtis deſtinatus, ſe colligebat, obtinuit. Ad eam cum ſuis acceſſit, paulò plus milliario à fluxuoſo Rivo diſtantem, quæ cum non majoris eſſet capacitatis, quàm primævum ſacellum, illi duodecim cellulas, ex viminibus, & cœno, in figuram par-

vorum

Digitized by Google

vorum tabernaculorum conſtructas, & ab invicem ſeparatas addidit. Nec omninò priſtinum deſervit locum, cum eo indigeret, ad retinendos accedentes novitios: quia & ſucceſſivè paulatim creſcentibus fratribus, locum Carcerum in monte Subaſio ab eiſdem Benedictinis, & alia alibi à devotis aſſignata recepit. Non enim ad deſtruendum fundamentum, ſed ad erigendum ſuper illud idæatum ædificium ſequentia quæſivit hoſpitia.

Quòd autem apud eumdem obliquum riuulum ſucceſſivè ſemper aliqui fratres habitaverint, conſtat ex antiquis Sacri Conventus libris, ac regeſtis, in quibus Vicarii Rivitorti, & aliorum locorum, eidem annexorum, deputati leguntur. Teſtis eſt etiam ſolidus lapis, ſub pavimento dexteræ Cellulæ repertus, cum anno 1586. in ea ponerentur fundamenta pro columnis, quibus novi majoris Templi teſtudines ſuſtinerentur. lapis cernitur propè Aram Templi majorem, in quo antiquiori charactere hæc ſcripta leguntur.

Hic juxta ſinuoſum Riuum B. Ægidius Aſſiſien. & F. Conradus Offidanus de Piceno, more patrum, in ſinum Dei quieverunt quamplurimùm. Ita F. Nicolaus à Sebenico Dalmata.

B. Ægidius non ille primus intelligendus: ſed alter de Capotiis, qui circa annum 1270. floruit. frater verò Conradus de Offida fuit unus de ſanctæ paupertatis zelatoribus, tempore Cæleſtini V. cujus ſocii ab obedientia Miniſtro Generali debita, ſervandæ paupertatis prætextu, fugientes, in Græciam receſſerunt. Solus frater Conradus noluit pro paupertate obedientiam omittere, ſed utramque ſimul retinuit, apud primum Ordinis locum commoratus circa annum 1294. Quòd verò legitur in ſinum Dei quieverunt quamplurimùm, non de Sepultura ipſorum, ſed de quiete animi ab eis ibi reperta, & de contemplatione diuturna, qua anima in ſinum Dei quieſcit, eſt ſermo. frater Nicolaus de Sebenico circa annum 1315. poſt illos Vicarius ibidem moras duxit, & memoriam illam ſculptam reliquit. Exinde colligitur à primis Religionis ſæculis, aliquo commodiori habitaculo adiecto, ſemper in ſancto loco commoratos fuiſſe, & illum nunquam deſerviſſe Minores.

Vivente etiam Sancto Patre eo in Oratorio Miſſas celebrare fratres Sacerdotes cæperunt. Nam cum Parochi obſtarent, ne Minores extra Eccleſias Parochiales ſacrificarent, dicentes id in eorum fore jurium præjudicium; Honorius III. ſuis literis incipientibus, *Quia populares tumultus. Datis Reate 3. Nonas Dec. Pontificatus anno 9. qui fuit Jal.* 1224. & Religionis an. 17. primò conceſſit, ut fratres Minores in ſuis locis, & Oratoriis poſſent Miſſas celebrare cum Altari viatico, reſervato omni Parochiali jure. Et cum adhuc Parochi reclamarent, Gregorius IX. poſt quatuor annos, mortuo iam Sancto Inſtitutore, per alias ſuas, *Nos attendentes. datas Aſſiſii 4. Idus Junii Pont. an.* 2. idem privilegium confirmavit. Unde potuerunt, ac debuerunt fratres in primævo illo Oratorio hujuſmodi uti privilegio. Ac propterea S. Pater exinde voluit unicam Miſſam in ſuis Oratoriis, & locis quotidie celebrari, ad quam omnes fratres in eis commorantes, & ſoli, devotè aſſiſterent; ut videlicet Parocorum, quos venerari volebat, querelas evitaret: nec ſummi Pontifices tale indultum Ordini feciſſent, niſi illi reclamaſſent.

Hinc à veritate diſtant ſcriptores quidam, qui ſacro Rivitorti Cœnobiolo infeſti, omni arte ſtudent illius abolere memoriam, quorum animoſitatem P. Magiſter Carolus Rainerius noviſſimè tractatu veritatum fundamentalium differt, prima egregiè convincit, ad quem lectorem remitto. Solùm addo; cum dicunt, non extare de eo memoriam apud antiquos ſcriptores. legant

Vitam, ſeù acta S. Patris, à tribus ejus ſociis de proprio viſu deſcripta, quæ nunc lego, & puto eſſe Originalia, vel ſaltem prima exemplaria, ac velint nolint, hæc invenient, quæ tranſcribo. *Quodam tempore in primordio, ſcilicet tempore, quo B. Franciſcus cæpit habere fratres, manebat cum illis apud Rigum tortum; quadam nocte, &c.* narrant multa, quæ ibi acciderunt, quinque capitibus, quorum initia à primo tempore, & eodem loco deſumuntur, poſt medium legendæ in alio capite hæc ſcribunt. *Quodam tempore in primordio Religionis, cum maneret apud Rigum tortum cum fratribus, quos tunc habebat, ecce quidam, &c.* Nonne iſti ſunt omnium antiquiſſimi ſcriptores Ordinis, ac teſtes omni exceptione majores? Nonne ſæpè in ea hiſtoria ſcribunt, vidimus nos? legant, videant. Rivus adhuc tortuosè currit: Sacellum integrum ſtat: ſociorum ſcripta ſervantur. Oculos livori claudant, veritati aperiant, ut eam agnoſcentes ad Dei laudem fateantur.

Quòd locus à D. Bonaventura dicatur Tugurium, ab aliis tuguriolum, Antrum, ac vivorum ſepulchrum: hæc non ad contemptum, & ſpretum accipienda; cum potiùs ſint Epitheta, & Elogia, paupertati, ac humilitati Sancti Inſtitutoris conformia.

Sanctum hoc habitaculum ſemper in ſua vetuſtate permanſit; ſolum pavimentum ad binos palmos fuit elevatum, propter aquas ab eo aliquando emanantes, quæ ingreſſum devotis prohibebant; & duarum caſularum laquearia, arundinibus, & cæmento tecta, quæ antiquitate labentia, ex eadem materia refecta cernuntur. Etiam Imago Beatiſſimæ Virginis in pariete olim depicta, temporis, & aeris iniuria collapſa, in textili materia refecta eſt, additis hinc, & inde genuflexis S. P. Franciſco, & Diva Maria Magdalena plorantibus ſuper mortuum Redemptorem, cum Matre Virgine.

Uſque ad tempus Sixti V. Sacellum nudum, aerique expoſitum permanſit, cum anno 1586. circa illud in proportionata diſtantia erui cæperunt fundamenta ad ampliorem Eccleſiam erigendam, in cujus ſinu undique avulſum ſanctuarium concluderetur. Eccleſia hæc ſatis elegans, & capax, in tres diviſa naves, teſtudinibus contecta anno 1640. piorum eleemoſinis completa extitit. Interim etiam propè murum novi Templi modicus Conventus erectus eſt, quem memini me vidiſſe; in parte enim inferiori officinas habebat, in ſuperiori verò Aulam, & ſex Cellulas. Anno 1645. die 20. Maii P. Magiſter Michael Angelus Catalanus, tunc Socius, & Aſſiſtens Ordinis novo majori Conventui excitando intentus, fundamenta benedixit, & primum in eis lapidem cruce ſignatum locavit. Poſt biennium fundamentis repletis, & aliquantum elatis muris, P. Catalanus electus Miniſter Generalis complendæ fabricæ animum dedit. In ejus ſexennio magnifica moles majori ex parte conſtructa apparuit. At dein evectus ad Epiſcopatum Iſerniæ opus aliis complendum reliquit. loci paupertas paulatim partem aliquam addidit. At Pater Magiſter Antonius de Averſa, alter Generalis Miniſter totum ferè ad complementum reduxit. Hæc pro veritate referre volui, ad fabulas quaſdam diluendas. addere liceat quòd non ſemel mecum recogitaveram. Alia loca Sanctus Pater ab hominum pietate, Deo inſpirante, obtinuit, ſolum Oratorium apud fluxuoſum Rivum ab hominibus derelictum, à ſolo Deo ſervatum ſibi, ſuiſque paratum invenit; ut à ſolo Deo Minorum Ordinis inſtitutionem ſibi commiſſam agnoſceret, ſuoſque primos alumnos ex loco, ſemper divinæ Providentiæ confidendum doceret. Magnus verè Deus, & laudabilis valde, qui ex tam exiguo fundamento tam ingens Ædificium excitavit.

Hic

Hic oritur dubium, mihi aliquando obiectum. Si Sanctus Franciſcus in



Por-

[illegible] S. Patris, à tribus eius ſociis de proprio viſu deſcripta, quæ

laudabilis valde, qui ex tam exiguo fundamento [illegible]
citavit.

Hic

Hic oritur dubium, mihi aliquando obiectum. Si Sanctus Franciſcus in Oratorio apud tortum Rivum ſuum fundavit Ordinem, cur id non dicitur Caput, & Mater totius Ordinis? Cur hæc prærogativa tribuitur Eccleſiæ Aſſiſienſi, quam tot aliæ in Ordine præceſſerunt? Huic obiectioni tenerentur reſpondere tot Summi Pontifices, qui illam ſolam, non aliam juſſerunt habendam, & eſſe caput, matrem, Principem, &c. At quia teneor, ut filius S. R. Eccleſiæ, quæ à Sede Apoſtolica ſunt ordinata, rectiſſima defendere, dico, quòd fundamenti, & Capitis prærogativæ, ſicut diſtantes, ſic diverſæ ſunt. Pes eſt fundamentum, ſuſtentans totum corpus humanum, Caput eſt culmen, & complementum illius. Nec pedi competit celſitudo capitis, nec capiti congruit infimitas pedis. Idem judicium de corpore myſtico faciendum. Eccleſia Evangelica Catholica in Sacro Cænaculo Sion fuit fundata, ubi Divinus Pontifex primò Sacramenta inſtituit, Sacerdotes ordinavit, primum ſacrificium Patri obtulit, myſteria Redemptionis diſcipulos docuit. Itidem Spiritus Sanctus eorum corda fide confirmavit, ſpe roboravit, & Charitate incendit. Indeque Apoſtoli ad doctrinam Evangelicam divulgandam per Regna, & Provincias diſtributi ſe contulerunt. Et tamen Sanctum illud cœnaculum non dicitur Caput, & Mater omnium Chriſtiani orbis Eccleſiarum; ſicut jure his titulis gaudet Sacra Lateranenſis Baſilica; non quia origine, & tempore prima, cum tot aliæ præfuerint Romæ, & alibi Eccleſiæ; ſed quia ad complementum totius Eccleſiaſtici corporis, promulgata jam, ac ſtabilita fide, à Summo Pontifice S. Sylveſtro fuit ſolemniter fundata, & aſſiſtentibus Imperatore, ac Primatibus, Pontificali ritu conſecrata; ac ideo in ea Apoſtolorum Principum capita collocata. Cum ergo Eccleſia univerſalis exemplar ſit Eccleſiarum omnium ſibi ſubditarum: idem dicendum erit de Minoritica Eccleſia, cujus locale, & originale fundamentum, ac principium extitit Riviflexi Sacellum; Caput, & Mater Collis Paradiſi Baſilica, à ſummo Sacerdote Gregorio IX, adſtantibus Purpuratis, Principibus, & Prælatis ſolemniter fundata; & ab Innocentio IV. Chriſti Vicario Pontificali ritu conſecrata: Ideoque jure Capitis, & Matris prærogativis ab Apoſtolica Sede decorata; Sanctiſſimi Fundatoris Corpore, tamquam ejus ſponſa, & filiorum læta Mater donata; ac Sacrorum Stigmatum theſauro ditata.

Jus ſuum unicuique tribuamus. Eſto Rivuli Sacellum humile, ac profundum tanti ædificii fundamentum. Sit Paradiſi Collis ſublime Caput & excelſum ejus fulcimentum, ac ſummum complementum. Intereà illius iconem do.

Por-

Portiunculæ Sanctuarium.

TITULUS XLIX.

PAtres Benedictini olim Eccleſiæ, & Monaſterii eorum fundatoris nomini dicatæ, in Monte Subaſii, prope Aſſiſium habitantes ante annum noſtræ ſalutis milleſimum, diverſa ſacella ſparſim in comitatu ejuſdem Civitatis, ad excitandam fidelium devotionem conſtrui curarunt. Inter quæ Eccleſiola Sanctæ Mariæ Angelorum ad ſimilitudinem, & æqualitatem alterius à S. Patriarcha Benedicto prope Sublacum, in honorem ejuſdem Angelorum Reginæ erectæ, quæ à vicina Villa Portiunculæ nomen accepit, celebris fuit, eademque denominatione appellata.

Hanc ferè labentem juvenis Franciſcus ab initio ſuæ converſionis, anno ſcilicet 1206. inter aliàs inſtauravit. Eam frequenter ad orandum, & Miſſæ ſacrificium audiendum viſitabat, præcipuè cum moraretur apud leproſos, & in Sacello Rivitorti. In illa plures habuit inſpirationes divinas, ac ſpiritum fervoris, & gratiæ concepit. Ibi contemplabatur Angelicæ Salutationis, Divinæ maternitatis, ac Verbi Divini Incarnationis arcana; & ad ſuum tugurium reverſus meditabatur Mortis, ac Paſſionis Chriſti, & almæ Virginis compaſſionis myſteria. Utrobique à Sanctæ Dei Genitricis imagine mens ejus ſacris Idæis replebatur.

Inſtituto jam Ordine, Sanctus Pater illius ampliationi intentus, à Benedictino Abbate circa initium anni 1211. hanc Eccleſiam cum caſula habuit; quam nec in proprietatem acceptavit, ſed tanquam ſimplex hoſpitium advenis, & peregrinis, nec domum, nec locum, nec aliquam rem habentibus, aſſignatum. ſacra ædicula, veluti adhuc in ſua ſtructura integra cernitur, tam anguſta erat, & eſt, ut unicum Altare, & quidem arctum habeat. Gurguſtium verò vix pauperrimæ ſupellectili continendæ ſufficiebat. Unde duodecim illæ cellulæ rotundæ, ex vili materia, ad excubias potiùs ſervandas, quàm ad ſomnum capiendum aptæ, ac binæ ante Eccleſiam ordinatæ fuerunt: totuſque ambitus virgultis, ac ſpinis conſeptus. loci proſpectum, ex vetuſta tabula, hucuſque in eo Conventu ſervata, delineatum habe.

Hanc

Hanc Eccleſiam ſuper omnes alias S. Franciſcus & coluit, & dilexit; in qua ad [illegible] culmen pervenit. In ea Angelorum familiaritate



ſitque, ut ſemper ibidem niteret ſancta illa humilitas. Quod ne Patris voluntati refragarentur, fratres Aſſiſienſis Baſilicæ nunquam ædificia addiderunt.

C
E
ri
A
p

ſc
ſa
&
ri
ti
tu
ni
ej

&
q
n
a
ar
ſt
d
d
ta
&
h.

Hanc

Hanc Eccleſiam ſuper omnes alias S. Franciſcus & coluit, & dilexit; in qua ad coeptæ perfectionis culmen pervenit. In ea Angelorum familiaritate, Beatiſſimæ Virginis, & ipſius Chriſti Domini viſionibus, & colloquiis dignatus eſt. Ex ea initiatum jam Ordinem dilatavit, & ultra duodenos, alios quamplurimos admiſit. Propè illam diſcipulos verbis, & exemplis ad Chriſti Domini ſectanda veſtigia direxit. Ibi vigiliis, orationibus, flagellis, jejuniis, ciliciis, ac ſpinarum punctionibus carnem ſuam domans, ſpiritum vegetiorem, ac puriorem reddidit. Illam, in ſignum ſuæ ardentiſſimæ devotionis, à ſeptem Epiſcopis ſolemniter dedicari curavit; ac in anniverſario conſecrationis die plenariam Indulgentiam pro ſingulis annis viſitantibus impetravit.

Quæ Indulgentia inter omnes alias ſpecialiſſima multis de cauſis habenda eſt. Nam eam Chriſtus Dominus ipſe, ad petitionem famuli ſui, & interceſſionem almæ Matris promiſit, & ſuo Vicario Honorio III. inſpirans, promovit. Idem divinus Redemptor diem, in quo fideles eam conſequerentur, determinavit, quem etiam Papa comprobavit. Singularis equidem, quam ſeptem Epiſcopi juſſu Summi Pontificis publicàrunt; qui cum vellent eam tantùm pro decem annis pronuntiare (non enim conſueverat tunc Apoſtolica Sedes plenarias Indulgentias perpetuis annis concedere) occulta vi moti, non potuerunt pronuntiare, niſi perpetuam pro tali die. Inſignis certè, quam ipſe Seraphicus vir, qui eam impetraverat, etiam coram ingenti populo promulgavit, dicens (ut retulerunt qui audierunt) ego volo vos omnes mittere ad Paradiſum, & annuntio vobis Indulgentiam, quam habeo ab ore Summi Pontificis, & omnes vos, qui veniſtis hodie, & omnes, qui venerint tali die annuatim bono corde, & contriti, habeant Indulgentiam omnium peccatorum ſuorum: Ego volui pro octo diebus, ſed non potui, niſi pro una die ſemper memorabili in Eccleſia Catholica; cum per eam Salvator oſtenderit veritatem theſauri Indulgentiarum, & authoritatem ſuo Vicario collatam, eas concedendi; non enim, niſi dependenter ab illo voluit concedi. Utique celebranda tot ſignis, & miraculis cœlitùs approbata. Summi æſtimanda, quàm, etiam Jubilæi tempore, cæteris ſuſpenſis, Sedes Apoſtolica conſuevit validam conſervare. Specialis quidem, quia libera, ſine oblationibus, & onere alio, quàm præmiſſæ confeſſionis, ac perſonalis ingreſſus in Sanctuarium illud. Ampliſſima ſanè, quam in honorem Sancti Impetratoris, Summi Pontifices ad omnes Franciſcani Ordinis Eccleſias (additis tamen oneribus dignè communicandi, & orandi) dilatarunt. Verè meritoria, quia æſtivo tempore, die ſecunda Auguſti, ſudoribus, ac laborioſis peregrinationibus comparanda. Certiſſima, & infallibilis, quam S. Patris Socii, Epiſcôpi Aſſiſiates, & hiſtorici ſinceri, uniformiter ſunt teſtati: immò & Summi Pontifices, Apoſtolicis diplomatibus commendarunt, atque ratam habuerunt. Hunc locum S. Pater, non dono acceptavit, ſed titulo hoſpitii accepit, quoties donatores repetiiſſent, receſſurus: Unde in ſignum gratitudinis, & quaſi penſionis quotannis P. Abbati Benedictino Fiſcellam piſciculorum mittebat; & à Monacis loco eleemoſinæ vas oleo plenum recipiebat; qui mos poſt duo ſæcula, & ultra paulatim in oblivionem tranſiit.


Prope hanc Eccleſiam, in ejus Cellula S. Pater obdormivit in Domino; cujus tranſitum, depoſitionem, ac ſolemnem ad Civitatem delationem graphicè S. Bonaventura deſcribit.

Locum Sanctus Pater in pauperrima ſtructura, ut paraverat, reliquit, juſſitque, ut ſemper ibidem niteret ſancta illa humilitas. Quod ne Patris voluntati refragarentur, fratres Aſſiſienſis Baſilicæ nunquam ædificia addiderunt.

derunt. Poſtquam verò nuper exortæ Reformatorum familiæ, quæ à F. Paulo Trincio Laico Fulginenſi, retenta obedientia ad Ordinarios Ordinis initium ſumpſit, cum aliis Eremitoriis, à Conventualibus aſſignata fuit. multis etiam annis in ſua prima ſimplicitate permanſit. Oſtenderunt Patres Conventuales in ea aſſignatione paternam erga filios adoleſcentes dilectionem, & iſti erga ſuos Patres filialem obedientiam, & ſubiectionem ea conditione, ut eleemoſinæ pecuniariæ, & pretioſæ, quas in ea ædicula fideles offerrent, juxta decreta Summorum Pontificum, ad Sacrum Aſſiſienſe Cænobium pleno jure ſpectarent, quibus Reformati libenter conſentientes, dixerunt ſeſe omnibus privilegiis à Sede Apoſtolica Ordini conceſſis renuntiare, & ad præſcriptum literalem Regulæ nec per ſe, nec per interpoſitas perſonas, unquam pecuniam recepturos: eò maximè quòd in ſignum gratitudinis, & debiti, eas benefactoribus tenebantur relinquere. Dum familia perſeveravit ſub obedientia Prælatorum Ordinis, pactis omninò ſtetit. At cum in Congregationem tranſiit, & proprios Vicarios, cum ſola dependentia à Generali, concedente Eugenio IV. anno 1440. obtinuit; cæperunt Patres illi paulatim eas eleemoſinas pro ſe ipſis, & loco procurare, ut jam ſcripſi. Cum autem Congregatio ad ſtatum Religionis à Leone X. qui Vicarios creavit miniſtros, & eis commiſit primi eorum Generalis electionem, evecta fuit; apud eumdem Pontificem, ipſis tam beneficum, procurarunt eleemoſinas omnes ad ſe trahere. At Papa maturiùs eorum profeſſionem, antiquorum conventiones, & ſuorum prædeceſſorum uniformes diſpoſitiones conſiderans, Diploma dedit Cuſtodi, & fratribus domus S. F. Aſſiſien. incipiens, *Cum nobis relatum fuerit*, &c. Romæ die 22. Auguſti 1515. quo omnia innovavit Decreta, & Privilegia eis conceſſa, & expreſsè decrevit, eleemoſinas omnes ad Eccleſiam S. Fran. ejuſque domum perpetuò ſpectare. Iterum à Gregorio XIII. ſubripuerunt oretenus facultatem ponendi in Eccleſia capſam unam, in qua eleemoſinæ à fidelibus jactæ ad ipſos provenirent. Sed Pontifex admonitus, Breve expedivit, quo ſe deceptum fuiſſe faſſus eſt, conceſſa revocavit, & motu proprio prædeceſſorum confirmavit ſtatuta. Incip. *Licet aliàs*. Dat. Romæ die prima Novembris 1583. ſuo loco relatam lege, & totam hiſtoriam, à tanto teſte deſcriptam, habebis. Tandem poſt tot vanos conatus, animo conſtantes ab Urbano VIII. intentum obtinuerunt. Pertæſus enim Papa diſcordiæ, quæ inter utriuſque Ordinis Fratres in Eccleſia die Indulgentiæ ob pecunias oriebatur, ad abolenda ſcandala, omnes eleemoſinas fratribus Obſervantibus adjudicavit; Conventualibus verò duo millia ſcutorum ad fructum (ut ajunt) ponenda, ſemel aſſignari præcepit.

Eodem progreſſu loci ſtatus inceſſit, nam uſque dum Reformatorum ſtetit Familia uſque ad Eugenium IV. ſacra illa habitatio in prima exigua paupertate permanſit. Cum autem in Congregationem adolevit, ad commodiorem plurium Fratrum capacitatem, Dormitorii additione, relicta tamen Sancta Ædicula intacta, fuit ampliata. Tandem in Religionem aſſumpta, magnum, qui nunc extat, Conventum ædificare cæperunt, & ablatis illis primis Cellulis, eo loco, anno 1569. die 25. Martii, novi ampliſſimi Templi fodiendis fundamentis primas manus dedere; & ad majorem B. Virginis gloriam, ac ad ditandam paupertatem, exaltandamque S. Patris humilitatem, Ædificium inibi magnificum, & admirabile, ſacram Ædiculam continens, & Conventum vere maximum, ac inſignem, nunc ferè completum, conſtruxerunt. Cujus proſpectum, Eccleſiam ex regione Occidentali patentem, cum incluſo Sanctuario, oſtendentem, inſpiciendam propono.

Ali-



Noui Templi et Conuentus Sanctæ Mariæ de Portiuncula Planta

Franc. Prouidoni delin. et sculp.

Digitized by Google

meditantes,
attendentes,
unt. Que-
onſenſerent.
i poteſt in-
eſt dici in,

Aliqui potiùs ſingulari devotione erga ſanctum locum piè meditantes, quàm temporum, locorumque realem, & invertibilem curſum attendentes, huic Sanctuario initium, & fundamentum Minoritici Ordinis tribuunt. Quorum pietati adhærerem, ſi meæ mox exprimendæ diſtinctioni conſentirent. Quodcumque temporale, in partes diviſibile, multipliciter dici poteſt in- [illegible] poteſt dici in,

96.5

Aliqui potiùs ſingulari devotione erga ſanctum locum piè meditantes, quàm temporum, locorumque realem, & invertibilem curſum attendentes, huic Sanctuario initium, & fundamentum Minoritici Ordinis tribuunt. Quorum pietati adhærerem, ſi meæ mox exprimendæ diſtinctioni conſentirent. Quodcumque temporale, in partes diviſibile, multipliciter dici poteſt inchoatum. Mundus ab æterno in mente Divina conceptus, poteſt dici in æternitate Idealiter initiatus. At realiter poſitus in eſſe, in primo temporis inſtanti dicitur incepiſſe. omnium partium, ſucceſſivè in eo poſitarum, completa productione, adhuc dici poteſt creatum ſex dierum curſu. Similiter diſcurro de Ordine Minorum, qui fuit primo Idæatus in mente S. Inſtitutoris, ubi, & quando primam habuit inſpirationem, ſecumque cogitavit de eo fundando, & erigendo: at hæc idæalis, non vera, & actualis inceptio fuit, extitit hæc in loco, & tempore, ubi; & quando primò Religioſos coadunavit, cum eis Regulam profeſſam, jure emiſſi voti, ſervavit. Si velimus aliud nobis magis amplum præfigere principium, dicamus, comprehendi etiam propagationem, & dilatationem Ordinis Fratrum, & locorum additionem complectentem; adeòque demus aliquod initium partiale habuiſſe in hoſpitio S. Mariæ Angelorum, quod illi primò proximè adiunctum fuit. Idæalis autem inchoatio non eſt ad noſtrum propoſitum; nam nec mundus realiter ab æterno fuit in ſe, nec Ordo Minorum quando S. Franciſcus illum futurum mente concepit.

Aſſeri poſſet aliud principium Romæ habuiſſe in Palatio Apoſtolico, ubi S. Pater confirmationem Regulæ obtinuit, ad pedes Innocentii III. profeſſionem emiſit, primus Ordinis Generalis Miniſter ab eo creatus eſt, ejuſque novitii jam apud Tortum Rivum probati profeſſi ſunt. Unde ex acceptione, multiplex eſt aſſignabile fundamentum locale: eo ſemper ſalvo, quòd ſuper præterita nulla datur potentia.

Non deſunt qui aſſeverent Minorum Religionem habuiſſe principium in Aula Epiſcopali Aſiſienſi coram Epiſcopo, ubi primò S. Franciſcus Patri, ac mundo per omnia vale dixit.

Alii fundatam volunt in Eccleſia S. Nicolai, ubi auditis tribus Evangelicis conſiliis, ad Bernardum, & Petrum converſus dixit, hæc eſt norma vivendi, & Regula, quam ſervare debemus.

Aliqui putarunt in Xenodochio leproſorum, teſte Franciſco Bartoli de Aſſiſio, cujus librum antiquum manuſcriptum, vix legibilem, habeo, ubi ait: Hoſpitale leproſorum, in quo incæpit Ordo Fratrum Minorum. omnia hæc principia Idæalia, & imaginaria ſunt.

Imago illa vetuſtior, quam S. Pater in pariete ſacræ Ædiculæ depictam invenit, & illic permanens adoravit, B. Virginem ſuper Choros Angelorum ad Coelos aſſumptam referebat, juxta denominationem Eccleſiæ; mox temporis iniuriâ cæmentitia lorica corruit. Quæ autem nunc ſuper Altare in tabula depicta expoſita cernitur, & B. Virginem ſedentem, & Angelum genuflexum illam ſalutantem, cum Vaſe florum intermedio, oſtendit; & quæ nolarum, & Organorum jubilatu ad excitandam peregrinorum devotionem, detegitur; circa annum 1300. à Puccio Capanna Florentino, inter ſui temporis pictores egregio depicta eſt, qui cum Aſſiſii uxorem duxiſſet, nobili Pucciorum familiæ originem dedit.

Sacra Carcerum Eremus.

TITULUS L.

IIdem Patres Benedictini, qui Portiunculæ fanum Sancto Patri Franciſco dederunt; in monte Subaſio Eremum à Monaſterio per milliarium directè diſtantem, in clivo bipartiti montis, ubi extat opacus lucus, propè præcipitem torrentem, aquas ex vorticibus cadentes excipientem, & in via diffundentem, conſtruxerant: Ubi Religioſis vitam ſolitariam, & contemplativam quandoque ducere cupientibus, in anguſtis cellulis, quin veriùs in antris degere concedebatur. Unde & nomen Carcerum crediderim traxiſſe. Hunc locum Sanctus Pater à prædictis optimis Patribus, eum ſummopere diligentibus, anno 1216. obtinuit. Ibi ſuffoſſam petram in ſepulchri formam ſibi delegit, ut habitaculum, & in duriſſimo ſaxo ſomnum capiens, ſuper ligneum cervical caput reclinabat. Extat adhuc concavus ille lapis. Inde ad viſitandos filios, non longè apud flexuoſum rivum, & longiùs à Portiuncula commorantes ſe conferebat; Utrinque aliquot ex eis alternatim reducebat, ut in ea paleſtra contra Tartareos hoſtes exerceret. Ibi Dæmonis inſidias deludebat; eumque infeſtiſſimum per ſubterraneam cryptam præcipitem dedit.

Hoc ſanctuarium, inter alios celebres cultores, memorabilem habuit F. Ruffinum, qui ſub rupe pœnitentiam admirabilem peragebat. Cui Cacodæmon, in Angelum, imò in Auctorem lucis transformatus, Crucifixum pluries videndum ſe præbuit, illi præcipiens à Franciſci amicitia ſeparari, quem hypocritam ab æterno damnatum dictitabat. Unde deceptus miſer, ſancti viri conſortium devitabat, & diutiùs ab ejus familiaritate abſtinuit. At Franciſcus, qui meliùs hoſtis noverat thecnas, cælitus admonitus, miſit Fr. Maſſæum ad illum & vocandum, & ſecum ducendum. Indignatus Ruffinus reſpondit, nil ſibi ulteriùs agendum cum filio Bernardonis. Hanc obſtinationem precibus, ac lachrymis fidelis condiſcipulus ſuperavit, & quamvis reluctantem ſecum traxit. Quem amantiſſimus Pater ut vidit, infelix Ruffine, inquit, cui aurem, & fidem dediſti? nonnè dæmoni præcipitium tibi ſuadenti? Totam inde tentationum ſeriem, ac ſi præſens fuiſſet, retulit: Et ſigna agnoſcendi inimici aſtus eum edocuit; Ex tunc conterriti maligni ſpiritus, quoties ille ad locum, quò erant energumeni, appropinquabat, dæmones obſidentes, clamabant, ecce inimicus noſter, exire cogimur. Cumque aliquando S. Pater Franciſcus in Monte Alvernæ ſub rupe orans, à dæmonibus ſaxa deſuper jactantibus, turbaretur; comminabatur, dicens, ſi non quieſcetis, vocabo F. Ruffinum; jamque illicò diſcedebant.

Itidem Fratres Bernardus Quintavalle, Leo, & Angelus, & alii Sancti Patris ſocii, ipſo vivente, & poſt ejus tranſitum, ſolitudinis, & contemplationis deguſtandæ gratia, ſæpè in ſancto loco ſe colligebant; ac poſt ipſos ſucceſſivè alii pœnitentiis aſſuefacti. unquam defuit aliquis, ex his, qui in Sacro Conventu morabantur, qui exercitiorum cauſa in ea ſacra Eremo moram non traheret.

Inſignem habuit Incolam Beatum Valentinum Narnienſem, olim cujuſdem

Ca-

Caſtri Comitem, qui duas filias in Conventu S. Claræ Deo conſecravit, & tres filios ad Minores ſecum duxit. Triginta annis in Religione vixit, &



Sacra Carcerum Eremus

..herer.
..buit Incolam Beatum Valentinum Narnienſem, olim cujuſdem
Ca-

Digitized by Google

Caſtri Comitem, qui duas filias in Conventu S. Claræ Deo conſecravit, & tres filios ad Minores ſecum duxit. Triginta annis in Religione vixit, & floruit circa annum 1355. ex quibus per plures annos inter antra Carcerum admirabili pœnitentia, pane, aqua, & abſinthio contentus vitam duxit, atque ibidem animam Deo reddidit. Corpus miraculis clarum à ſuis fratribus Aſſiſii Conventualibus ad Baſilicam Collis Paradiſi tranſlatum fuit circa annum 1378. biennio antequam locus naſcenti Reformatorum familiæ, quæ poſtea de Obſervantia dicta eſt, aſſignaretur. Unde miror P. Franciſcum Gonzagam, ubi agit de hoc loco par. 2. liberè ſcripſiſſe, illum Patres Conventuales ob aliqua incommoda deſervaſſe. Nam ſemper ibi duo, vel tres Aſſiſienſis Conventus fratres incolæ, ad agenda ſpiritualia exercitia, & ad veræ quietis contemplationem deguſtandam, alternatim diſtributi commorabantur. Semperque locus in ea ſimplicitate, quam ab initio habuit, per duo ſæcula ſervatus fuit.

Anno autem 1380. cum jam frater Pauluccius Trincius duodennio antea ſuorum Reformatorum familiæ initium dediſſet, & loca remota à ſuperioribus peteret, in quibus vitam Eremeticam cum ſuis ducere poſſet, Miniſter Provincialis S. Franciſci Frater Matthæus de Amelia inter alia loca ſylveſtria, & ſolitaria, etiam ſacram hanc Eremum aſſignavit. Cumque prædictus Dei ſervus plures vellet ibi ſuos aſſeclas collocare, Dormitorium paupertati, cujus fervidus erat zelator, conforme, & anguſtas neceſſarias officinas addidit, ac ibi octo optimorum Religioſorum familiam inſtituit.

In hoc ſanctuario diu commoratus eſt B. Antonius de Stroncono, ſanctitate inſignis, quem paucis ab hinc annis S. Rituum Congregatio Beatum dici, & coli decrevit.

Cum autem tempore Clementis VII. circa annum 1530. ex illa prima alia ſtrictior prodierit Reformatio, ſub propriis, ac diſtinctis Provincialibus Miniſtris in arctiori paupertate firmata: locus Carcerum à Patribus Regular. Obſer. nuncupatis derelictus, à Religioſiſſimis Patribus novæ, & exactioris obſervantiæ inhabitari cæpit, ubi magna exemplaritate morantur.

Enituit ſemper erga Religioſos in ea ſancta domo divina Providentia. Cum enim circa celſitudinem montis ſitus hiemali tempore propter ingentes nives, & glacies, ſæpè per integros menſes impervius evadat, ac Patres illi ex quotidiano quæſtu vivant: nunquam tamen eis deeſt Deus corda movens devotorum civium, & inferioris partis incolarum benefactorum, qui omni vi, ac labore ſibi viam aperiunt, eiſque eleemoſinas, ac proviſiones deferunt. iactantes enim cogitatum ſuum in Domino, ab ipſo enutriuntur. Sancti loci proſpectum hujus paginæ figura pandit.

Sancti Damiani Conventus.

TITULUS LI.

RUralis Eccleſia Sancti Damiani, extra Civitatem Aſſiſii olim erecta, tam modicis erat redditibus ſuſtentata, ut quamvis anguſta, pauper tamen Sacerdos illius ſacellanus non haberet unde illam jam labentem inſtauraret. Hanc ingreſſus juvenis Franciſcus, dum attentiùs coram Crucifixi imagine preces funderet, hanc vocem audiens, vade Franciſce, repara domum meam, quæ labitur, operi ſe accinxit. Sed cum propter Patris avaritiam, pecuniam ex mercibus divenditis collatam in tam pium opus nequiſſet impendere; cum Patre mundanis operibus abrenunciatis, piorum eleemoſinis reparavit.

Inſtituto jam ab eo Minorum Ordine, ac mirè propagato: nobilis Virgo Clara cupiens & ipſa mundo exonerata, poſt Sancti Viri veſtigia Chriſtum ſequi, ad illum in Cœnobiolo Portiunculæ ſe contulit; eique ſanctum patefecit deſiderium; à quo in propoſito confirmata, paulò poſt ibidem tonſo crine, cineracea veſte induta, indiſſolubili nexu Chriſto ſponſa juncta extitit. Ut eam providus Pater ab inſidiis mundi præſervaret, ad Monaſterium quoddam in ingreſſu Civitatis poſitum duxit, ac ſacris illis Monialibus ſibi devotis commendavit. Hic tantiſper mentem ſiſtere non pigeat; modica enim, & ferè nulla de ipſo ſcriptores referunt, cum tamen antiqua monumenta aliqua ſcitu digna me doceant.

Antiquitus locus iſte Palatium erat, cujus ſtructura adhuc permanens magnificum fuiſſe oſtendit. Ibi duo Cives Germani fratres morabantur; qui propter bona temporalia dividenda, mutuis inter ſe odiis fervebant, ac malo dæmone inſtigante, unus alterius vitæ inſidiabatur. Cumque quadam die ambo armis præcincti, ira bacchantes altercarentur: illicò inter eos à Deo miſſus refulſit Angelus, cujus aſpectu territi fratres, ad pedes ejus in ſolum corruerunt. A cæleſti nuncio erecti, dulciter moniti, leniterque correpti, & ad fraternam pacem inducti, eo præſente genuflexi, in mutuos amplexus, & oſcula fraterna conſtricti, deinceps in amoris concordia vixerunt. Conciliatis animis, ſtatim Angelus ab eis diſceſſit, ac evanuit. Inde nobiles viri memores beneficii, tutelari Numini grati, domum illam ad Monaſterii formam aptarunt, in cujus inferiori aula Eccleſiam conſtruxerunt, quam Sancti Angeli Pacis vocari voluerunt, totumque locum ſanctimonialibus Benedictinis dederunt: corrupto autem nomine S. Angeli Panſii dicta eſt. Adhuc ſervatur Eccleſia cum Altari, licèt modò ſimplex ſit oratorium: in pariete antiquiſſima pictura cernitur, miraculum præfatum demonſtrans; Angelum videlicet ſtantem, juvenes armatos ad ejus pedes genuflexos, ac ſe invicem oſculantes. Ibidem nunc aliquæ Tertii Ordinis ſorores ſæculares, ſub patrocinio Sacri Conventus viventes, & advenas ejuſdem inſtituti ſorores peregrinas hoſpitio recipientes cohabitant.

Ad hoc ergo Monaſterium Sanctus Pater Franciſcus almam Virginem Deo deſponſatam adduxit, & ſub Angeli pacis tutela conſignavit. Ibi à conſanguineis, qui eam à ſancto propoſito retrahere conabantur; ſæpius turbata,

illis

illis viriliter reſtitit. Ibidem tenacioribus divini amoris funiculis ambæ conſtrictæ, agnatorum violentias ſuperarunt: & aſtus Inferni Amazones invictæ profligarunt. Inde Agnes illa innocens, dum violenter à ſuis traheretur, velut columna immobilis tanto pondere ſtetit, ut amoveri nulla vi potuerit. Ad eumdem locum aliæ quoque Aſſiſiates Juvenculæ Virgines accurrentes, poſt eas ad Chriſtum Regem adductæ acceſſerunt. Non enim ad modicum tempus ibi moras duxerunt.

Interim S. Pater ad prædictum S. Damiani Presbyterum ſe contulit, eumque rogavit, ut novo ſacrarum Virginum cætui Eccleſiam illam cum adiacenti modico territorio, pro Chriſti amore reſignaret. Ille libenter annuit, & accedente Epiſcopi conſenſu, piorum eleemoſinis, & præcipuè Claræ, & Agnetis parentum, & conſanguineorum, qui illarum experti ſatis conſtantiam pacatis animis divinæ jam ſe commiſerant voluntati, Monaſterium ad paupertatis modulum, capax tamen, ac ſufficiens, ſupra, & circa Eccleſiam erectum fuit. Ad quod Sanctus Pater filiam ſuam Claram, cum eius Aſſeclis adduxit, eamque illis Abbatiſſam præfecit. Pius quoque Presbiter in proxima ſua domo, quoad vixit, illarum ſpirituali curæ deſtinatus habitavit.

Moniales Sancti Angeli Pacis, ſeu Panſi poſt mortem D. Claræ ad Monaſterium Eccleſiæ ejus nomini dicatæ tranſierunt. Priſtinum cænobium ſororibus Tertii Ordinis domicolis aſſignaverunt, quod adhuc retinent, ſtante loci ſtructura illam magnificentiam portendente. De hoc Monaſterio etiam P. Vvadd. t. p. ad an. 1212. plura ſcripſit, ex iis, quæ retuli; ſed non ſatis edoctus, duo Monaſteria aſſerit fuiſſe, primum S. Pauli, alterum Sancti Angeli de Panſo, in quibus Dei ſponſa ſe abdidit, antequam ad Sanctum Damianum acceſſiſſet. At Eccleſia S. Pauli Parochialis erat, in medio Civitatis poſita, ad Benedictinos montis Subaſii pertinens; nec aliam Divo gentium Doctori dicatam reperio. Prædicto S. Angeli pacis Cænobio nunc adhæret Clericorum ſæcularium Seminarium, à Creſcentio Epiſcopo nobili Romano inſtitutum, cujus ædificium eamdem antiquitatem oſtentans, partem ejuſdem Palatii, ac Monaſterii ſe fuiſſe demonſtrat. Jurè à præfato Antiſtite Seminarium Seraphicum appellatum eſt, puto, ab incolatu, quem Seraphina Mater ibi primitus tenuit.

In portum itaquè novi Monaſterii à Sancto Inſtitutore illi paratum nobilis naucleria navigio caſtitatis cum ſuis ſe recepit comitibus: eo naviculam appulit, ubi ulteriùs non potuit naufragium timere. Sanctum hoc habitaculum ſemper ſub divina providentia, ac tutela poſitum fuit. Numquam defuit Deus ancillis ſuis, quibus in urgentioribus neceſſitatibus ſæpius mirè ſubveniebat; cum enim egeſtas magis premeret, tunc inſperatò à divina munificentia, & à populorum pietate uberiora deferebantur ſubſidia. Etiam in majoribus periculis conſtitutis adfuit ſuperna virtus omnipotens: ut cum Saracenis Civitatem obſidentibus, ac Monaſterio inſidiantibus, & per aptatas ſcalas jam muros aſcendentibus, ad preces ancillæ ſuæ, præſens intonuit Dominus, & altiſſimus de Cœlo dedit vocem ſuam, ac ſub pedibus impiorum commota terra, illos præcipites dejecit, & à tota Provincia in fugam diſperſit.

Inde ſanctitas caſtiſſimi Collegii odorem ſuum per Chriſtianum orbem diffundebat, cujus fragrantia tracti ipſi ſummi Pontifices Gregorius IX. & Innocentius IV. ad Sanctam Virginem viſitandam acceſſere. Ille præcipuè, qui moriturae perſonaliter benedictionem, ac plenariam indulgentiam impertivit; ejuſque

ejuſque funeri, comitantibus pluribus S. R. E. Cardinalibus, ex quibus Epiſcopus Oſtienſis in laudem ejus funebrem orationem habuit, aſſiſtere voluit. Orator ipſe, qui in Pontificatu ſucceſſit, Alexander IV. illam Sanctarum Virginum catalogo adſcripſit.


In eodem ſanctuario plurimarum Virginum corpora requieſcunt, earum inquam, quæ antequam ſacer ille Chorus ad novum in Civitate extructum Monaſterium tranſiiſſet, ab hac vita migrarunt. Plurimas ibi quadraginta annorum ſpatio ſancta magiſtra diſcipulas habuit, cum anno 1228. in publico Inſtrumento, quò ſacra Virgo Terram quamdam Olivatam propè Teſium poſitam, & Monaſteriis relictam, Cathedrali Capitulo vendidit, quinquaginta tres Moniales nominatim numerentur; cujus inſtrumenti authographum refert Vvad. t. p. ad an. prædictum n. 15. lectu digniſſimum. Ex ſacro autem illo tumulo multoties ſuaviſſimus ſpirat odor, quem ego ipſe non ſemel olfactu percepi.

Poſtquam illinc diſceſſerunt Moniales Clariſſæ, locus ſub juriſdictione Cathedralis Capituli D. Ruffini venit, qui poſtea anno 1373. ab eo adoleſcenti Reformatorum familiæ aſſignatus extitit: & tandem tempore Clementis VII. tunc exortis ſtrictioris Obſervantiæ Reformatis fuit reſignatus, ubi exemplariſſimè viuunt.

In hac S. Damiani Eccleſia, ſuper Altare Beato Antonio de Stroncono dicatum, requieſcit ejuſdem Beati corpus integrum, incorruptum, flexibile. Scriptorum aliqui fundatum aſſerunt Clariſſarum Ordinem in ſacra Æde Portiunculæ, ubi Virgo Clara Chriſto deſponſata fuit. Alii Angeli pacis obliti, hoc initium Eccleſiæ, & Monaſterio S. Damiani tribuunt. Quiſque ſuos ſtudet extollere lapides. miror, quòd iidem negantes Minorum Ordinem fundatum fuiſſe apud Rivum tortum, licèt in eo Sacello S. Pater cum duodecim fratribus diù commoratus fuerit, eoſquè ſub obedientia regulari habuerit; poſtea ſcribant unicam ſuffeciſſe Religioſam, ante conditionem, & approbationem regulæ ad fundandum Ordinem, qui eſſentialiter importat inter plures perſonas regulatam ſeriem. At tanti ædificii amplum debuit eſſe fundamentum. dici poteſt, quòd in Eccleſia Angelorum Reginæ fuerit ideatum, in Cœnobio S. Angeli Pacis, multiplicatione aggregatum: & in Conventu Sancti Damiani Regulari lege firmatum, ac completè fundatum; inde ædificium ampliatum, elevatum, ac per orbem diffuſum. Unicuique loco ſuam laudem tribuamus: ità tamèn, ut præteritorum temporum, & operum invertibilem ordinem non pervertamus. Hujus quoque ſanctuarii ſcænam hic figuratam objicio.

Digitized by Google


102



Ecclesia, et locus Sancti Damia

... conſecravit Altare majus, ſub quo Sanctæ Inſtitutricis corpus reconditur: Interim dedicantibus totam Eccleſiam intus, ac foris S. R. E. Cardinalibus, ab eo ad id deputatis; ſolemnitati ad-

ejuſque funeri, comitantibus pluribus S. R. E. Cardinalibus, ex quibus Epi-



ni *Franciscus Providonus del. et Scul.*

Diva

Digitized by Google

Divæ Claræ Templum, ac Monaſterium.
TITULUS LII.

INter primarias Urbis Aſſiſienſis Eccleſias, olim celebris fuit Parochialis Collegiata S. Georgio M. ſacra, in qua Adoleſcentulus Franciſcus ſub diſciplina piiſſimi Sacerdotis educatus prima Grammaticæ rudimenta didicit, & poſt converſionem pluries prædicando, populum ad pœnitentiam hortabatur. Poſt cujus mortem ad eamdem Eccleſiam corpus ejus divina manu cælatum delatum, ac depoſitum fuit; ubi ſpatio trium annorum, ſeptem menſium, ac dierum viginti permanſit. Ibidem à Gregorio IX. nondum expleto ab ejus morte biennio, ſolemni pompa ſanctorum albo adnotatus fuit: Inde ad novam Baſilicam ſacro tranſlato corpore, Pontifex ipſe Claræ Virgini, in Monaſterio S. Damiani adhuc viventi, eamdem S. Georgii Eccleſiam donavit: juſſitque propè illam Monaſterium conſtrui, in quo Sacræ Virgines tutiùs, & commodiùs cohabitarent: ad quod conſiderabilem pecuniæ ſummam aſſignavit. Convenientibus quoque piis eleemoſinis à civibus collatis opus fæliciter inchoatum eſt.

Reperiebatur Aſſiſii Jacobus Alemannus, qui Collis Paradiſi Baſilicam, cum triplici Eccleſia, & admirabili Conventu architectatus fuerat; cui etiam novum opus conficiendum fuit iniunctum. conſtat ex ædificiorum ſimilitudine, utrumque ab eodem auctore prodiiſſe. Hic ergo locum, ſitum, & agenda perpendens, totum novum Templum à fundamentis erexit propè antiquum, cujus ſolidiorem partem odeo deſtinavit, aliam lateralem ruinæ proximam diruit, ac Monaſterii impluvio aſſignavit: relicto integro ſacello, quò S. Patris corpus fuerat depoſitum; quod adhuc Sacellum integrum in medio clauſtri à ſanctimonialibus cultum, & circum ornatum devotè cuſtoditur. Ad ſternendam plateam ante novam Eccleſiam, collis declive repleri, ac ſolidi muri vi ſuſtineri curavit. monaſterium in Collis radice ampliſſimum ad meridiem excelſis, ac ſolidis propugnaculis ſuffultum, conſtruxit. Templum magnificum, formam crucis referens, ad Archetypum celſioris D. Franciſci ex politis lapidibus ejuſdem ſpeciei, ac formæ erexit. Totum ædificium ex materia, forma, figura, ſitu, ſtructura, altitudine, ac latitudine, admirabile, & æternitati compactum cenſeri poteſt.

Vixit ſancta Virgo donec magna hæc moles ſibi parata ad complementum adduceretur, & jam inhabitari poſſet monaſterium: mundiſſimum corpus ad Civitatem delatum, in novo Templo locatum fuit: quò etiam cum matre dilectæ filiæ ad commorandum iuerunt.

Peracto ab ejus morte biennio Alexander IV. in Eccleſia Cathedrali Anagniæ die 15. Auguſti 1255. inſigni pompa, ſolemni ritu, illam inter Sanctas Virgines connumeravit. anno 1260. juſſu ejuſdem Pontificis, magno populorum concurſu ab Epiſcopis Aſſiſiate, & Peruſino corpus ejus recognitum, ac integrum, & incorruptum, undique fragrans, & velut dormiens repertum, ſub majori Altari in capſa plumbea, alia lapidea undique tecta, clauſum tranſlatum fuit die 2. Octobris.

Poſt alios quinque annos, nempè 1265. Clemens Papa IV. Aſſiſium venit ad viſitanda corpora SS. Franciſci, & Claræ. Cumque jam Seraphici Patris Baſilica ab Innocentio IV. fuiſſet dedicata; ipſe conſecravit Altare majus, ſub quo Sanctæ Inſtitutricis corpus reconditur: Interim dedicantibus totam Eccleſiam intus, ac foris S. R. E. Cardinalibus, ab eo ad id deputatis; ſolemnitati ad-

adſtante Romana Curia, ac populorum ingenti multitudine. Decrevit Pontifex novum Templum ipſo S. Claræ nomine deinceps decorari; relicto Altari D. Georgio m. ſacro. Unde Eccleſia ipſa inter inſigniores Baſilicas, Pontificali conſecratione decoratas, computanda eſt.

Vetuſtiſſima Crucifixi imago ſuper tabulam picta, ex qua Franciſcus adhuc juvenis vocem Domini audivit, à Monialibus ex priſtino S. Damiani domicilio allata, in interiori novi Monaſterii choro ſuper Altare locata fuit, & ab eis per ferream cratem peregrinis, ac devotis videnda, & adoranda exponitur.

Poſt tres menſes à Seraphicæ Matris obitu, ejus dilectiſſima ſoror Agnes ad Paradiſi gaudia ſororem ſequuta aſcendit; miraculis æquè clara, virtutibus, ac Sanctimoniæ fama inſignis: cujus corpus in Sacello ejuſdem Templi ſanctis Angelis dicato honorificè conditur. Ibidem Dei ſponſæ Amata, conſobrina S. Claræ, & Benedicta poſt eam prima Abbatiſſa, pari honore conquieſcunt.

Servantur in eadem Baſilica oſſa primarum Dei famularum, quas Civium, & populorum pietas, ut Beatas coluit; præcipuæ Hortulanæ matris, Balbinæ, & alterius Agnetis neptium, alterius Balbinæ, Chriſtinæ, Philippæ, Cæciliæ, & aliarum S. Inſtitutricis ſociarum, & Aſſeclarum.

In interiori ſacello, ubi S. Patris corpus dudum ſervatum fuit, modò quieſcit corpus B. Franciſcæ Monialis converſæ, ſuper cujus tumulum, poſtquam fuerat ſepulta, menſe Januario, Roſæ pulcherrimæ cum ceſpitibus exortæ apparuerunt.

Templum hoc ab inſignioribus illius ſæculi pictoribus, qui Collis Paradiſi Eccleſias egregiis eorum operibus exornaverant, fuit pariter totum interiùs decoratum. At temporis injuria corruente jam parietum ſuperficie, dealbatum eſt: unde, rudis illa, ſed venerabilis vetuſtas deſideratur. Servatur tres imagines in tabula, à Giunta Piſano Græcorum alumno delineatæ, quæ Crucifixum Dominum, B. Matrem Virginem, & S. Claram exprimunt; poſtque majorem Aram locatæ conſpiciuntur.

Hujus Baſilicæ ſacræ Reliquiæ ſunt. Crucis Chriſti plura fragmenta; integra Spina; Spongiæ, flagelli, lintei, ſindonis, cunarum, menſæ, ſepulchri variè particulæ. B. Dei Genitricis de Capillis, Velamine, Cingulo, Veſte. Pars cinerum S. Præcurſoris Joannis, SS. Apoſt. Petri, Pauli, Jacobi, Matthæi, Bartolomei, Simonis, Taddæi, SS. Martyrum, Pontificum, Confeſſorum, ac Virginum quamplurium. Quarum aliquæ ſub Altaribus ab eodem Clemente IV. & Cardinalibus, qui aras, & templum dedicarunt conditæ ſunt: aliæ in Altari SS. Crucifixi honorificè aſſervantur.

Singularia S. Claræ ſacra lipſana ſunt, Velamina, veſtes, chorda, pretioſus Annulus ei ab Innocentio IV. donatus. S. P. Franciſci calceolus lineus, à S. Clara cum alio ei miſſus, quos poſt impreſſionem ſacrorum ſtigmatum deferebat. Penula, ſeu Tunicula, qua ab Epiſcopo coopertus fuit, cum nudatus coram eo, Patri, ac mundo abrenunciavit. Emplaſtrum à S. Clara compactum, quod ſuper laterale vulnus ad illud tergendum, ac dolorem mitigandum S. P. ferebat. Ibi concretus ſanguis adhuc apparens aſſervatur in argentea capſula à D. Cardinali Eo romeo donata.

Moniales ſanctæ fundatricis primogenitæ apud ipſam Matrem commorantes, quàm religioſè convivunt. Regulam ab Urbano IV. ipſis aſſignatam profitentes; exactèque obſervantes; die, noctuque divinis officiis, orationibus, aliiſq; ſacris exercitiis addictæ. Bona poſſident in communi, nihilominus Inſtitutricis paupertatem, quæ præſertim in egeſtate, parſimonia, afflictione, & mortificatione corporis conſiſtit, ſingulæ perfectè imitantur.

PRIMI LIBRI FINIS.


104



Sanctæ Claræ Virginis Templum et Monaster

adſtante Romana Curia, ac populorum ingenti multitudine. Decrevit Pontifex novum Templum ipſo S. Claræ nomine deinceps decorari; relicto Altari D. Georgio m. ſacro. Unde Eccleſia ipſa inter inſigniores Baſilicas, Pontificali conſecratione decoratas, computanda eſt.

Vetuſtiſſima Crucifixi imago ſuper tabulam picta, ex qua Franciſcus adhuc



ium

Franc. Prandi. del et sculp.

SACRI CONVENTUS ASSISIENSIS HISTORIÆ

LIBER SECUNDUS.

Honorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei: ſal. & Apoſt. bened.

Dilectis filiis Fratri Franciſco, & aliis Prioribus, ſeu Cuſtodibus Minorum Fratrum.

CUm ſecundùm, conſilium Sapientis, nihil ſine conſilio faciendum, ne poſt factum pœnitudo ſequatur; expedit cuilibet excelſioris viæ propoſitum agreſſuro, ut præcedant palpebræ greſſus ſuos; vires videlicèt proprias diſcretionis moderamine metiendo: ne ſi (quod abſit) altiora ſe quærens in commotione dederit pedem ſuum, retrò reſpiciat, in ſalis ſtatuam convertendus, pro eo quòd ſui ſacrificium, quod Domino fuerat oblaturus, ſale Sapientiæ non condivit. Sicut enim ſapiens deſipit, ſi non fervet; ſic fervens confunditur, ſi non ſapit. Quarè penè in omnis Religionis Ordine providè inſtituitur, ut Regulares obſervantias ſuſcepturi, certo tempore ipſas probent, & probentur in eis; nè ſit locus de cœtero pænitudini, quam non poteſt levitatis occaſio excuſare. Auctoritate itaq; nobis elargita, vigore præſentium inhibemus, ne aliquem ad profeſſionem veſtri Ordinis, niſi per annum in probatione fuerit, admittatis: poſt factam profeſſionem, nullus fratrum Ordinem veſtrum relinquere audeat, nec relinquentem retinere. Inhibemus etiam, ne ſub habitu vitæ veſtræ liceat alicui extra Obedientiam vagari, & paupertatis veſtræ corrumpere puritatem, quod ſi quis fortè præſumpſerit, liceat vobis in fratres ipſos, donec reſipuerint, cenſuram Eccleſiaſticam exercere. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſe nove-

rit incurſurum. Datum apud Urbemveterem 10. Kal. Octobris Pontificatus anno quinto.

Pendet Bulla.

Ad obſervantiam præfati Diplomatis reſpicit textus ille Regulæ, *non liceat eis de iſta Religione exire, juxtà præceptum Domini Papæ, quia nemo mittens manum, &c.*

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Fr. Franciſco, & aliis Fratribus Minoris Ordinis Sal. & Ap. ben.

DEvotionis veſtræ precibus inclinati, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut in Eccleſiis, ſi quas vobis habere contigerit, cum generale terræ fuerit interdictum, liceat vobis clauſis januis, excommunicatis, & interdictis excluſis, ſubmiſſa voce divina officia celebrare. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ Indulgentiæ infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Anagniæ 2. Kal. Aprilis. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Pendet Plumbeum ſignum, cum inſcriptione, Honorius PP. III.

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Fratribus Minorum Ordinis.

QUia populares tumultus, tanquam qui veſtro adverſantur propoſito, fugientes, ſecretos receſſus libenter appetitis, ut in ſancta quiete liberiùs orationi vacare poſſitis; nos attendentes orationum veſtrarum ſuffragia plurimùm opportuna; quoniam eò efficacior eſſe debeat veſtra interceſſio apud Deum, quo perfectè viventes, ejus digni eſtis gratia potiori. Conſiderantes vobis negandum non eſſe, unde nemini derogatur, dum vera expoſcit religio, ut quæ ſunt etiam de gratia ſpeciali vobis concedere debeamus. Devotioni veſtræ, cum profeſſi paupertatem ſitis, pariter & amplexi, non temporale commodum, ſed ſpirituale quærentes; auctoritate præſentium, veſtris inclinati precibus indulgemus, ut in locis, & oratoriis veſtris cum viatico altari poſſitis Miſſarum ſolemnia, & alia divina officia celebrare, omni Parochiali jure Parochialibus Eccleſiis reſervato. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & Indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſe noverit incurſurum. Datum Reate 3. Nonas Dec. Pontificatus noſtri anno 9.

In Plumbo.

Hono-

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Fratri Franciſco, & aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum ſal. & Apoſt. bened.

SOlet annuere Sedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium deſideriis favorem benevolum impartiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris piis precibus inclinati, Ordinis veſtri regulam à bonæ memoriæ Innocentio Papa prædeceſſore noſtro approbatam, annotatam præſentibus auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, quæ talis eſt. *In nomine Domini, Incipit Regula Fratrum Minorum*, &c. *Tota per extenſum ponitur.*

In fine. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lateran. 3. Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno Octavo.

Pendet plumbeum ſignum.

Sequens diploma Seraphicus Pater petiit, & obtinuit ab Honorio III. ad compeſcendos Fratres Apoſtatas, & fugitivos, eorumque fautores, ac receptores. Plurimi enim jam emiſsæ profeſſionis pertæſi, religionem deſerebant, ut liquet ex ipſo diplomate.

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Decanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ pervenerint, ſal. & Apoſt. bened.

FRatrum Minorum continent inſtituta, ut nullus ad profeſſionem ſui Ordinis, niſi per annum in probatione fuerit, admittatur; ne fortè altiora ſe quærens, retrò tandem reſpiciat, tanquam in commotionem dederit pedem ſuum. Sed & nulli ejuſdem Ordinis Fratrum poſt factam profeſſionem licet Ordinem ipſum relinquere, nec relinquentem alicubi retinere. Noſque Prioribus, & Cuſtodibus Fratrum ipſorum conceſſimus, ut in diſcedentes liceat, donec reſipuerint, Eccleſiaſticam exercere cenſuram: quia cum probati fuerint, nullus locus eſt pœnitudini, quam aliàs poſſet levitatis occaſio excuſare. Nunc autem non ſine admiratione accepimus, quod, ſicut relatum eſt nobis, cum prædicti Priores, & Cuſtodes taliter diſcedentes excommunicatio-

ni ſubjiciunt, hos aliqui veſtrum tanquam excommunicatos evitare non curant: unde illos magis obſtinari contingit, & dictorum Fratrum Religionem, & Ordinem infamari. Quia verò, & ſi univerſis liberum ſit in vovendo arbitrium, nec neceſſitas in votis locum habeat, ſed voluntas; uſquè adeò tamen ſolutio neceſſaria eſt poſt votum, ut non ſine propriæ ſalutis diſpendio, alicui reſilire liceat ab iis, quæ ſpontè, ac ſolemniter repromiſit. quare *nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt Regno Dei*. Ananias, & Saphira, quæ abjere retrorſum, Sancto Spiritui mentientes, à conſpectu Apoſtolorum Principis mortui ſcribuntur ſucceſſivè delati. Univerſitatem veſtram monemus, & hortamur in Domino per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ne quis veſtrum in peccatis ſuis moriatur, & ut Ordo hujuſmodi detractioni ſubjaceat, ſit occaſio; diſcedentes poſt profeſſionem ab eis, præſertim excommunicatione notatos ab ipſis, evitetis omninò; quos etiam cum ab eiſdem Prioribus, & Cuſtodibus fueritis requiſiti, excommunicatos nuntiare curetis; ut cum ſe demum cognoverint, inter homines vivere, ac humano carere ſolatio, ad Ordinem ſuum, reddendo Deo votum, quod in ejus ſuſceptione devoverant, revertantur. Datum Lateran. 15. Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno octavo.

Pendet plumbeum ſignum, habens Apoſtolorum facies, & inſcriptionem eamdem, ſcilicet, Honorius PP. III.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Fratribus Minoribus ſal. & Apoſt. bened.

NOs attendentes veſtrarum orationum ſuffragia plurimùm opportuna, quoniam eò efficacior eſſe debet veſtra interceſſio apud Deum, quò perfectè viventes ejus digni eſtis gratia potiori. Conſiderantes quoque vobis negandum non eſſe, unde nemini derogatur, dum veſtra expoſcit Religio, ut quæ ſunt etiam de gratia ſpeciali vobis concedere debeamus. Devotioni veſtræ auctoritate præſentium, veſtris inclinati precibus indulgemus, ut in locis veſtris liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum viatico altari poſſitis Miſſarum ſolemnia, & alia divina officia celebrare, omni Parochiali jure Parochialibus Eccleſiis reſervato. Et ne de hoc jure poſſit quæſtio ſuboriri, illud circa oblationes, decimas, & primitias intelligimus, quæ à Laicis ſolent Clericis exhiberi, quibus defraudari nolumus Parochiales Eccleſias, occaſione Indulgentiæ ſupradictæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Aſſiſii 4. Id. Junii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Pendet ſerico laqueo innixum ſignum plumbeum: cum inſcriptione, Gregorius PP. IX.

Gre-

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Miniſtro Generali, & Fratribus Ordinis Min. S. &c.

REcolentes qualiter ſancta plantatio veſtri Ordinis ſub B. memoriæ Patre Franciſco incepit, & mirabiliter profecit per gratiam Jeſu Chriſti, flores ſanctæ converſationis longè, latèque proferens, & odores, ita, quòd in deſerto hujus mundi Sacræ Religionis honeſtas ab eodem Ordine procedere videatur; dignum eſſe prævidimus, & conveniens, ut pro ipſius Patris reverentia Eccleſia, in qua recondendum eſt corpus ejuſdem, ſpeciali prærogativa gaudeat libertatis, ut idem Pater, per quem tantus fructus proveniſſe dignoſcitur, honorificetur etiam in hoc, quod eadem Eccleſia libertate donata, nulli alii, quàm Romano Pontifici ſit ſubjecta. Quarè ſub ſpeciali Apoſtolicæ Sedis tutela conſiſtens affici non poſſit injuriis, ſed quiete, ſicut libertate pleniùs perfruatur. Ea propter fundum pietatis obtentu nobis oblatum pro Eccleſia, ac ædificiis conſtruendis, ubi recondi debeat corpus Patris prædicti, in jus, & proprietatem Sedis Apoſtolicę recipimus, de ſpeciali gratia ſtatuentes, ut prædicta Eccleſia ſit omninò libera, & nulli alii, quam Apoſtolicæ ſedi ſubſit. Ad indicium autem hujus libertatis ab Eccleſia Romana perceptæ, unius libræ ceræ cenſum perſolvat Eccleſia nobis, & ſucceſſoribus noſtris annuatim. Nulli ergo, &c. Datum Reate 11. Kal. Nov. Pontif. noſtri anno ſecundo.

Habet plumbeum ſignum. Gregorius PP. IX.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipreſbyteris, Archidiaconis, Decanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtę pervenerint ſal. & Apoſt. bened.

SIcut phialæ aureæ, quas vidit Joannes plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum in conſpectu Altiſſimi, ad abolendum noſtrorum criminum corruptelam, odorem ſuavitatis emittunt, ita ſaluti noſtræ credimus plurimùm expedire, ſi eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipſorum merita ſolemnibus recolendo præconiis, quorum in Cœlis ſperamus interceſſionibus aſſiduis adjuvari. Sanè cum de converſatione, vita, & meritis B. Franciſci Inſtitutoris, & Rectoris Ordinis Fratrum Minorum, qui

juxtà

juxtà conſilium Salvatoris, contemptis tranſitoriis, ſecundùm promiſſionem ejuſdem ad cœleſtia præmia feliciter, & æterna pervenit; cujus vita, & fama præclara, peccatorum depulſa caligine, ambulantes in regione umbræ mortis de vitiorum tenebris ad pœnitentiæ vitam vocat, quorum tam virorum, quàm mulierum ad fidem Eccleſiæ roborandam, & confutandam hæreticam pravitatem, vivit adhuc, & viget non modica multitudo, tam per vos, quàm per multos alios fide dignos, qui miracula, quæ Deus per illius Sancti viri merita operatur, pleniùs cognoverunt, certiores effecti, auditis etiam ejus virtutibus, & miraculorum inſigniis, & quòd inter carnales ſpiritualiter, & inter homines etiam Angelicam converſationem habuiſſet; qui corporaliter diſſolutus, cum Chriſto eſſe meruit in cœleſtibus; ne ipſius honori debito, & gloriæ detrahere quodammodò videremur, ſi glorificatum à Domino permitteremus ulteriùs humana devotione privari: de Fratrum noſtrorum conſilio, & Prælatorum omnium, qui tunc temporis apud ſedem Apoſtolicam conſiſtebant, Sanctorum cathalogo duximus aſcribendum. Cum igitur ſicut lucerna, ſic arſerit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam jam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum meruit collocari, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & attentiùs hortamur, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenùs devotionem fidelium ad venerationem ipſius ſalubriter excitantes, feſtivitatem ejus quarto nonas Octobris annis ſingulis ſolemniter celebretis, & pronuncietis conſtituto die ſimiliter celebrandam, ut ejus precibus Dominus exoratus ſuam nobis tribuat gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Datum Peruſii nono Kal. Martii, Pont. noſtri anno ſecundo.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Miniſtro, & Fratribus Ordinis Minorum in generali Capitulo conſtitutis ſal. & Apoſt. bened.

MIrificans miſericordias ſuas Dominus, quæ ſuper omnia opera ejus ſunt, ut unicæ ſuæ ſponſæ renovet, ſicut Aquilæ, juventutem, innovat ſigna, & immutat mirabilia, fulgura, & pluviam faciendo, dum Eccleſiæ filios legitimè certantes, fœliciter in Cœlo coronat, & quorum animas beata immortalitate glorificavit in patria, horum corpora miraculorum coruſcatione in terra clarificans, matrem ſalutis gaudio reficit, & fœcunditatis rore perfundit. Sic enim fides Eccleſiæ roboratur, convaleſcit Spes, & Charitas recaleſcit: ſic confutatur hæretica pravitas, lapſus delinquentium cohibetur, & inducitur converſio peccatorum. Quarè inter preſſuras innumeras, & anguſtias infinitas, quas plus ferre poſſumus, quàm referre, conſolationis, & gaudii materiam reſumentes, gratias, & laudes, quas poſſumus referimus Redemptori, qui Beatum Franciſcum Patrem noſtrum, & veſtrum, fortè autem magis noſtrum, quàm omnium veſtrum, adhùc in carne viventem inſignibus præveniens muneribus gratiarum, tanta nunc eum cum ipſo regnantem clarificat gloria, quòd præter alias virtutes magnificas,

nuper in Theutonia ipſius Sancti celebri nomine invocato, mortuum mirificè ſuſcitavit; ſicut nobis eſt ſolemniter intimatum, ut nos in ejuſdem Sancti magis, ac magis pio amore ſuccenſi totis affectibus in ipſius laudibus delectemur, ſperantes, ut quos in ſæculo extra ſæculum vivens tota mente dilexit, & nos nunc clariùs amplexatur, quò illum, qui eſt vera charitas, viciniùs intuetur, pro nobis intercedere non deſiſtat, & vos, quos idem in Chriſto regenerans in abundantia divitiarum altiſſimæ paupertatis reliquit hæredes, gerentes in intimis viſceribus charitatis, ad profectum Ordinis veſtri aſpiramus ardenter, propoſita nobis ſpe, quòd veſtrarum orationum ſuffragiis, noſtrarum tolerantiæ paſſionum nobis provenient in ſalutem. Verùm ut patrem laudabiliter imitantes pervenire mereamini, quò ipſe pervenit, univerſitatem veſtram rogamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, per Apoſtolica ſcripta vobis mandantes, ut quemadmodum accepiſtis à Beatiſſimo Patre veſtro, mortificationem Jeſu circumferentes in cordibus veſtris, ut vita Jeſu manifeſtetur in vobis, veræ humilitatis gloriam amplexati, armemini circumquaque inexpugnabili patientiæ armatura, obedientiam, quæ inter alias obſervantias regulares præcipua reputatur, nec non regularia ſtatuta Patris prædicti inviolabiliter ſervaturi. Cum enim ſpectaculum facti ſitis, mundo, Angelis, & hominibus, neceſſe habetis taliter converſari, ut benefacientes imprudentum hominum ignorantiam obmuteſcere faciatis, quin potiùs & vos bonis perſeverantes operibus glorificetis Deum, & Beatum Franciſcum dignis laudibus præconizetis. Cœterum cum glorioſum Corpus Sancti prædicti ad Eccleſiam ipſius nomini dedicandam cupiatis devotè transferre, nos deſiderium veſtrum favore debito proſequentes, quia dignum eſt, ut veneremur in terris, quem Dominus ſic honorat in Cœlis, de miſericordia Jeſu Chriſti, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, qui ad translationis ejus ſolemnia devotè convenerint, vel uſque ad Nativitatem Virginis glorioſæ proximè venturam ipſius Eccleſiam viſitaverint, transfretantibus mare tres annos, tranſeuntibus Alpes duos, & cœteris unum, & qui in Anniverſario translationis illius, uſque ad octavam diem reverenter acceſſerint, annum unum ſimiliter de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Lateran. 17. Kal. Junii, Pontificatûs noſtri anno 4.

Pendet plumbum.

Habentur aliæ literæ Apoſtolicæ ejuſdem Pontificis, ſub eodem die, & anno, ſub eiſdem verbis, uſque ad illa verba, *totis affectibus in ipſius laudibus delectamur*, indè ſequitur. Cœterùm cum dilecti filii Miniſter, & Fratres Minores, quos idem Sanctus inſtituit, divinitùs inſpirati glorioſum Corpus ad Eccleſiam ejus nomini dedicandam transferre deſiderent: nos eorum deſiderium favore debito proſequentes, quia dignum eſt, &c. ſequitur eiſdem verbis uſque ad finem.

Gre-

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſal. & Apoſt. bened.

RΕcolentes qualiter ſancta plantatio Fratrum Minorum Ordinis, ſub Beato Franciſco bonæ Memoriæ incepit, & mirabiliter profecit, per gratiam Jeſu Chriſti flores ſanctæ converſationis longè, latèque proferens, & odores; ita quod in deſerto hujus Mundi Sacræ Religionis honeſtas videatur procedere ab Ordine ſupradicto, dignum providimus, & conveniens, ut pro ipſius Patris reverentia, ſpecialis ædificetur Eccleſia, in qua ejus Corpus debeat conſervari. Cum igitur ad opus hujuſmodi ſubventio ſit fidelium opportuna, & expedire credimus ſaluti veſtræ, ſi exhibeatis vos in hoc devotionis filios, & manus auxilii porrigatis: univerſalitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, atque in remiſſionem vobis injungimus peccatorum; quatenus eidem operi de bonis à Deo vobis collatis pias eleemoſinas, & grata Charitatis ſubſidia erogetis, ut per ſubventionem veſtram tam pium opus valeat conſumari, & vos per hæc, & alia bona, quæ, Domino ſuggerente feceritis, ad æternæ poſſitis felicitatis bravium pervenire. Nos enim de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus eidem operi benefacientibus quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Romæ 3. Kal. Maii, Pont. noſtri anno ſecundo.

Pendet plumbum.

Bulla Conciſtorialis ex originali, quæ ſervatur in Sacrario Aſſiſien. in folio trium palmorum altitudinis.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum, ejuſquè Fratribus morantibus apud Eccleſiam B. Franciſci, in loco, qui dicitur Collis Paradiſi, tàm præſentibus, quàm futuris in perpetuum.

IS, qui Eccleſiam ſuam ſemper nova prole fœcundat, dignatus hæc moderna tempora prioribus conformare, B. Confeſſoris Franciſci ſpiritum in charitatis amore per inſpirantem gratiam excitavit, ut Apoſtolorum veſtigia imitatus, in paupertate, in qua plus Charitas proficit, relictis omnibus, ſolùm

ſolum ſequutus fuerit æternæ beatitudinis largitorem, & velut fidelis ſervus, & prudens laudabiliter operatus in talentis ei creditis, fructum in Eccleſia Dei attulit copioſum. Ab ipſo enim Ordinis veſtri ſancta plantatio, cooperante divina gratia, proceſſum habuit, & progreſſum: qua palmites honeſtatis longè, latèque producens, flores protulit, & odores effudit ad reſecanda nociva, & ſalubria inſerenda. Cum igitur apud Aſſiſium in fundo nobis, & Eccleſiæ Romanæ oblato, in loco, qui dicitur Collis Paradiſi, in ejuſdem Confeſſoris honore conſtruatur Eccleſia, in qua recondi debet tam pretioſus theſaurus, ſanctum videlicet corpus ipſius, qui in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, ut pro peccatis populorum fieret interceſſor: nos cum dignum ſit, & congruens, ut eadem Eccleſia prærogativa libertatis, & honoris gaudeat propter eum, quem in Cœlis Dominus exaltavit; pro ejus reverentia Eccleſiam ipſam ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Eccleſia ipſa nulli, niſi Romano Pontifici ſit ſubjecta, & veſtri Ordinis, cujus inſtitutor, & Pater extitit Confeſſor prædictus, *CAPUT* habeatur, & *MATER*, *ac in ea per Fratres ejuſdem Ordinis perpetuò ſerviatur*. Prohibemus inſuper ne quis audeat in eamdem Eccleſiam excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgare, quàm ſi proferre contigerit, tanquam contrà Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam decernimus non tenere. Pro conſecratione verò Altarium, ſive pro Oleo Sancto, vel quolibet alio Eccleſiaſtico Sacramento nullus ab eadem Eccleſia ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quidquam valeat extorquere, ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopus Diœceſanus impendat; alioquin liceat vobis, quemcumque malueritis Catholicum adire Antiſtitem, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habentem, qui noſtra fretus auctoritate vobis quod poſtulatur impendat. Quod ſi ſedes Diœceſani Epiſcopi fortè vacaverit, interim omnia Eccleſiaſtica Sacramenta à vicinis Epiſcopis accipere liberè, & abſque contradictione poſſitis, ſic tamen, ut hoc in poſterum proprio Epiſcopo nullum præjudicium generetur. Quia verò interdum eadem Eccleſia non habet loci Diœceſani copiam, ſi quem Epiſcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam, & communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos tranſire contigerit, ab eo benedictiones vaſorum, & veſtium, conſecrationes Altarium, ordinationes Fratrum Clericorum auctoritate Apoſtolicæ Sedis recipere valeatis. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce divina officia celebrare. Paci quoque, & tranquillitati veſtræ paterna in poſterum ſollicitudine providere volentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum veſtrorum nullus rapinam, ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. Ad indicium autem hujus libertatis, ab Apoſtolica Sede perceptæ, unius libræ ceræ cenſum nobis, & ſucceſſoribus noſtris annis ſingulis perſolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus bona auferre, nec ablata retinere, ſeu quomodolibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura: ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæculariſvè perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens, contrà eam temerè venire tentaverit,

B ſecun-

ſecundò, tertiovè commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſquè ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetua iniquitate cognoſcat, & à Sanctiſſimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum benedictionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmium æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Gregorius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Jo: Sabinen. Epiſcopus.
Ego Jacobus Tuſculanus Epiſcopus.

Ad dexteram ſimiliter cum propriis ſignis Cardinales Presbyteri ſubſcripti propriis characteribus leguntur, videlicet.

Ego Thomas tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis.
Ego Jo: tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis.
Ego Bartholomæus S. Pudentianæ Presbyter Card. & Paſtor.
Ego Gutfredus tit. S. . . Presbyter Cardinalis.
Ego Sigebaldus tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.
Ego Stephanus S. Mariæ Tranſtyberim Presbyter Cardinalis.

Ad ſiniſtram tandem, quiſque inter propria ſigna, ſubſcripti leguntur Cardinales Diaconi, ideſt

Ego Octavianus SS. Sergii, & Bacchi Diaconus Cardinalis.
Ego Rainerius S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis.
Ego Romanus S. Angeli Diaconus Cardinalis.
Ego Petrus S. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis.
Ego Rainaldus S. Euſtachii Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Datum Laterani per manum Martini Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii X. Kal. Maii Indict. 2. Incarnationis Dominicæ anno M.CCXXX. Pontificatus Domini Gregorii Papæ IX. anno quarto.

Habet pendulum ſignum plumbeum, ſerico laqueo obductum, referens ex una parte facies SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & ex alia inſcriptionem.

Gregorius PP. IX.

Signum Summi Pontificis, *Fac mecum Domine ſignum in bonum*.

Bulla

Bulla Canonizationis B. P. Franciſci, peractæ à Gregorio IX. Anno 1228, *quæ habetur in Regeſto Vaticano, num.* 31. *Et in Bullario Laertii Cherubini ſub eodem Papa. Tomo* 1. *Num.* 2. *Pag.* 98.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, &c.

MIra circa nos divinæ pietatis dignatio, & inæſtimabilis dilectio charitatis, qua filium pro ſervo tradidit redimendo, dona ſuæ miſerationis non deſerens, & vineam dextera ejus plantatam continua protectione conſervans, in illam, qui ſalubriter ipſam excolant, evellentes ſarculo, ac vomere, quo Samgar ſexcentos Philiſthæos percuſſit, ſpinas, & tribulos ex eadem, operarios etiam in undecima hora tranſmittit, ut ſuperfluitate palmitum reſecata, & vitulaminibus ſpuriis radices altas non dantibus, nec non ſentibus extirpatis, fructum ſuavem afferat, & jucundum, qui prælo patientiæ defœcatus, in æternitatis cellarium transferatur. Impietate profectò velut igne ſuccenſa, & frigeſcente charitate multorum, in ejuſdem maceriam diruendam, irruentibus Philiſtæis potione terrenæ cariem dentibus voluptatis.

§. 1. Ecce in hora undecima Dominus, qui cum diluvii aqua terram deleret, juſtum per lignum, contemptibilem gubernavit, ſuper ſortem juſtorum virgam peccantium non relinquens, excitavit ſervum ſuum Beatum Franciſcum, virum utique ſecundùm cor ſuum, apud cogitationes divitum lampadem quidem contemptam, ſed paratam ad tempus ſtatutum, illam in vineam ſuam mittens, ut ex ipſa ſpinas, & vépres evelleret, proſtratis illam impugnantibus Philiſtæis, illuminando patriam, & reconciliari Deo, exhortatione ſedula commonendo.

§. 2. Qui audita interiùs voce invitantis amici, impiger ſurgens, mundi vincula blandientis, quaſi alter Sampſon, gratia divina præventus dirupit, & ſpiritu fervoris concepto, aſinique arrepta mandibula, prædicatione ſiquidem ſimplici, nullis verborum perſuaſibilium humanæ ſapientiæ coloribus adornata, ſed tamen Dei virtute potenti, qui infirma mundi eligit, ut fortia quæcumque confundat, non tantum mille, ſed multa Philiſtinorum, eo, qui tangit montes, & fumigant, favente, proſtravit, & in ſpiritus ſervitutem redegit, carnis illecebris antea ſervientes. Quibus vitiis mortuis, & Deo viventibus, jam non ipſis, quorum pars peſſima periit, ex mandibula ipſa egreſſa copioſa eſt aqua, reficiens, abluens, & fœcundans lapſos, ſordidos, & arentes, quæ in vitam æternam ſaliens abſque argento, & commutatione aliqua poteſt emi, cujus rivuli longè, latèque diffuſi, vineam irrigant uſque ad mare palmites, & uſque ad flumen propagines extendentem.

§. 3. Hic denique Patris noſtri Abrahæ imitatus veſtigia, mente de terra, & cognatione ſua, necnon domo patris ejus egrediens, iturus in terram quam ſibi Dominus, divina inſpiratione monſtrarat, ut expeditiùs curreret

ad bravium vocationis cœleſtis, & per anguſtam portam poſſet faciliùs introire, ſarcinam terrenæ ſubſtantiæ depoſuit, ſe illi conformans, qui cum dives eſſet, pro nobis factus eſt pauper, eamque diſperſit, dedit pauperibus, ut ſic ejus juſtitia in ſæculum ſæculi permaneret. Et in terram viſionis accedens, ſuper unum ſibi montium demonſtratum, videlicet excellentiam fidei, carnem ſuam, quia filiam unigenitam, quæ ipſum interdum deceperat, cum Jepte Domino in holocauſtum obtulit, igne ſuppoſito charitatis, illam fame, ſiti, frigore, ac nuditate, vigiliis multis, & jejuniis macerando, qua cum vitiis, & concupiſcentiis crucifixa, dicere poterat cum Apoſtolo: Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Chriſtus: quoniam jam non ſibi vixerat, ſed Chriſto potiùs, qui pro peccatis noſtris mortuus eſt, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, ut nullatenus peccato ulteriùs ſerviamus. Vitia quoque ſupplantans, & contra mundum, carnem, & poteſtates aereas, luctamen aſſumens viriliter, uxore, villa, bobus, à cœna magna retrahentibus invitatos, penitùs abdicatis, cum Jacob Domino jubente ſurrexit, & gratia ſpiritus ſeptiformis accepta, octoque ſibi aſſiſtentibus Beatitudinibus Evangelicis, Bethel domum Dei, quam ſcipſum præparavit eiſdem per quindecim gradus virtutum, qui myſticè in pſalterio continentur, aſcendit. Et ibidem Altare cordis Domino conſtruens, aromata devotarum orationum obtulit ſuper eo, per manus Angelicas in conſpectu Domini deferenda, concivis Angelicus mox futurus.

§. 4. Ne verò ſibi ſoli proficeret in monte, tantummodo Rachel amplexibus inhærendo, contemplationi pulchræ quidem, ſed ſterili, ad Liæ interdictum deſcendit cubiculum, minaturus gregem gemellis fœtibus fœcundatum ad interiora deſerti, pro vitæ paſcuis perquirendis, ut illic ubi manna cœleſtis dulcedinis reficit, à ſæcularium ſtrepitu ſegregatos, cum lacrymarum effuſione ſemina ſua mittens, cum exultatione manipulos, ad æternitatis horrea reportaret, cum populi ſui principibus collocandus, corona juſtitiæ coronatus. Qui nimirum non quæ ſua ſunt quærens, ſed potius quæ ſunt Chriſti, & eidem velut apis argumentoſa deſerviens, nec non quaſi ſtella matutina in medio nebulę, ac quaſi Luna plena in diebus ſuis, & ſicut Sol in Eccleſia Dei fulgens, lampadem, & tubam in manus aſſumpſit, ut lucentium operum documentis humiles attraheret ad gratiam, & protervos à noxiis retraheret exceſſibus, dura increpatione terrendo. Ac ſic virtute charitatis afflatus, in caſtra Madianitarum, Eccleſiæ judicium declinantium, per contemptum, eo juvante, qui dum virginali utero clauderetur, mundum ſuo circuibat imperio univerſum, intrepidus irruit, & abſtulit arma, in quibus confidebat fortis armatus, atrium ſuum cuſtodiens, & diſtribuit ſpolia, quæ tenebat, ejuſque captivitatem captivam, reduxit in obſequium Jeſu Chriſti.

§. 5. Hoſte itaque triplici in terra poſitus ſuperato, Regno Cœlorum vim intulit, & illud rapuit violenter, & poſt hujus vitæ quamplura glorioſa certamina, mundum triumphans, fœliciter migravit ad Dominum, multos præveniens ſcientia præditos ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus.

§. 6. Sanè licet ejus vita tam ſancta, tam ſtrenua, & præclara ſibi ſufficeret, ad obtinendum conſortium Eccleſiæ triumphantis; quia tamen militans, quæ ſolummodo videt in facie, non præſumit de his, qui de ſuo foro non ſunt, auctoritate propria judicare, ut illos pro vita tantùm venerando aſſumat, præſertim quia nonnunquam Angelus Satanæ in lucis Angelum ſe transformat,

omni-

Digitized by Google

omnipotens, & miſericors Deus, de cujus munere venit, quod prædictus famulus Chriſti, dignè ſibi, & laudabiliter deſervivit, tantam lucernam, abſconditam ſub modio remanere non patiens, ſed eam volens ſuper candelabrum collocari, his, qui ſunt in domo, luminis ſolatium præbituram, vitam ejus ſibi fuiſſe acceptam, & ipſius memoriam eſſe à militanti Eccleſia venerandam, multis, & præclaris miraculis declaravit.

§. 7. Cùm igitur glorioſæ vitæ ipſius inſignia ex multa familiaritate, quam nobiſcum habuit in minori officio conſtitutis, plenè cognita nobis eſſent, & de miraculorum coruſcatione multiplici, per teſtes idoneos nobis facta fuerit plena fides, confidentes per Dei miſericordiam, nos, & gregem nobis commiſſum, ejus ſuffragiis adjuvari, & quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in Cœlis, habito Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, ipſum adſcribi decrevimus Sanctorum Catalogo venerandum.

§. 8. Statuentes, ut IV. Nonas Octobris, die videlicet, quo à carnis ergaſtulo abſolutus, ad æctherea Regna pervenit, ab univerſali Eccleſia, natalitia ejus devotè, ac ſolemniter celebrentur.

§. 9. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, per Apoſtolica vobis ſcripta mandanres, quatenus die prædicto in commemoratione ipſius, divinis laudibus alacriter inſiſtentes, ejuſdem patrocinia humiliter imploretis, ut ipſius intercedentibus meritis, ad ejus mereamini conſortium pervenire: illo præſtante, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Datum Peruſii XIV. Kal. Auguſti, Pont. noſtri anno ſecundo.

Diploma ejuſdem Summi Pontificis, pro Canonizatione ab ipſo facta Sancti Antonii Ulyſſiponenſis, ſeu Patavini, quod ſervatur in Sacrario Reliquiarum Aſſiſien. Baſilicæ.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Eccleſiarum Prælatis præſentem paginam inſpecturis ſal. & Apoſt. Bened.

CUm dicat Dominus per Prophetam, dabo vos cunctis populis in laudem, & gloriam, & honorem; & per ſe polliceatur, quod juſti, ſicut Sol in conſpectu Dei fulgebunt; pium, & juſtum eſt, ut quos Deus merito ſanctitatis coronat, & honorat in Cœlis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris; cum ipſe potiùs laudetur, & glorificetur in illis, qui eſt laudabilis, & glorioſus in ſæcula, & in ſanctis. Ut enim

ſuæ

ſuæ virtutis potentiam mirabiliter manifeſtet, & noſtræ ſalutis cauſam miſericorditer operetur, fideles ſuos, quos ſemper coronat in Cœlo, frequenter etiam honorat in ſæculo, ad eorum memorias ſigna faciens, & prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica, & fides Catholica confirmetur: fideles, mentis torpore diſcuſſo, ad boni operis excitentur inſtantiam, hæretici, depulſa, in qua jacent, cæcitatis caligine, ab invia reducantur ad viam, & Judæi, atquè Pagani, vero lumine cognito, currant ad Chriſtum, lucem, viam, veritatem, & vitam. Unde nos chariſſimi, & ſi non quantas debemus, quantas tamen poſſumus, gratias agimus gratiarum omnium largitori; quòd diebus noſtris, ad confirmationem Catholicæ Fidei, & ad confuſionem hæreticæ pravitatis, evidenter innovat ſigna, & mirabilia potenter immutat, faciens illos coruſcare miraculis, qui fidem Catholicam tàm corde, quàm ore, nec non & opere roborarunt. De quorum numero, Sanctæ Memoriæ B. Antonius de Ordine Fratrum Minorum, qui olim degens in ſęculo magnis pollebat meritis, nunc vivens in Cœlo, multis coruſcat miraculis, ut ejus ſanctitas certis inditiis comprobetur. Cùm enim dudum Venerabilis Frater noſter Epiſcopus, & dilecti filii, Poteſtas, & Commune Paduanorum nobis per nuncios ſuos, & literas humiliter ſupplicaſſent, ut cum Dominus eidem Sancto tantam contulerit gloriam, ut ad dandam ſcientiam primæ ſtolæ immortalitatis ipſius, & experimentum evidens de ſecunda, ſepulchrum ejus reret, & tantis daret coruſcare miraculis, quod ejus inter alios Sanctos non invocari ſuffragia eſt indignum: de ipſius miraculis teſtes recipi mandaremus: nos attendentes, quòd licet ad hoc, ut aliquis Sanctus ſit apud Deum in Eccleſia triumphante, ſola ſufficiat finalis perſeverantia, juxta illud, Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; ad hoc tamen, ut Sanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet, & miracula: ut hæc, & illa ſibi ad invicem conteſtentur, cum nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plenè ſufficiant, ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitati, ſed cum merita ſana præcedunt, & clara ſuccedunt miracula, certum præbent indicium Sanctitatis; ut nos ad ipſius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & ſignis ſubſequentibus exhibet venerandum; quæ duo ex verbis Evangeliſtæ pleniùs colliguntur: Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis: eidem Epiſcopo, & dilectis filiis, Fratri Jordano Sancti Benedicti, & I. Sancti Auguſtini Prioribus Ordinis Fratrum Prædicatorum Paduan. receptionem teſtium de miraculis ejuſdem Sancti duximus committendam. Nuper autem tam per relationem prædictorum Epiſcopi, & Priorum, quàm per depoſitiones teſtium ſuper hoc receptorum, de ipſius virtutibus, & miraculorum inſigniis certiores effecti, & experti aliquando per nos ipſos ſanctitatem vitæ, & admirabilem converſationem ipſius, utpotè qui apud nos fuit aliquandiù laudabiliter converſatus: eiſdem Epiſcopo, Poteſtate, & Commune prædictis, per ſolemnes nuncios ſuos, & literas, nobis cum inſtantia denuò ſupplicantibus, quòd eumdem Fratrem Sanctorum Catalogo adſcribere curaremus: ut auctoritate (ſicut convenit) Apoſtolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui, ſicut claris ſignis, & evidentibus argumentis apparet, honoratur in Cœlis: ipſum, qui corporaliter diſſolutus cum Chriſto eſſe meruit in cœleſtibus, ne illius honori, & debito, & gloriæ detrahere quodammodo videremur, ſi glorificatum à Domino permitteremus ulteriùs humana devotione privari: de Fratrum noſtrorum conſilio, & Prælatorum omnium tum apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium cata-

logo

logo Sanctorum duximus adſcribendum. Cum igitur ſecundum Evangelicam veritatem, nemo accendat lucernam, & ponat eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut omnes, qui in domo ſunt, lumen videant, & prædicti Sancti lucerna ſic arſerit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam, jam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum meruerit collocari: Univerſitatem veſtram rogamus, monemus attentiùs, & hortamur per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenùs devotionem fidelium ad venerationem ipſius ſalubriter excitantes, feſtivitatem ipſius Id. Junij annis ſingulis celebretis, & faciatis ſolemniter celebrari; ut ejuſdem precibus Dominus exoratus, gratiam in præſenti, & gloriam nobis tribuat in futuro. Nos autem cupientes ſepulchrum tanti Confeſſoris, qui miraculorum fulgoribus illuſtrat Eccleſiam generalem, congruis honoribus frequentari; omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, illud in feſtivitate ipſius uſque ad octavum diem annis ſingulis cum reverentia debita viſitantibus, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, annum unum de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Spoleti 9. Kal. Julij, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Pendet ſerico laqueo transfixum plumbeum ſignum.

Eidem Diplomati inſutum eſt pergamenum modicum, in quo leguntur Oratio, ſecreta, & Poſtcommunio Miſſæ ejuſdem Sancti, & videtur character ejuſdem ſcriptoris. Puto omnia prædicta à Summo Pontifice Gregorio IX. compoſita, & ad Fratres Aſſiſii degentes recitanda tranſmiſſa.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Peruſino, & Spoletano Epiſcopis, ſal. & Apoſt. Bened.

SPeravimus hactenus, ut Poteſtas, Conſilium, & Populus Aſſiſien. multiplicem gratiam, qua eos adhuc in minori officio conſtituti prævenimus, & ſumus continuò proſequuti, ſicut convenit, agnoſcentes, ſectarentur cognitam, reverenter noſtris beneplacitis omnimodis obſequendo, ut ſemper in gratiam creſcerent ampliorem. Sed, quod non ſine amaritudine referimus vehementi, ipſi gratis ingrati, nobis malum pro bono iniqua viciſſitudine rependentes, in eo nos acritèr provocarunt, in quo debuerant nobis ſummo ſtudio potiſſimè complacere. Cum enim Beatum Franciſcum glorificatum in Cœlis, clarificantes in terris aſcripſerimus catalogo Confeſſorum, & in honorem ejus Eccleſiam fundari volentes, de manibus noſtris lapide ibi primario poſito, ipſamque duxerimus eximendam, ut libertatis titulis decorata ſemper niteret celebris, & inſignis; ipſi non attendentes innumera bona, quæ Civitati eorum, quin etiam univerſis, & ſingulis exinde poterant provenire, omnia perturbarunt, omnia confuderunt, in animarum ſuarum periculum, famæ diſpendium, & jacturam etiam temporalem. Sciunt ſiquidem quod nos Sanctiſſimum Corpus Confeſſoris prædicti pio amore venerabiliter amplexantes, tranſlationem ejus dilectis filiis Generali Miniſtro, & quibuſdam aliis Fratribus Ordinis

dinis Minorum, viris religioſis, & timoratis, tanquam Vicariis noſtris, commiſimus confidenter, cum non niſi auctoritate Apoſtolicæ Sedis eſſet translatio facienda, ibique illam conceſſimus Indulgentiam, quæ limina Beatorum Petri, & Pauli viſitantibus concedi conſuevit: ſed ipſi veſano ſpiritu concitati, non attendentes quòd ſacra myſteria, non niſi à Sacris ſunt tractanda miniſtris, prædictum Corpus auſu ſacrilego rapientes in ſuperbia, & tumultu translationis myſterium damnabiliter prophanarunt, non paſſi à Fratribus prædicto Sancto venerationem debitam exhiberi. O quæ inſania ipſos taliter faſcinavit, ut Sacerdotale ſibi officium uſurpantes rem divinam, Deo contrectarent invito! Nonnè ſciunt quòd Oza inclinatæ Arcæ Domini manum apponens, à Domino percuſsus interiit, qui videbatur utcunquè veroſimiliter excuſandus, quia ne Arca caderet inclinata, manum appoſuit adjutricem? Nonnè audierunt, quòd Ozias ingreſſus templum Domini, quia ſuper Altare tymiamatis incenſum voluit adolere, percuſſus eſt lepra; ut perfectè detur intelligi, quòd contrectatio divinorum eſt Laicis penitùs interdicta? Nonne poſſunt ex ſimili culpa ſimiles pœnas formidare? Cœterùm ut ſciant quàm graviter nos, imò Dominum offenderunt, auctoritatem nobis in Sancto prædicto volentes adimere, nos prædictam Eccleſiam, quam exemimus, Epiſcopi, & Capituli Aſſiſiatis ſubjicimus ditioni, prohibentes, ut ibi de cœtero nullatenus Generale Capitulum celebretur, nec aliqui de Fratribus commorentur, & locum ſupponimus Eccleſiaſtico interdicto, donec nobis de tanta injuria ſatisfiat. Ne verò contra eos ſeveriùs procedere compellamur, univerſitati eorum noſtris damus literis firmiter in præceptis, ut infrà quindecim dies poſt ſuſceptionem earum, viros idoneos univerſitatis nomine ad noſtam præſentiam deſtinare procurent, paratos ſatisfactionem plenariam exhibere, ac de ſtando mandatis noſtris præſtare ſufficientes cautiones. Quocirca Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi Poteſtas, Conſilium, & populus prædicti præceptum noſtrum neglexerint adimplere, vos in Poteſtatem, & Conſilium excommunicationis, & in terram interdicti ſententias, appellatione poſtpoſita, promulgantes, faciatis eas uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Dat. Lat. 16. Kal. Julii, Pont. noſtri anno quarto.

Generalis, de quo loquitur Gregorius erat F. Helias, qui vocatur ab eo Miniſter, & tamen ſcriptores aliqui dicunt non fuiſse tunc Miniſtrum, ſed Vicarium. At Pontifici ſtandum potiùs, quàm ipſis.

Adſunt ejuſdem Pontificis literæ Apoſtolicæ pro veritate Sacrorum Stygmatum, quam temerè impugnabant Epiſcopus Olomucenſis, & Prædicatores quidam in Moravia. Incipiunt.

Gregorius, &c. Ad perpetuam rei memoriam. Venerabili Fratri Epiſcopo Olomucenſi ſal. &c. Uſque ad terminos Orbis terræ præſumptionis tuæ ſigna protendens, &c. Quibus Apoſtolica auctoritate, fervidoque zelo in eumdem invehit, &c. Dat. Viterbii 2. Kal. Aprilis, Pont. anno XI.

Aliæ, Univerſis Chriſtifidelibus, &c. Confeſſor Domini glorioſus B. Franciſcus, &c. Dat. Viterbii, Nonis Aprilis, Pont. anno XI.

Et aliæ Prioribus, & Provincialibus Ordinis Fratrum Prædicatorum. Non minùs dolentes accepimus, quàm mirantes, &c. Dat. 2. Kal. Aprilis, Pontific. anno XI.

Has, & alias ad eamdem materiam ſpectantes retuli ad literam lib. 1. tit. 46.

Grego-

Digitized by Google

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Fratri Heliæ Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro, & cæteris Provincialibus Miniſtris ejuſdem Ordinis ad Generale Capitulum congregatis, ſal. & Ap. ben.

PEr mare magnum, & manibus ſpatioſum, inter innumera perverſitatum reptilia navigantes, tot adverſis ventorum flatibus hodie quatimur, tot fluctuum turbulentiæ elationibus deterremur, quòd Jeſum iis excitare compellimur, & pulſare clamoribus, Domine, niſi feſtinaveris nos ſalvare, perimus. Confidimus enim, quod is, qui non dormit, ſed quaſi dormiens prorogata miſericordia propter culpas, anxietates, quas patimur, quodammodo non intendit, nequaquam ſupplicatione indignatur, cum nos monitis, & exemplis inſtruat, ut rogetur. Vobis ergo, qui ſpretis campeſtris terræ delitiis, illum montem per ducatum ſpiritus aſcendiſtis, qui prophetico ſemper ſarculo foditur, ut nec terror veprium, & ſpinarum, nec auditionis malæ ſententia timeatur; qui dominicis pedibus primæ contritionis unguento perfuſis, & pro beneficiorum ſuſceptione manibus oſculatis, ad unctionem capitis per laudis ſacrificium perveniſtis: & eò ad impetrandum potentiores facti eſſe credimini, quò familiariùs eſtis Domini potentias introgreſſi, fiducialiter id clamoris genus injungimus; & tam generale totius Eccleſiæ Sacroſanctæ, quam præſulatus noſtri ſpeciale negotium commendamus inſtantiùs oraturis; & Dominus Jeſus Chriſtus, quem conſtat non diſſentionis Deum eſſe, ſed pacis, & à forinſecis inſidiis nos defendat, & cuſtodiat ab internis; citò ſub pedibus noſtris adverſarium conterat, & ſpiritum Paraclitum non ſubducat. Ad hæc unicam petitionem univerſitati veſtræ porrigimus, ut bonæ memoriæ A. Magdeburgen. Archiepiſcopo, qui nuper obiens in literis ad nos miſſis, ſupremæ petitionis elogium, velut ultimæ voluntatis indidit teſtamentum, pro Chriſtianis exequiis, tale devotionis obſequium impendatis, ut pro animæ ſuæ remedio, in toto Ordine Miſſam unam ſacerdotum ſinguli celebrent, & quilibet fratres aliorum graduum ſeptem pſalmos pœnitentiæ cum Letania, & fratres laici ſepties Dominicam orationem decantent. Datum Laterani 2. nonas Julii Pontif. noſtri anno 7.

Plumbea Bulla per cordulam pendet.

Scriptores aliqui aſſerunt hoc anno non fuiſſe Generalem Heliam, ſed Jo: Parentem, uſque ad annum 1236. At Pontificis aſſertum eos erroris, vel mendacii convincit. Jo: enim non ſex, ſed tribus annis Præfecturam tenuit, cui Helias, qui eum præceſſerat in ſupremo Miniſterio, etiam ſucceſſit.

Sequentes literæ miſsæ ab Innocentio Pontifice, antequàm coronaretur, ſunt in plicaturis obroſæ.

Innocentius Electus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Cuſtodi, Guardian. & Fratribus Minoribus de Aſſiſio ad rerum noſtrarum cuſtodiam deputatis. ſal. & Ap. ben.

DIſcretioni veſtræ præſentium tenore mandamus, quatenus res noſtras, & Romanæ Eccleſiæ apud vos depoſitas dilecto filio Joanni familiari noſtro, earumdem latori, quem ad ipſas recipiendas à vobis, & nobis deferendas fideliter deſtinamus, præſentibus aſſignari euretis . . . . & cujuslibet difficultatis obſtaculo expeditas. Nec miremini quod Bulla non habeat . . . . nomen noſtrum, ... ante benedictionis, & coronationis noſtræ ſolemnia tranſmittuntur, quia ſ . . . . erunt hactenus in Romanos Pontifices electi conſueverunt, in bullando literas ante ſuæ benedictionis, & coronationis diem . . . odum hujuſmodi obſervare. Datum Viterbii 7. Id. Februarii, ſuſcepti à nobis . . . . atus officii anno primo.

Pendet Bulla plumbea referens Apoſtolorum Petri, & Pauli vultus ex una, & ex alia plana ſine ulla Inſcriptione.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Miniſtro, & Fratribus S. Franciſci Aſſiſien. Ordinis Fratrum Minorum, ſal. & Apoſt. bened.

LIcèt is, de cujus munere venit, ut ſibi à fidelibus ſuis dignè, ac laudabiliter ſerviatur, ex abundantia pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit, & vota, bene ſervientibus multò majora tribuat, quàm valeant promereri: nihilominus tamen deſiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Chriſto, ad complacendum ei, quaſi quibuſdam illectivis muneribus, indulgentiis ſcilicet, & remiſſionibus invitamus; ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur, ut Eccleſia veſtra, quæ in Beati Franciſci, cujus in ea glorioſum corpus requieſcit, honorificentia eſt conſtructa, congruis honoribus frequentetur, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in ejuſdem Sancti feſtivitate, ac uſque ad quindecim dies eamdem immediatè ſequentes annis ſingulis devotè, ac venerabiliter viſitaverint de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, annum unum, & quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Dat. Peruſii, Id. Februarii, Pont. noſtri anno nono.

Pendet Plumbea Bulla cum Inſcriptione, Innocentius PP. IV.

Inno-

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus, præſentes literas inſpecturis, ſal. & Apoſt. bened.

SI populus Iſraeliticus, qui ſub legis umbra vivebat, frequenter accedens oraturus ad locum, quem elegit Dominus, ut ibi poneret nomen ſuum, vota, & donaria plurima offerebat; tanto fortiùs populus Chriſtianus, cui apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris, tenetur loca, in quibus Chriſtus ad abolendam noſtrorum criminum corruptelam immortaliter, & incorruptibiliter vivens quotidie immolatur, devotis obſequiis viſitare, ac ibidem offerre munera cum animi puritate, quanto certiora ſunt experimenta rerum, quàm ænigmata figurarum. Cupientes igitur ut Eccleſia in honorem Beatiſſimi Confeſſoris Chriſti Franciſci Aſſiſiat. conſtructa, in qua pretioſum Corpus ipſius multis coruſcans miraculis requieſcit, & quam nos ipſi ad honorem Dei, & Confeſſoris ejuſdem duximus dedicandam, congruis honoribus frequentetur: univerſitatem veſtram monemus, & hortamur in Domino, ac in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus ad Eccleſiam ipſam imploraturi à Domino veſtrorum veniam delictorum in devotione, ac humilitate ſpiritus accedentes, digna ibidem vota, & munera pro delictorum veſtrorum remediis offeratis. Nos enim de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui eamdem Eccleſiam in Anniverſario Dedicationis ipſius, & in quindecim diebus ſequentibus annis ſingulis venerabiliter viſitarint, & ibidem manum porrexerint pietatis, duos annos, & octoginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Aſſiſii 3. Id. Junii, Pont. noſtri anno Decimo.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac aliis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſal. & Apoſt. bened.

CUm tanquam veri, & fideles Chriſti miniſtri elegeritis vobis in domo Domini manſiones; dignum eſſe credimus, ut habitacula veſtra inter alias honorabiles Congregationes fidelium ſtatuamus. Hinc eſt igitur, quòd veſtris ſupplicationibus inclinati præſentium auctoritate decernimus, ut Eccleſiæ veſtræ omnes, ubi Conventus exiſtunt, Conventuales, vocentur: concedentes vobis nihilominus, ut in ipſis Eccleſiis ad opus Fratrum, & converſorum veſtrorum habere liberè cimiteria valeatis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ Conſtitutionis, & conceſſionis infringere &c. Si quis autem, &c. Dat. Peruſii, 12. Kal. Sept. Pontif. noſtri anno 10.

Subeſt Plumbea pendens Bulla. Innocentius PP. IV.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Aſſiſiat. ſal. & Apoſt. bened.

VEſtræ meritis Religionis inducimur, ut vos proſequamur gratia, quæ veſtris eſſe dignoſcitur neceſſitatibus opportuna. Hinc eſt, quòd nos paupertati, quam propter Chriſtum voluntariè ſuſtinetis, paterno compatientes affectu, ut de uſuris, rapinis, & aliis malè aquiſitis, dummodo ij, quibus ipſorum reſtitutio fieri debet, nequeant invenire, nec non de quibuslibet legatis indiſtinctè in pios uſus relictis, redemptione votorum, Jeroſolymitan. dumtaxat excepto, uſque ad quingentas libras recipere valeatis, vobis auctoritate præſentium concedimus facultatem; ſi pro ſimilium receptione aliàs non ſitis à nobis hujuſmodi gratiam conſequuti. Ita quòd voventes ad exequutionem votorum hujuſmodi, & alii ad reſtitutionem aliam faciendam per ea, quæ vobis contulerint, minimè teneantur, ſed ad reſtituendum reſiduum aquiſitorum, remaneant nihilominùs obligati. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel &c. Si quis autem &c. Datum Later. 6. Id. Februarii, Pontificatus noſtri anno Undecimo.

Bulla Plumbea. Innocentius PP. IV.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilecto filio Fratri Philippo de Campello Ordinis Minorum Magiſtro, & Præpoſito operis Eccleſiæ Sancti Franciſci Aſſiſiat. ſal. & Apoſt. bened.

DEcet, & expedit honorificas illis ædificare Baſilicas, qui ſuis glorioſis meritis præcelſum aulæ cœleſtis habitaculum ſunt adepti, ut qui digni habiti ſunt honore in regione ſuperna perpetuò ſublimari, omnimoda in terris devotione à Chriſti fidelibus meritò venerentur; fiantque ſibi ab illis Eccleſiæ celebres, in quibus convenienter adoretur Omnipotens, & eorum memoria ſolemniter percolatur; ut dum ſic decor domus Dei diligitur, & tabernaculum ſtudioſè componitur ſuæ laudis, ejus propitiatio Sanctorum ipſorum interceſſionibus faciliùs, & uberiùs impetretur. Hinc eſt, quòd cum venerabilis Eccleſia S. Franciſci Aſſiſiat. nondum ſit decenti, prout convenit, opere conſumata, Nos cupientes, ob reverentiam Sancti ejuſdem ſeduli apud Deum pro populo Chriſtiano Patroni, dictam Eccleſiam, & nobili compleri ſtructura, & inſignis præeminentia operis decorari; ut oblationes in pecunia, tu, & alii,

qui

qui Præpoſiti operis ejuſdem Eccleſiæ pro tempore fuerint, ad Altaria ipſius Eccleſiæ, ac alias etiam pro eodem opere recipere valeatis, in idem opus totaliter, & fideliter expendendas, prout Ven. Frater noſter Oſtien. & Velletren. Epiſcopus, vel alius Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui Ordinis Fratrum Minorum Protector extiterit, ordinandum, vel diſponendum duxerit. contrariis ejuſdem Ordinis ſtatutis, & inhibitionibus Generalis, ſeu Provincialis Miniſtrorum, aut Cuſtodis, vel Guardiani loci, ſeu aliorum Fratrum ipſius Ordinis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Præſentibus poſt vigeſimum quintum annum minimè valituris. Datum Aſſiſii, 6. Id. Julii, Pontificatus noſtri anno Undecimo.

Plumbeum ſignum &c.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Fratribus Minoribus Eccleſiæ Beati Franciſci de Aſſiſio, ſal. & Apoſt. bened.

Dignum exiſtimamus, & congruum, quòd loca ſacra, & religione conſpicua, ſicut devotione coluntur fidelium, ſic ſpecialibus honorentur gratiis, & inſigniis decentibus decorentur, ut ex iis ſalutares Catholicæ plebis affectus ad ipſorum venerationem locorum vehementiùs inardeſcant; & ſicut ipſa devotio habita circa illa eſt ad impendendam eis honorabilem gratiam inductiva, ſic & exhibita ipſis gratia ſingularis ſit allectiva fidelium ad exhibendam illis reverentiam ampliorem. Hinc eſt, quòd cum Eccleſia veſtra B. Franciſci de Aſſiſio ſpecialis quidem Apoſtolicæ ſedis, & ad eam nullo pertinens mediante, inter cœteras Regulares venerabilis habeatur, & ad eam pro ipſius pretioſi Confeſſoris honore, cujus corpus requieſcit ibidem, Chriſtiani populi undique confluat multitudo; Nos ob hoc ipſam, quam amore præcipuo proſequimur, & favore, volentes præ aliis Ordinis Fratrum Minorum Eccleſiis privilegiis, & gratiis inſignire, ut eadem Eccleſia Libros, Calices, Thuribula, Cruces, Bacilia ſive de auro, ſive de argento, Tunicas, Dalmaticas, Planetas, & Cappas, ſeu pluvialia, & quæque indumenta, & paramenta tàm ſerica, quàm alia, ſive ad Altarium, & Perſonarum, ſive ad alium ipſius Eccleſiæ ornatum; Campanas quoque magnas, & parvas, & cœtera ornamenta, & vaſa Eccleſiaſtica liberè, ac ſpecialiter habere valeat, auctoritate Apoſtolica indulgemus; diſtrictiùs inhibentes, ne Generalis, vel Provincialis Miniſter, ſeu Cuſtos, aut Guardianus, qui pro tempore fuerint, vel quivis frater, ſeu Capitulum Generale, vel Provinciale, aut particulare ipſius Ordinis, ſeu quælibet alia Perſona Eccleſiaſtica, vel ſæcularis ea, quæ ipſa Eccleſia de prædictis nunc habet, vel habebit in poſterum, & quæ pro iis dabuntur, vel offerentur eidem, ſibi auferre, vel exinde amovere, aut alibi transferre, ſeu pignori obligare, vel quoquo modo diſtrahere, aut quomodolibet alienare præſumat, abſque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, & decernentes,

nentes, ſi ſecus præſumptum fuerit, irritum, & inane. Non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, vel Conſtitutionibus contrariis ipſius Ordinis, Confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, inhibitionis, & conſtitutionis infringere, vel, &c. Si quis autem, &c. Datum Aſſiſii, 17. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno Undecimo.

Subeſt Plumbea Bulla. Innocentius PP. IV.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Miniſtro, & Fratribus S. Franciſci Aſſiſien. de Ordine Fratrum Minorum, ſal. & Apoſt. bened.

Conſecrationes altarium, in quibus Chriſtus mirabiliter vivens ad noſtrorum abolendam criminum corruptelam in miniſterio immolatur Altaris, Chriſtianus populus cum puritate animi venerari tenetur, dedicando membra ſua Domino, ſervitura juſtitiæ in ſanctificatione, quæ prius iniquitati, & immunditiæ ſerviebant; ut ſic quæ per Chriſti miniſtros in Eccleſiis exhibentur viſibiliter, myſticè in templo fidelis animæ peragantur. Cupientes itaque, quòd Eccleſia veſtra, quæ per nos ad honorem Dei, & Beati Franciſci Confeſſoris in prima Dominica ante feſtum Aſcenſionis Domini extitit dedicata, congruis honoribus à Chriſti fidelibus frequentetur, & frequentantes pro tali ſolemnitate, quam peragunt, ſpirituali munere gratulentur: de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad Eccleſiam ipſam in anniverſario die dedicationis ipſius, videlicet à prædicta Dominica, & uſque ad ſubſequentes Octavas Pentecoſtes illi proximas cauſa devotionis acceſſerint, annuatim duos annos, ac octoginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Anagniæ, 7. Id. Auguſti, Pontificatus noſtri anno duodecimo,

Pendulum plumbum cum inſcrip. Innocentius PP. IV.

Ale-

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Chariſſimæ in Chriſto filiæ Comitiſſæ de Ardeth, & filiis ſuis Patavien. Diœc. ſal. & Apoſt. bened.

AD illa potiſſimè debetis prompti eſſe, ac faciles, ex quibus præconium humanæ laudis vobis acquiritur, & cultui divino vacantium juſtum deſiderium adimpletur. Sanè dilecti filii Cuſtos, & Fratres Sancti Franciſci Aſſiſiat. Ordinis Fratrum Minorum nobis exponere curaverunt; quòd cum Chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Venceslaus Boemiæ illuſtris quamdam ſummam marcarum auri, in ſubſidium operis Eccleſiæ S. Franciſci pietatis intuitu tranſmitteret, nuntii ſummam deferentes eamdem, propter viarum pericula, cuſtodiæ quondam Comitis de Ardeth viri tui, filia Comitiſſa, ipſam fiducialiter commiſerunt. Et licèt idem Comes partem dictarum marcarum reſtituerit Fratribus memoratis, eo tamen poſtmodum viam univerſæ carnis ingreſſo, vos de reſiduo, ſcilicet quinque marcis auri eis pro veſtræ voluntatis libito denegatis ſatisfacere; quamquam præfatus Comes de hoc ſibi per manus tuas, dicta Comitiſſa, ſatisfieri mandavit in ultima voluntate. Quia verò dictarum marcarum detentio eſſe non poteſt ſine nota infamiæ, animarum periculo, & prædicti operis præjudicio manifeſto; Nobilitatem veſtram attentè rogandam duximus, & monendam, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus de dictis quinque marcis nuntiis ipſorum Cuſtodis, & fratrum ſine qualibet difficultate, ſeu dilatione ſatisfacere affectu benigno curetis. Ita quòd ſuper hoc non literas adjicere, ſed veſtram ſinceritatem poſſimus exinde dignis in Domino laudibus commendare. Dat. Neapoli 14. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo.

Pendet plumbum funiculo transfixum, habetque impreſſas Apoſt. P. & P. facies ex una, & ex alia parte inſcriptionem, Alexander PP. IV.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis, Guardiano Sancti Franciſci, vel ejus Vicario Aſſiſiat. Ordinis Minorum. ſal. & Apoſt. Bened.

CUm felicis recordationis Innocentius PP. prædeceſſor noſter libros, & quædam alia per dilectum filium Fratrem Laurentium nunc electum Antibarent; in Sacriſtia Eccleſiæ S. Franciſci fecerit commendari; devotioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus libros, & bona ipſa Petro ſervienti noſtro latori præſentium facias aſſignari: quæ autem aſſignaveris

ris ei, nobis tuis literis intimare procures. Datum Anagniæ 8. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno primo.

Subeſt Bulla plumbea per cordulam tracta. Alexander PP. IV.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſal. & Apoſt. bened.

AD veneranda Sanctorum merita glorioſa fideles Chriſti eò libentiùs invitamus, quò id ad eorum ſalutem novimus ſpecialiùs pertinere. Cùm igitur ſicut Venerabilis frater noſter Epiſcopus, & dilecti filii Capitulum Cracovien. nobis ſignificare curarunt, ipſi ad honorem B. Stanislai Martyris in Eccleſia S. Franciſci Aſſiſiat. in qua per felicis recordationis Innocentium PP. prædeceſſorem noſtrum, nobis tunc in minori conſtitutis officio præſentibus, idem Martyr Sanctorum cathalogo eſt adſcriptus, altare conſtrui fecerint, & illuc tranſmiſerint de ipſius reliquiis, ut ibidem à Chriſti fidelibus honoretur; omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui eamdem Eccleſiam in feſto ipſius Martyris, & infra Octavas ejuſdem annuatim venerabiliter viſitaverint, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, centum dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Laterani, 7. Kal. Februarii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Subeſt, tranſvexo ſerico flavo, rubeoque funiculo, plumbum.

Alexander PP. IV.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilecto filio Cuſtodi Fratrum de Ordine Minorum Eccleſiæ Sancti Franciſci Aſſiſiat. ſal. & Apoſt. bened.

PRo reverentia Beati Franciſci Confeſſoris, ad quem devotionis affectum gerimus ſpecialem, tuis votis libenter annuimus, quæ pietati conformia, & animarum profectui eſſe percipimus opportuna. Hinc eſt, quòd nos tuis, & dilectorum filiorum Fratrum Eccleſiæ ipſius Sancti de Aſſiſio ſupplicationibus annuentes, diſcretioni tuæ præſentium auctoritate concedimus, ut illis, qui cauſa devotionis ad eamdem Eccleſiam accedentes, aliquid in executione votorum emiſſorum ſuper viſitatione ipſius Eccleſiæ omiſerint, cum ab eis humiliter fueris requiſitus, ſalutarem pœnitentiam ſuper hoc poſſis injungere, prout ſecundùm Deum videris expedire. Datum Viterbii 2. Non. Maii, Pont. noſtri anno quarto.

Subeſt per cordulam plumbeum ſignum.

Ale-

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilecto filio Cuſtodi Fratrum de Ordine Minorum Eccleſiæ Sancti Franciſci Aſſiſiat. ſal. & Apoſt. bened.

PRo reverentia B. Franciſci Confeſſoris, ad quem devotionis affectum gerimus ſpecialem, tuis votis ſuper iis libenter annuimus, quæ pietati conformia, & animarum profectui eſſe percipimus opportuna. Hinc eſt, quòd nos tuis, & dilectorum filiorum Fratrum Eccleſiæ ipſius Sancti de Aſſiſio ſupplicationibus annuentes, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut eorum omnium, qui de remotis partibus ad Eccleſiam ipſam cauſa devotionis acceſſerint, & ſuorum nequiverint habere copiam Sacerdotum, cum ab ipſis requiſitus fueris, tu, & fratres presbyteri tui Ordinis, tam in ipſo loco morantes, quàm etiam venientes undecunque ad ſolemnitatem prædictam, quibus id duxeris committendum, eorum omnium confeſſiones audire valeatis, & ſibi pro commiſſis injungere pœnitentiam ſalutarem; niſi fortè talia commiſerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit meritò conſulenda. Datum Viterbii, 6. Kal. Octobris Pontificatus noſtri anno quarto.

Bulla. Alexander PP. IV.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Nobilibus viris Poteſtati, & Capitaneo Januen. ſal. & Apoſt. bened.

IN iis, quæ ſunt digna fieri, & conformia rationi, ſinceritatem veſtram promptam invenire credimus, ſi ad hoc eam noſtris literis inducamus. Sanè pro parte dilectorum filiorum Cuſtodis, & Fratrum Sancti Franciſci Aſſiſiat. Ordinis Fratrum Minorum fuit propoſitum coram nobis, quòd nonnulli Chriſti fideles de Marrochio quandam pecuniæ ſummam in ſubſidium operis Eccleſiæ ipſius S. Franciſci miſerunt intuitu pietatis, ac cum Nuntii eamdem pecuniam deferentes, illam propter viarum pericula, cuſtodiæ Nicolai Calvi, & Joannis de Moniardino Civium Januen. fiducialiter commiſiſſent, iidem Cives eam ſibi in Civitate Januen. reſtituere promiſerunt. Et licèt nos poſtmodum eis, ſuper hoc petentibus diffugia, & promiſſionem ſuam in hac parte non curantibus adimplere, per literas noſtras preces direxerimus, & mandatum, ut de prædicta pecunia Nuntiis ipſorum Cuſtodis, & Fratrum ſatisfacere ſine qualibet difficultate, ſeu dilatione curarent; quia tamen hujuſmodi noſtris precibus, & mandato penitus obauditis id efficere non curarunt, pro parte dictorum Cuſtodis, & Fra-

trum ad nos denuò habitus eſt recurſus. Ne igitur ipſi per verba inania ſuper hoc diutiùs deducantur: Venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Januen. noſtris damus literis diſtrictè in præceptis, ut dictos Cives moneat attentiùs, & inducat, quòd infra quindecim dies poſt monitionem ſuam Nuntiis dictorum Cuſtodis, & Fratrum de pecunia ipſa integrè ſatisfacere non omittant. Quòd ſi fortè ipſi monitis ipſius Archiepiſcopi acquieſcere in hac parte neglexerint; ipſe eos ad id per excommunicationis ſententiam, appellatione remota, compellat: faciens eamdem ſententiam ſingulis diebus Dominicis, vel feſtivis pulſatis Campanis, & candelis accenſis, per omnes Eccleſias prædictæ Civitatis, uſque ad ſatisfactionem condignam, publicari ſolemniter, ac eoſdem Cives ab omnibus arctiùs evitari. Invocato contra eos, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Quocirca Nobilitatem veſtram rogamus, & hortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus eidem Archiepiſcopo, cum ab eo requiſiti fueritis, ſuper hoc opportunum favorem, & auxilium impendatis; & ſi fortè protervia eorum civium exigat, vos eos ad ſatisfaciendum præfatis Nuntiis de pecunia ipſa, poteſtate vobis tradita, compellatis. Ità quòd eiſdem Nuntiis vos ſibi ſuper hoc propoſitos reperiſſe gaudentibus, nos vobis exindè ſpeciales gratias referemus. Datum Later. Id. Decemb. Pont. noſtri anno ſexto.

Signum Plumbeum ex cordula. Alexander PP. IV.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Peruſien. Aſſiſiat. Caſtellan. Eugubin. Tudertin. Amelien. Narnien. Interamnen. Spolet. Fulginat. & Nucerin. Civitatum, & Diœc. Poteſtatibus, & Communitatibus, ſal. & Apoſt. bened.

CUm dilectos filios Jacobum Samuelis, & Venturam Judicis Cives Aſſiſiat. in omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, ac ſeſe moventibus Eccleſiæ Romanæ dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum de Conventibus Civitatum, & Diœc. veſtrarum contemplatione collatis, & in poſterum conferendis, & omnibus bonis, quæ ipſi Eccleſiæ ex inſtitutione dicti Ordinis provenerunt, & provenient in futurum procuratores, negotiorum geſtores, Syndicos conſtituerimus, & actores; Univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus prædictos Cives, & ſubſtituendos ab eis, ac alios procuratores, quos aliàs ſuper hoc conſtituimus, habentes ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram propenſiùs commendatos, ipſis circa exequutionem commiſſi ſibi officii impendatis conſilium, auxilium, & favorem: nec permittatis eos, quantùm in vobis fuerit, ab aliquibus indebitè moleſtari. Preces autem, & mandatum noſtrum taliter adimplere curetis, quod Cives, & alii prædicti veſtro fulti præſidio in eodem officio valeant proſperari, noſquè

que devotionem veſtram exinde meritò commendemus. Datum Anagniæ 13. Kal. Octobris Pontif. noſtri anno quinto.
Plumbum ſubeſt. Alexander PP. IV.

Extant hujus Summi Pontificis Alexandri IV. plurima diplomata Originalia diverſis directa Provincialibus, & Fratribus Minoribus, quibus committit Sanctæ Inquiſitionis munus in variis Italiæ Provinciis; & ſæpius Provinciam Umbriæ vocat Ditionem Sancti Franciſci. Ex quibus aliqua præcipua ſunt directa Fratri Andreæ de Aſſiſio, qui fuit Sacræ Theologiæ Doctor inſignis.

In ſacrario aſſervantur literæ Apoſtolicæ Originales ejuſdem f. m. Alexandri IV. Seraphico viro Bonaventuræ tunc Generali Miniſtro directæ, quæ idcircò inter alias, quas Seraphicus Pater ab Honorio III. acceperat, ibidem ſervantur, quia eas Sanctus Doctor ſecum deferre conſueverat, & huic Conventui tanquam Religionis totius Capiti tandem retinendas conſignavit. Placet eas referre ad literam.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilecto filio Fratri Bonaventuræ Generali Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum, ſal. & Ap. ben.

UT miniſterium tibi commiſſum ad Dei gloriam, & proſperum tui Ordinis ſtatum liberè, & efficaciter valeas exercere, nullusque Fratrum ejuſdem Ordinis prætextu alicujus licentiæ poſſit mandatum obedientiæ regularis, aut ipſius Ordinis ſubterfugere diſciplinam, univerſis, & ſingulis Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, cœteriſque Fratribus præfati Ordinis tenore præſentium, in virtute obedientiæ diſtrictiùs inhibemus, ne ipſorum aliquis privilegiis, indulgentiis, literis, mandatis, vel licentiis quibuſcumque pro ipſis, vel ipſorum aliquo, ſeu aliquibus, ſub quacumque forma verborum ab Apoſtolica Sede obtentis, uti quoquo modo præſumat abſque tuo mandato, & licentia ſpeciali. Nos enim omnem pœnam, quam hujuſmodi noſtræ inhibitionis traſgreſſoribus ritè duxeris infligendam, ratam habebimus, & obſervari, auctore Deo, inviolabiliter faciemus. Si verò ipſorum aliqui electiones, ſeu poſtulationes, aut proviſiones, quas deinceps celebrari de ipſis in Eccleſiis Cathedralibus, aut fieri contigerit, abſque tuo arbitrio acceptare, ſeu illis conſentire præſumpſerint, nos omnem proceſſum, qui de ipſis, & pro ipſis in hac parte habitus fuerit, irritum decernimus, & inanem; nolentes, ut eis quidquam juris per electiones, poſtulationes, vel proviſiones hujuſmodi, eorumque acceptationes, & conſenſus quomodolibet acquiratur. Ad hæc ut eò efficaciùs commiſſum tibi officium exequi valeas, quò majori per nos fueris auctoritate munitus, illam tibi poteſtatem circa abſolutionem Fratrum ejuſdem Ordinis ab excommunicationum ſententiis, & diſpenſationem ſuper eorum irregularitatibus, præſentium tenore, concedimus, quam noſtri Pœnitentiarii habere ab Apoſtolica Sede noſcuntur. Cœterùm quia pro certo tenemus, quòd data ſit tibi cœlitus gratia regendi ſalubriter populum ſanctum Dei, ac ejuſdem gubernacula Ordinis proſperè dirigendi, nobis

Digitized by Google

bis de te fiducia magna probetur, quòd dictus Ordo te illi præſidente continuatis concreſcet augmentis, ejuſque ſtatus, auctore Domino, grata ſuſcipiet per tuum miniſterium incrementa virtutum. Ideòque diſcretionem tuam monemus, rogamus, & hortamur attentè, ac per Apoſtolica tibi ſcripta mandamus, in remiſſionem tibi peccaminum nihilominus injungentes, quatenus ſic te cultorem Religionis exhibeas, & vindicem vitiorum, quòd eodem Ordine tuæ doctrinæ rore completo, tuaque ſalubri diſpoſitione compoſito, creſcat exinde meritis apud Deum, penes nos gratia, & apud homines clara fama. Nos enim, qui ejuſdem profectum, & augmentum Ordinis toto cordis zelamur affectu, tibi in omnibus, quæ tuum contingunt officium, firmiter Apoſtolico favore adeſſe proponimus, ac ut idem Ordo ſub tuo regimine titulis refulgeſcat inſignibus, omnem, quam poterimus, intendimus opem, & operam adhibere. Datum Viterbii 12. Kal. Novembr. Pontif. noſtri anno tertio.

Pendet Plumbeum ſignum tam bene ſervatum, ut nuper videatur impreſſum. Alexander PP. IV.

Clemens IV. creàtus Peruſii nonis Februarii 1265. antea Guido Groſſus vocatus nobilis Gallus Narbonen. è vico S. Ægidii; Minorum Ordinem, ob Seraphici Patris merita, multis cumulavit privilegiis; ſingulariter autem hanc Eccleſiam, ut liquet ex ejus Apoſtolicis literis, quas ad verbum damus. Præponimus autem primum privilegium Fratribus Prædicatorum, & Minorum Ordinum, ad petitionem eorum Generalium conceſſum, quòd prædicti Fratres poſſint ſuccedere in hæreditates. Erat autem tunc Generalis Minorum S. Bonaventura, Prædicatorum verò f. m. F. Jo: de Vercellis. Idem Clemens viſitavit Eccleſiam S. Franciſci, & ſepulcrum S. Claræ, quod & dedicavit. Vide Vvadd. ad ann. 1265.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis, Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, necnon Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum, ſal. & Ap. bened.

OBtentu Divini Nominis, cujus cultui ſub ſacræ veſtræ Religionis obſervantia ſtudetis mente devotiſſima deſervire, votis veſtris libenter annuimus, & petitiones veſtras in his, quæ dignè depoſcitis, favorabiliter exaudimus. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quòd nonnulli Prælati, Clerici, & Laici in diverſis mundi partibus conſtituti, aſſerentes vos mundo fore mortuos, nec valentes proprium poſſidere, vos occaſione hujuſmodi à quibuſlibet ſucceſſionibus excludere moliuntur. Quare pro parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut ne contingàt vos, propter hujuſmodi præſumptionem talium aliquod incurrere nocumentum, congruum remedium adhibere paterna diligentia curaremus. Nos itaque veſtris petitionibus benigniùs attendentes, auctoritate Apoſtolica declaramus, quòd vos in temporalibus bonis, in quibus ſuccederetis in ſæculo exiſtentes, licitè poſſitis ſuccedere, & bonorum ipſorum poſſeſſiones appræhendere, ac vendere liberè, bona ipſa, eorumque pretium in utilitatem veſtram convertere,

tere, prout vobis meliùs videbitur expedire. Univerſas autem interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, quas contra præſentis declarationis tenorem per quemcunque fieri contigerit, decernimus irritas, & inanes. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, ac conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Peruſii 2. Id. Februarii. Pontificatus noſtri anno primo.

Plumbea per cordulam pendet Bulla, cum Apoſtolorum vultibus, & inſcriptione. Clemens Papa IV.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Cuſtodi, & Conventui Fratrum Minorum Eccleſiæ Sancti Franciſci de Aſſiſio, ſal. & Apoſt. bened.

CLara merita ſanctitatis, quibus glorioſus Confeſſor Beatus Franciſcus veſtri Ordinis Inſtitutor in Eccleſia Dei fulſit, & conſpicua bonorum operum ſtudia, quibus Deo, ex humili devotione continua redditis vos acceptos, meritò nos inducunt, ut Eccleſiam veſtram, in qua Confeſſoris ejuſdem corpus venerabile requieſcit, & in cujus honore Eccleſia ipſa noſcitur dedicata, dignis favoribus attollamus. Hinc eſt, quòd nos tranquillitati veſtræ, ac pacifico ſtatui prædictæ Eccleſiæ præcavere volentes, veſtris ſupplicationibus inclinati, quòd juxta dictam Eccleſiam Sancti Franciſci, vel aliquos loci veſtri limites ad trecentas Cannas nulli Eccleſiam, vel Oratorium, aut Monaſterium quodlibet, ſive Hoſpitale cum Oratorio ædificare liceat, vel ſæcularem Eccleſiam, vel Regularem, ſeu domum aliquam in Hoſpitale convertere, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, vobis, & eiſdem Eccleſiæ, ac loco, auctoritate Apoſtolica præſentibus indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, &c. Si quis, &c. Datum Peruſii, Nonis Octobris, Pontificatus noſtri anno primo.

Serico laqueo ductum plumbum habet inſculptas Apoſtolorum Principum effigies, & Pontificis nomen, Clemens Papa IV.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſal. & Apoſt. bened.

CUm ad promerenda ſempiterna gaudia Sanctorum ſuffragia ſint nobis plurimùm opportuna, loca Sanctorum omnium pia ſunt devotione Fidelium veneranda, ut dum Dei honoramus amicos, ipſi nos amabiles Deo reddant,

dant, & illorum nobis quodammodo vendicantes patrocinium apud ipſum, quod merita noſtra non obtinent, eorum mereamur interceſſionibus obtinere. Cupientes igitur, ut Eccleſia S. Franciſci de Aſſiſio, in qua Sanctiſſimum Corpus ejus venerabiliter requieſcit, congruis honoribus frequentetur, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in ejuſdem Sancti feſto, & uſque ad octo dies ſequentes devotè, ac venerabiliter viſitaverint, annuatim, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, unum Annum, & quadraginta dies de injuncta eis pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Peruſii 5. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno primo.

Pendet Plumbum, &c. Clemens Papa IV.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis, Miniſtro Provinciali, Cuſtodi, & Conventui Eccleſiæ Sancti Franciſci Aſſiſiat. ac Fratribus univerſis adminiſtrationis ipſius Ordinis Minorum, ſal. & Ap. bened.

DEſideriis veſtris affectu benevolo debemus annuere, in iis præcipuè, quæ noſcuntur ad cultum divini honoris pertinere. Hinc eſt, quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, ut cùm generale terræ fuerit interdictum liceat vobis in Eccleſia S. Franciſci in feſtivitatibus ipſius Sancti, & Anniverſario Dedicationis prædictæ Eccleſiæ uſque ad octo dies ſequentes ſolemniter, excluſis excommunicatis, & interdictis, divina Officia celebrare; & quibuſlibet ob reverentiam ejuſdem Sancti tunc ad Eccleſiam prædictam accedentibus (dummodo excommunicati non fuerint) audire divina hujuſmodi, devotioni veſtræ auctoritate præſentium indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, &c. Si quis, &c. Datum Peruſii - Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Sub Plumbo. Clemens Papa IV.

Diplo-

Google

Diploma Conciſtoriale, Originale ejus hìc habetur in amplo Pergameno.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum, & cæteris Fratribus morantibus apud Eccleſiam Beati Franciſci, in loco, qui dicitur Collis Paradiſi, tàm præſentibus, quàm futuris in perpetuum.

IS, qui Eccleſiam ſuam nova ſemper prole fœcundat, dignatus hæc moderna tempora prioribus conformare, Beati Confeſſoris Franciſci ſpiritum in charitatis amore per inſpirantem gratiam excitavit, ut Apoſtolorum veſtigia imitatus in paupertate, in qua plus charitas proficit, relictis omnibus ſolùm ſequutus fuerit æternæ beatitudinis largitorem; & velut fidelis ſervus, & prudens laudabiliter operatus in talentis ei creditis fructum in Eccleſia Dei attulit copioſum. Ab ipſo enim Ordinis veſtri ſancta plantatio, cooperante divinâ gratiâ, proceſſum habuit, & profectum, quæ palmites honeſtatis longè, latèque producens, flores protulit, & odores effudit, ad reſecanda nociva, & ſalubria inſerenda. Cùm igitur apud Aſſiſium in fundo vobis, & Eccleſiæ Romanæ oblato, in loco, qui dicitur Collis Paradiſi in ejuſdem Confeſſoris honore conſtructa ſit Eccleſia, in qua reconditus eſt tam pretioſus theſaurus, Sanctum videlicèt Corpus ipſius, qui in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, ut pro peccatis populorum fieret interceſſor. Nos cùm dignum ſit, & conveniens, ut eadem Edcleſia prærogativâ libertatis gaudeat, & honoris, propter eum, quem in Cœlis Dominus exaltavit, pro ejus reverentia Eccleſiam ipſam ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Eccleſia ipſa nulli, niſi Romano Pontifici ſit ſubjecta, & veſtri Ordinis, cujus Inſtitutor, & Pater extitit Confeſſor prædictus, CAPUT habeatur, & MATER, ac in ea per Fratres ejuſdem Ordinis perpetuò ſerviatur. Prohibemus inſuper, ne quis audeat in eamdem Eccleſiam excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgare, quam ſi proferre contingeret, tanquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam, decernimus non tenere. Pro conſecrationibus verò Altarium, ſive pro Oleo Sancto, vel quolibet alio Eccleſiaſtico Sacramento nullus ab eadem Eccleſia ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere; ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopus Diœceſanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis Catholicum adire Antiſtitem, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem, qui noſtrâ fretus auctoritate vobis quod poſtulatur impendat. Quòd ſi Sedes Diœceſani Epiſcopi fortè vacaverit, interim omnia Eccleſiaſtica Sacramenta à vicinis Epiſcopis accipere liberè, & abſque contradictione poſſitis, ſic tamen, ut ex hoc in poſterum nullum proprio Epiſcopo præjudicium generetur. Quia verò interdum eadem Eccleſia non habet loci Diœceſani

ſani copiam, ſi quem Epiſcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam, & communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos tranſire contigerit, ab eo benedictiones vaſorum, & veſtium, conſecrationes Altarium, ordinationes Fratrum Clericorum auctoritate Apoſtolicæ Sedis recipere valeatis. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis, & ſuppreſsâ voce divina Officia celebrare. Paci quoque, & tranquillitati veſtræ paternâ in poſterum ſollicitudine providere volentes, auctoritate Apoſtolicâ prohibemus, ut infra clauſuras locorum veſtrorum nullus rapinam, ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere. Ad indicium autem hujus libertatis, ab Apoſtolica Sede perceptæ, unius libræ ceræ cenſum nobis, & Succeſſoribus noſtris annis ſingulis perſolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus bona auferre, vel ablata retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare, ſed omnia integrè conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura; ſalvâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæcularisvè perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, niſi reatum ſuum congruâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris Noſtri Jeſu-Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini Noſtri Jeſu-Chriſti, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Signum Pontificium. Oculi mei ſemper ad Dominum.

Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

In medio ſubſcribunt propriis manibus Card. Epiſcopi, cum ſuis ſignis.

Ego Stephanus Præneſtinus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Frater Jo: Port. & S. Rufinæ Epiſcopus.

Ego Henricus Oſtien. & Velletren. Epiſcopus.

Ad dexteram cum ſuis ſignis ſubſcripti cernuntur Cardinales Presbiteri.

Ego Ancherus tit. S. Praxedis Presbiter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Guilelmus tit. S. Marci Presbiter Cardinalis.

Ego Frater Anibaldus Baſilicæ SS. Apoſtolorum Presbiter Card.

Ad lævam Cardinales Diaconi, quiſque præmiſſo proprio ſigno.

Ego Riccardus S. Angeli Diaconus Card.

Ego Jacobus S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Card.

Ego Guttifredus S. Georgii ad Velum aureum Diaconus Card.

Ego Hubertus S. Euſtachii Diaconus Card.

Ego Jordanus SS. Coſmæ & Damiani Diaconus Card.

Ego Matthæus S. Mariæ in Porticu Diaconus Card.

Datum Peruſii per manum Magiſtri Michaëlis S. Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellarii 17. Kal. Maii Indictione 9. Incarnationis Dominicæ Anno 1266. Pontificatùs verò Domini Clementis Papæ IV. Anno ſecundo.

Serico flavo, rubeoque transfixa laqueo pendet plumbea Bulla Sanctorum Petri, & Pauli facies ex una referens, & ex alia

Clemens Papa IV.

Cùm

Cùm in Sacro Conventu eſſent, & ſint Ædes Pontificiæ in ſignum immediatæ ſubjectionis ejus Sedi Apoſtolicæ; Erat quoque ibi Depoſitum Pontificium, in quo variæ res ſervabantur, ut ex multis Literis conſtat. Erat etiam Armorum locus in inferiori parte earundem Ædium, ut liquet ex infraſcriptis.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Cuſtodi, & Fratribus Minoribus de Aſſiſio, ſal. & Apoſt. bened.

Recepimus arma, & alia, quæ per Nuntium noſtrum, ſicut vobis mandavimus, deſtinaſtis. Unde cùm adhuc indigeamus quibuſdam armaturis, quæ ſunt in ſcriniis penes vos de mandato noſtro depoſitis; volumus, & per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus eaſdem armaturas, per dilectum filium Magiſtrum Albertum de Parma ſcriptorem noſtrum, latorem præſentium, nobis, viſis præſentibus, deſtinetis. Datum Viterbii 5. Kal. Julii. Pontificatus noſtri Anno quarto.

Pendet Plumbum cordulâ tranſvexum. Clemens Papa IV.

Defuncto Sanctiſſimo Pontifice Clemente IV. Cardinalibus inter ſe diſſidentibus vacavit Sedes annis duobus, & menſibus ferè novem. Tandem S. Bonaventuræ Generalis monitu electus fuit Tealdus Vice-Comes Placentinus, Arci-Diaconus Leodienſis, non Cardinalis, abſens in Syria, qui Gregorius X. nuncupatus eſt. E Syria regreſſus, Viterbii, ubi electus fuerat, confirmatus eſt 6. Kal. Aprilis in Baſilica 12. Apoſtolorum Presbyter, & Epiſcopus conſecratus; Pontificatûs ſuſcepit inſignia 1272. & anno ſequenti in Feſto Pentecoſtes S. Bonaventuram Cardinalem creavit Albanenſem Epiſcopum, &c.

Hic Pontifex animum totum dedit celebrando Concilio Generali pro ſubſidio Terræ-Sanctæ, Græcorum ad Romanam Eccleſiam unione, & morum reformatione; fuitque celebratum Lugduni, anno 1274. ipſo præſidente, & inter alios aſſiſtentibus Cardinalibus Minoritis Vicedomino, & Bonaventurâ.

Româ Lugdunum petens ad præfatum Concilium, Florentiâ, per quam tranſibat, miſit Aſſiſium Nuntium ad ſumenda duo Scrinia, quæ in ædibus Pontificiis aſſervabantur. Literæ hæ ſunt.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis, Cuſtodi, & Fratribus Ordinis Minorum de Aſſiſio, ſal. & Apoſt. bened.

Volumus, & per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus duo ſcrinia noſtra, cum aliis rebus noſtris in domo veſtra depoſita, quæ dilectus filius Honoratus ſerviens noſter, lator præſentium, ſub ſigno, quòd defert, duxerit eligenda; eidem Honorato, quem ad hoc ſpeciali-

ter mittimus , nobis deferenda per eum , ſine difficultate aliqua aſſignetis. Nos enim faciendi nomine noſtro receptionem vobis de prædictis duobus ſcriniis , quæ ſibi duxeritis aſſignanda , plenam ſibi concedimus facultatem. Datum Florentiæ, 9. Kal. Julii. Pontificatûs noſtri Anno ſecundo.

In pendenti Plumbo, Gregorius Papa X.

Nicolaus III. antea Joannes Caietanus Urſinus Diaconus Cardinalis Ordinis Minoritarum Protector , cui adhuc infantulo S. Franciſcus ſuam Religionem commendaverat , cujus Pater Matthæus Rubeus de Urſinis , Frater de Pœnitentia ab ipſo S. Franciſco indutus fuerat, eique ſui infantuli Pontificatum prædixit.

Hic Pontifex confirmavit Literas Gregorii IX. de veritate Sacrorum Stygmatum B. Franciſci ab omnibus Chriſti Fidelibus credenda , cujus Diploma extat in hoc Archivio.

Ex depoſito Pontificio hujus Sacri Conventûs quamdam Arcam aſportari ad ſe Romam juſſit his Literis.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis , Cuſtodi , Guardiano , & Fratribus , Aſſiſiat. ſal. & Apoſt. bened.

AD vos , & locum veſtrum prærogativam ſpecialis affectionis habentes fecimus ab olim , dum eramus in minori officio conſtituti , nonnulla de rebus noſtris per dilectos filios Magiſtrum Petrum Faciſtantem, tunc Camerarium , & Fratrem Conſtantinum Ordinis veſtri familiares noſtros, in loco ipſo deponi , à vobis fideliter conſervanda ; & tandem nemini , niſi certo , & fideli Nuntio noſtro de recipienda , & aperienda liberè Arca , in qua res ipſæ conſiſtunt , ſpeciales noſtras deferenti Literas aſſignanda. Volentes itaque diebus iſtis ad nos res ipſas deferri , dilectum filium Andream de Nivernis Clericum , & familiarem noſtrum latorem præſentium , de cujus fidelitate confidimus , ad vos propter hoc ſpecialiter duximus deſtinandum ; devotioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandantes , quatenus Arcam , & res eaſdem dicto Andreæ noſtro nomine , ſic liberaliter ſine diminutione qualibet aſſignetis , ad nos juxta noſtrum beneplacitum deferendas ; quòd exinde poſſitis tamquam devotionis filii meritò commendari. Datum Romæ , apud S. Petrum , Kal. Januarii , Pontificatûs noſtri Anno primo.

Sub Plumbo. Nicolaus Papa III.

Habemus alias Literas originales ejuſdem Pontificis teſtântis veritatem Canonizationis , & realis Stygmatizationis S. Franciſci , quas cum aliis ad id pertinentibus vide.

Nico-

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis, Capitulo Generali Ordinis Frarum Minorum, ſal. & Apoſt. Bened.

Convenientibus vobis in unum, qui Chriſti pauperis paupertatis ſemitas voluntariè effecti participes delegiſtis, jam non eſt, niſi quæ Dei ſunt conſtanter appetere, vias mandatorum ejus dilatato corde percurrere, primum ſequendo pauperem Franciſcum, veſtri Ordinis plantatorem, qui mundi caduca reſpuens, mundum mundè pertranſiens, mundo vivendo moriens, vixit Deo, qui vivens præmium ſibi æternæ vitæ promeruit, & vobis vivendi regulam, velut adoptionis filiis dereliquit, ut vos Chriſto junctus adjungeret, & hæres ejus effectus vos Chriſto redderet cohæredes. Hic eſt Ordo, quem Sponſus in Canticis geminando commemorans bis hortum repetit, binum ejus fructum contemplativum, & activum patenter inſinuans; bis concluſum, ſæpem divinæ legis, & cuſtodiæ Angelicæ innuens, vel potiùs vallum prædictæ regulæ, & ſpecialem Cuſtodiam ipſius Ordinis, quam de ipſo Romana gerit Eccleſia manifeſtans. Hic eſt fons, ſcientiarum fluenta ſcaturiens, ſignatus paupertatis inſigniis, & in ſui primo Inſtitutore Chriſti Stygmatibus inſignitus. Propterea Ordinem ipſum, quem ſic in domo Domini prælucere conſpicimus, à noſtris quaſi primordiis, ſenſibus noſtris infiximus, in ejus affectione concrevimus, & tenerrimè intra præcordia noſtra portamus, circa eum ſollicitudine vigilantes, ut nullius ibi ſuccreſcentis herbæ contagium famæ ſuæ reprimat odorem, vel ejus decorem obnubilet, ſed Deo propitio, protegatur à noxiis, ſalubria ſemper incrementa ſuſcipiat, & pacis affluat ubertate. Dignè igitur plenis in Domino gaudiis exultamus, dum vos illius ſectatores inſpicimus, qui delitias terreſtres aſpernans, aſperitatis onera ſupportavit, ut inter electos Dei appareret prælucidus in excelſis, cujus vos regulam profitentes, exiſtitis eximii teſtimoniorum Domini ſectatores: nec indignè lætamur, quòd in vobis eadem delectatur Eccleſia, & in fragrantia veſtrorum operum odorem ſuavitatis aſſumit. Nam ſuper vos Nomen Domini percipimus invocatum, & poſt vocem revocationis æternæ in regione vivorum vos ſibi credimus placituros. O beatæ ſuavitas paupertatis, quâ mundi derelictis illecebris ad fælicitatis gloriam pervenitur! O beata terrenarum delitiarum abjectio, quâ ſpiritus humilitatis reficitur gratiâ ſalutari, & tandem gratiâ ipsâ refecti coronam gloriæ promerentur! Profectò quæ Ordinem ipſum contingunt nobis ipſis aſcribimus; nec circa illa locum vigiliis indulgentes, dum de inſtanti veſtro generali Capitulo celebrando hactenus ageretur, præſentiam dilecti filii noſtri Hieronymi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ibi cognovimus eſſe utilem, & propter hoc ei Literas noſtras ſub certa forma direximus, ut præſentialibus ejus affatibus tam Sanctæ Congregationis reficeretur amœnitas, & in agendis procedendo conſultiùs, vobis, & eidem Ordini grata ſolamina provenirent. Sed eodem Cardinale ſui corporis infirmitate detento ab aliquibus citra diebus non credimus inceptum reditum eâ proſequutione poſſe perficere, quòd eidem Capitulo, prout deliberatio noſtra conceperat, intereſſet. Nihilominus, ſi ſic propitiaretur Altiſſimus, quòd ad dictum Capitulum poſſet decenti tempore

E 2 perve-

pervenire, ſicut nunc ex aliquorum relatione ſentimus, illum ad vos pro conſolatione veſtrarum mentium diſponimus deſtinare. Quòd ſi fortè aliquo caſu id complere nequiverit, confidimus, quòd omnipotens Dominus vobis in iis vias ſuæ miſerationis aperiet, vos ad ſalubria diriget, ac propitiabitur votis veſtris, ita quòd ex veſtris actibus, in divinis beneplacitis radicaris fructus vobis, & eidem Ordini utiles, Deo, ac nobis placitos, dante Domino, reſultabunt. Verum Paſtoralis officii debitum exequentes, vos ad quæque ſalubria Paternis monitis, & benignis exhortationibus invitamus, affectantes ex intimis illa veſtris inſidere præcordiis, in his potiſſimè, quæ hoc tempore circa directionem ipſius Ordinis, ac conſervationem inſtitutionum ſalutarium, ex quibus laus, & honor acquiritur, agenda percipimus, ut charitatis & unionis veſtræ funiculus ſic alimento veræ pacis, & inviolabilis concordiæ foveatur, quòd nullam ſui partem cujuſvis debilitet adverſitatis, ſeu commotionis impulſus; quin potiùs illæſus, & ſtabilis nullius corrumpentis maculam habiturus, perpetuò ad laudem divini Nominis conſervetur. ſuper quo ſunt vobis in ſpeculum, & exemplar illius Almi merita Confeſſoris, qui Ordinem prædictum inſtituit, coluit, & cultum claritate beatitudinis illuſtravit. Cæterùm ut vobis qui ſpiritualium operatione proficitis, & ob nomen Domini corporaliter laboratis, propter utrumque charitatis ordinatæ præmium rependatur, univerſis, & ſingulis de Ordine veſtro, qui ad præfatum Capitulum convenerint, nec non & aliis Chriſti fidelibus, qui congregatis in ipſo Capitulo Fratribus, ipſo durante, pietatis ſuæ manus porrexerint adjutrices: dummodò verè pœnitentes extiterint, & confeſſi; Fratribus ſcilicet, qui circa præmiſſa ſollicitè laborârint, & operoſâ ſedulitate vacârint, unum annum, & aliis, qui congregatis ibidem pias eleëmoſinas erogârint, centum dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Cùm autem imbecillitatem noſtram oporteat divinæ manûs ſuſtentari præſidiis; devotionem veſtram rogamus, & hortamur in Domino, quatenùs pias affectiones veſtras circa nos excitet debitum charitatis, & inſpectis noſtræ mentis affectibus, nos in veſtris orationibus divinæ clementiæ commendetis, ut per interceſſionem veſtram in adminiſtratione commiſſa nobis dignetur ſua miſericordia noſtros ſupportare defectus, & actus noſtros in ſuorum dirigere ſemitam mandatorum. Datum Romæ, apud S. Petrum Id. Maii, Pontificatûs noſtri Anno ſecundo.

Subeſt Plumbeum Sigillum. Nicolaus Papa III.

Nicolao III. ſucceſſit in Pontificatu Martinus IV. antea Simon Briæ Gallus Titulo S. Cæciliæ Cardinalis; qui ſuæ devotionis affectum erga B. Franciſcum, & Eccleſiam hanc manifeſtavit, nam & in morte, quæ Peruſii accidit, habitum Minoriticum poſtulavit, induit, & cum eo ſepeliri voluit, corpuſque ſuum ad Aſſiſiatem S. Franciſci Baſilicam transferri juſſit, relicto inter alios Jacobo Cardinale Sabellio, qui ei in ſuprema ſucceſſit dignitate, teſtamenti, & ultimæ ſuæ voluntatis exequutore.

Honorius IV. volens adimplere Prædeceſſoris voluntatem, Peruſinis obſtantibus ſcripſit, præcipiens, ut Corpus Martini IV. ad Eccleſiam S. Franciſci Aſſiſienſis transferendum darent. Diplomata Originalia habemus duplicata, tum ad Epiſcopum, & Clerum, cùm etiam ad Proceres Civitatis.

Hono-

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Venerabili Fratri Epiſcopo, dilectis filiis Archipresbytero, & Capitulo Peruſino, ſal. & Apoſt. bened.

VEſtram non credimus latere notitiam, qualiter f. r. Martinus Papa IV. Prædeceſſor noſter, ob devotionis ſpecialis affectum, quem erga glorioſum, & Venerabilem Confeſſorem B. Franciſcum de Aſſiſio, cujus clariſſimis meritis Dei decoratur Eccleſia, Italia rutilat, veſtraque Religio quaſi quibuſdam ſpecialibus titulis inſignita refulget; in Eccleſia, quæ in honorem ejuſdem Sancti apud Aſſiſium conſtructa dignoſcitur, elegit in ſua voluntate ultima Eccleſiaſticam ſepulturam; nobis tunc in minori officio poſitis, & quibuſdam ex Fratribus noſtris hujuſmodi ſuæ voluntatis exequutoribus conſtitutis. Poſtmodùm autem ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigium divinâ diſpoſitione vocati, magnis, & arduis, quæ cura Paſtoralis officii ſecum trahit, occupati negotiis, ad exequendam Prædeceſſoris ejuſdem hujuſmodi voluntatem operarias manus exhibere nequivimus, prout & gerebamus in votis, & ipſius negotii qualitas requirebat. Cùm itaque magno deſiderio cupiamus, ut pia Prædeceſſoris diſpoſitio prælibati ſuum in hac parte conſequatur effectum, Univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus tamquam viri providi, & diſcreti, ac juſtitiæ zelatores, ad exactæ conſiderationis reducentes examen quàm explorati juris exiſtit, quàmque mortalibus debitum, ut extremæ voluntates ipſorum liberè impleantur, reverendum præfati Prædeceſſoris corpus, non ſolùm juxta diſpoſitionem Prædeceſſoris ejuſdem, ad eamdem liberè deferri Eccleſiam permittatis, quinimmo illud illuc deportare volentibus tumulandum, ut id condignâ honorificentiâ, dante Domino, agi poſſit, pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia, quam in veſtris actibus ſummoperè conſervare vos condecet, favorabiliter aſſiſtatis, tantò nobis proindè propenſiùs placituri, quantò efficaciùs, & libentiùs quod à nobis in hoc fiducialiter petimus perducere curabitis ad effectum. Cupimus etenim, ut ſuper hoc ſic devotè, ſic promptè vos gerere ſtudeatis, ut exindè non immeritò poſſimus efferre vos laudibus, & aliud in hac parte proviſionis adhibere remedium non cogamur. Datum Romæ, apud S. Sabinam Kal. Februarii, Pontificatùs noſtri Anno primo.

Subeſt in Plumbo Pontificium ſignum.

Honorius Papa IV.

Hono-

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, & Communi Peruſino, ſal. & Apoſt. bened.

SIncera illa, & antiqua, ſed non antiquata devotio, quâ inter cœteras urbes Italiæ erga Romanam Eccleſiam matrem veſtram, Civitas Peruſina reſplenduit, firmam nobis fidem tribuit, ſpemque indubiam pollicetur, quòd vos tamquam benedictionis filii, & obedientiæ, Apoſtolicæ Sedis votis affectus veſtros promptis animis conformantes, preces noſtras, præſertim quas juſtitiæ plenitudo non deſerit, ſubmoto difficultatis objectu ad effectum celeriter perducetis. Sanè fel. rec. Martinus Papa IV. Prædeceſſor noſter, ob devotionis ſpecialis affectum, quem erga glorioſum, & venerabilem B. Franciſcum de Aſſiſio, &c. ut in ſuperioribus. Sub eiſdem die, loco, & ſigno, &c.

Non acquieverunt hujuſmodi Literis Peruſini, ne pretioſo privarentur pignore, ad Corpus enim illius ſ. m. Pontificis multi languentes, cæci, ſurdi, claudi, & muti ſanitatem recuperârunt. Interpoſuerunt itaque varias appellationes, in quibus audiendis & rejiciendis aliquod tempus elapſum eſt: obiit Honorius, neque fuit ampliùs qui negotium urgeret. Paucis indè annis, dum templum reſarciretur, inventum eſt corpus integrum, cum habitu Minoritico illæſo. Hinc inter Ordinis Pontifices à quibuſdam numeratur.

Hâc vitâ functo Honorio IV. Sedes vacavit menſibus decem, diebus decem, & octo; Demùm 8. Kal. Martii 1288. Cardinalium omnium ſuffragiis electus eſt Summus Pontifex Frater Hieronymus de Aſculo, Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus Ordinis Minorum, Sacræ Theologiæ Doctor, & Magiſter, olim Generalis Miniſter, Legatus Apoſtolicus ad Eccleſiam Græcorum, atque ad Galliæ, & Hiſpaniæ Reges.

In Pontificatu verum ſe Franciſci filium, & totius Eccleſiæ Patrem oſtendit. Statim ac fuit electus Seraphico Parenti grates referre volens, ad Eccleſiam Aſſiſienſem Pontificio animo digna munera miſit, cum ſuis Literis datis biduo ab ejus creatione, & in die ejus Coronationis, inter quæ ipſum Pluviale, quo Coronationis ſuſcepit inſignia. Originales Literæ hæ ſunt, lectu dignæ.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilecto filio Cuſtodi Fratrum Ordinis Minorum, Eccleſiæ Sancti Franciſci in Aſſiſio, ſal. & Apoſt. bened.

SUſcepimus nuper, licèt immeriti, ſupernæ diſpoſitionis arbitrio, prout jam famæ præambulæ te credimus didiciſſe relatibus, curam, & regimen Eccleſiæ generalis: gravis oneris ſarcinam, quam exequutio Paſtoralis officii ſecum trahit, ſub humilitatis ſpiritu ſubeuntes. Porrò à longis

gis retro temporibus, Ordinis Fratrum Minorum funiculis ſalubriter alligati, ad venerabilem Eccleſiam B. Franciſci de Aſſiſio grandem, & continuum geſſimus dilectionis affectum; ſtatum ejus quietum, & proſperum, ad Dei laudem, & gloriam votis ferventibus cupientes. In ſignum igitur dilectionis hujuſmodi, & evidens ſpecialis reverentiæ argumentum, quam ad præfatam Eccleſiam, & eumdem Beatiſſimum Confeſſorem habuimus, & habemus, ac etiam habere proponimus in futurum, nonnulla diverſi coloris paramenta Pontificalia ſerica, vaſa argentea, certam ſummam pecuniæ, ac quædam alia in cedula, præſentibus intercluſa diſtinctè, planè, ac ſeriatim expreſſa, quæ ante noſtræ promotionis auſpicia facultates noſtræ paupertatis habebant, eidem Eccleſiæ donamus, atque concedimus de gratia ſpeciali, eaque ipſi Eccleſiæ per dilectum filium Magiſtrum Petrum de Sora Clericum, & familiarem noſtrum, latorem præſentium mittimus, per eum tibi Eccleſiæ prædictæ nomine fideliter aſſignanda. Datum Later. 6. Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno primo.

Plumbum funiculo tranſixum ex latere dextro pendet.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciæ, & Cuſtodi Sancti Franciſci, ac Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Aſſiſio, ſalutem & Apoſt. benedict.

Dum ſollicitæ conſiderationis indagine perſcrutamur, quòd Rex ille munificus, qui dat affluenter, & non improperat, quique perſonas, & loca fidelium donis proſequitur, gratiis prævenit, attollit honoribus, juxta ſuæ inſcrutabilis beneplacitum voluntatis, Civitatem Aſſiſii multipliciter honoravit, glorioſa Beatorum Franciſci Confeſſoris, & Claræ Virginis corpora in ea benigniùs collocando. Dum etiam ſedulò intra pectoris clauſtra revolvimus, quòd vos mundanis opibus derelictis, quæ cùm blandiuntur illudunt, extremæ paupertatis amplectentes inſignia, victum vobis piæ mendicitatis ſtudio vendicatis, quòdque nonnullæ aliæ ordinum diverſorum perſonæ, ſibi per eleëmoſinam neceſſaria vitæ quærunt, veſtro libenter ſtatui providemus, ut eò commodiùs divinis inſiſtatis obſequiis, quò ſtatus ipſe uberiori fuerit tranquillitate ſuffultus, ac per habitatores Civitatis ejuſdem, quorum erga prædictos Fratres noſcitur fervêre devotio, veſtris contingat abundantiùs neceſſitatibus ſubveniri. Inde fit, quòd nos Apoſtolicâ auctoritate ſtatuimus, & etiam ordinamus, ut nulli omninò mulierum mendicantium, vel non mendicantium, ſeu aliarum quarumlibet, aut Religioſorum mendicantium Ordini liceat Oratorium, Monaſterium, Eccleſiam, vel locum religioſum in Civitate prædicta, vel ejus ſuburbiis, ſeu etiam extra ipſa, infra ducentarum Cannarum ſpatium quocumque modo habere.

Quodque

quòdque nullus penitùs de Ordinibus non mendicantibus poſſit in Civitate, ac ſuburbiis memoratis, ſeu extra illa infra prędictum ſpatium Oratorium, Monaſterium, Eccleſiam, vel religioſum locum de novo acquirere, ſive conſtruere, vel ædificare, aut ab alio, vel aliis conſtructum, vel ædificatum habere quomodolibet, vel tenere. Per hoc autem Ordinibus illis non mendicantibus, qui Oratoria, Monaſteria, Eccleſias, vel loca Religioſa in Civitate, aut ſuburbiis ſupradictis ad pręſens obtinere noſcuntur, nequaquam intendimus aliquod prędjudicium generari, quin ea retinere liberè, & habere, ipſiſque, prout conſueverunt hactenus, uti poſſint, ac etiam ædificare in illis, & habere Conventum ſui dumtaxat Ordinis in eiſdem, transferendi ea in Religioſos alios dictis Ordinibus non mendicantibus licentiâ penitùs interdictâ. Nos enim ex nunc irritum, & inane decernimus, ac nullius prorſus eſſe momenti ſi quid contra hujuſmodi ſtatutum, & ordinationem noſtrâ quâcumque auctoritate à quoquam fuerit attentatum: Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, & conſtitutionis infringere, vel, &c. Si quis, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum 2. Kalend. Maii, Pontificatûs noſtri Anno primo.

Subeſt Plumbum per ſericum ductum.

Nicolaus Papa IV.

Subjectum Diploma ſub Plumbo duplicatum habemus, quô confirmat Privilegia, Eccleſiamque Caput totius Ordinis appellat.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis, Miniſtro Provinciæ, ac Cuſtodi Sancti Franciſci, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Aſſiſio, ſal. & Apoſt. ben.

PRæclara glorioſiſſimi Confeſſoris B. Franciſci merita, quibus univerſalis Eccleſia, quaſi quodam ſingulari fulgore prærutilat, ſedulæ conſiderationis indagine perſcrutantes, & recogitantes attentiùs, copioſos ſalutis fructus, qui ex Ordine veſtro proveniunt fidelium animabus; dignum, & rationi conſonum, quinimmò debitum arbitramur, ut Eccleſiam, quæ in Civitate Aſſiſii in ejuſdem Sancti honore fundata, & dedicata dignoſcitur, & in qua Corpus ejus ſanctiſſimum requieſcit, favoribus foveamus eximiis, condignis proſequamur honoribus, & ſpecialibus gratiis, & privilegiis muniamus. Hinc eſt, quòd nos, propter ipſius Sancti reverentiam, volentes prędictam Eccleſiam, quæ totius Ordinis veſtri CAPUT exiſtit, ſpecialiter honorare: ut nullus omninò Eccleſiam ipſam, quæ nulli, niſi Romano Pontifici eſt ſubjecta, & totum locum ipſius, cum pertinentiis ſuis Eccleſiaſtico ſupponere valeat interdicto, abſque ſpeciali, & expreſſo Apoſtolicæ Sedis mandato, faciente plenam, determinatam, & expreſſam de indulto hujuſmodi,

di, Eccleſia, & loco prædictis, ac etiam de nomine dilecti filii noſtri Matthæi Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis, cui fratrum ejuſdem Ordinis gubernatio, protectio, & correctio per Sedem Apoſtolicam ſunt commiſſæ, aut ejus, cui eas in poſterùm committi contigerit, mentionem; quòdque cujuſlibet interdicti tempore, etiamſi per Sedem ipſam, vel Literarum ejus auctoritate fuerit promulgatum, liceat vobis in eadem Eccleſia, & infra locum prædictum, clauſis januis, interdictis, & excommunicatis excluſis, celebrare divina, & altâ voce cantare, ac alia Eccleſiaſtica Sacramenta in eadem Eccleſia, & infra locum recipere prælibatum, vobis auctoritate præſentium indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei, &c. Si quis autem, &c. Datum Reate, 2. Idus Maii, Pontificatûs noſtri Anno primo.

In Plumbo. Nicolaus Papa IV.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Generali Ordinis Fratrum Minorum, & Provinciæ Sancti Franciſci Miniſtris, ſal. & Apoſt. bened.

REducentes ad ſedulæ conſiderationis examen, quòd continua Eccleſiæ Beati Franciſci de Aſſiſio conſervatio non modicùm noſcitur ſumptuoſa, & quòd ad eam, in qua ipſius Sancti corpus glorioſiſſimum requieſcit, ac etiam ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Portiuncula, ob ipſius Sancti reverentiam innumera Fratrum veſtri Ordinis confluit multitudo, quòdque Aſſiſii Civitas brevi concluditur ſpatio, & propterea minùs ſufficiens redditur ad ſubventionem Fratrum ipſorum neceſſitatibus impendendam, paternæ ſollicitudinis ſtudio ducimur, ut ſuper iis proviſionis opportunæ remedium apponamus. Unde cùm noſtræ intentionis exiſtat, ut omnia, quæ in quibuſcumque pecuniis, ſeu monetis in Eccleſiis, ſive locis eiſdem à Chriſti fidelibus offeruntur, in hujuſmodi conſervatioem ejuſdem Eccleſiæ S. Franciſci, ac ſubventionem Fratrum ad Eccleſias confluentium ſupradictas, & eorum etiam, qui commorantur inibi convertantur: Tibi Miniſter Provinciæ, ac etiam dilecto filio Cuſtodi Beati Franciſci per alias Literas noſtras injungimus, ut aliquam, vel aliquas perſonas idoneas, & fideles, de qua, vel quibus tu, & ipſe videritis expedire, & quæ de tuo, & ejus Ordine non exiſtant, nomine Romanæ Eccleſiæ, ac pro ipſâ, prout expedire putabitis, deputare, ac in ipſarum loco aliam, vel alias perſonas de Ordine non exiſtentes eodem, ſicut tibi, & ei videbitur, ſubrogare curetis, quæ in quibuſcumque pecuniis, ſeu monetis in Eccleſiis, ſive locis prædictis à Chriſti fidelibus, ſicut præmittitur, offeruntur, ſollicitè colligant, diligenter cuſtodiant, & conſervent. Gerentes itaque de circumſpectione veſtra fiduciam in Domino ſpecialem, vobis filii Miniſtri, & utrique veſtrum communiter, & diviſim, ex nunc præſentium auctoritate committimus, ut de oblationibus, ſeu eleemoſinis ſupradictis poſſitis de diſere-

ſcretorum Fratrum ejuſdem Eccleſiæ S. Franciſci conſilio facere conſervari, reparari, ædificari, emendari, ampliari, aptari, & ornari præfatas Eccleſias, & loca earum, cùm, & prout veſtra diſcretio viderit expedire. Ac ſi quid de oblationibus, & eleëmoſinis prælibatis reſiduum fuerit, in neceſſitates Fratrum ad Eccleſias, & loca confluentium prælibata, & eorum etiam, qui commorantur ibi cum integritate converti, donec per nos, vel ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices per eorum patentes Literas, & Apoſtolicâ Bullâ munitas, aliud in hac parte contigerit ordinari. Datum Reate, Id. Maii, Pontificatus noſtri Anno primo.

Pendet per cordulam Bulla Apoſtolica cum Inſcriptione.

Nicolaus Papa IV.

Aliæ conſimilis tenoris habentur Cuſtodi, & Fratribus de Aſſiſio directæ, quibus apparet ſubjectio Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum Cuſtodi, & Fratribus Aſſiſiatibus.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus Ordinis Minorum Eccleſiæ S. Franciſci de Aſſiſio, ſal. & Apoſt. bened.

EXimiæ devotionis affectus, quem ab ineuntis ætatis noſtræ primordiis ad B. Franciſcumglorioſiſſimum Confeſſorem reverenter habuimus, & habemus, nos inſtanter inducit, ut Eccleſiam veſtram in ejuſdem S. Franciſci honore conſtructam, in qua devotas Altiſſimo laudes obtulimus in minori officio conſtituti, præcipuis proſequamur honoribus, & ſpecialibus gratiis honoremus. Volentes igitur hujuſmodi affectum noſtrum, & etiam ſinceræ dilectionis zelum, quem ad eamdem Eccleſiam gerimus, per effectum operis explicare, cupientes quoque, ut prædicta Eccleſia congruis honoribus frequentetur, omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad eamdem Eccleſiam in die feſtivitatis B. Franciſci prædicti, & ſeptem diebus immediatè ſequentibus cauſâ devotionis acceſſerint, annuatim de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi tres annos, & totidem quadragenas de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Reate, 5. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno primo.

Subeſt Apoſtolica Bulla ſerico juncta laqueo.

Nicolaus Papa IV.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Cuſtodi, & Fratribus Sancti Franciſci de Aſſiſio, ſal. & Apoſt. bened.

EXcitamur ab intimis operante ſinceræ devotionis affectu, quem ab ineuntis ætatis noſtræ primordiis ad Beatum Franciſcum geſſimus, & gerere non ceſſamus, ut venerabilem ipſius Eccleſiam, in qua glorioſum requieſcere noſcitur Corpus ejus, ſpecialibus gratiis, & favoribus proſequamur. Hinc ſiquidem provenire conſpicitur, quod vobis quoddam Aurifriſium nuper de mandato noſtro contextum, tàm materiâ, quàm opere pretioſum, prout ex ejus apertiùs inſpectione colligitur, quod eidem Eccleſiæ ad ornatum Altaris ipſius de Apoſtolicæ Sedis plena liberalitate donamus, per dilectum filium Magiſtrum Petrum de Gorra familiarem noſtrum latorem præſentium duximus deſtinandum, auctoritate Apoſtolicâ diſtrictiùs inhibentes, ne Aurifriſium ipſum vendere, alienare, ſeu diſtrahere quomodolibèt attentetis. Nos enim ex nunc irritum, & inane decernimus, ſi ſecus per quemcumque quavis auctoritate contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, & Conſtitutionis infringere, vel ei, &c. Si quis autem, &c. Datum Reate, 7. Id. Auguſti, Pontificat. noſtri Anno ſecuodo.

Laqueo ſerico Plumbum pendet. Nicolaus Papa IV.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Cuſtodi, & Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci de Aſſiſio, ſal. & Apoſt. bened.

PRæcelſa glorioſiſſimi Confeſſoris Beati Franciſci merita, quæ in Eccleſia Dei, quaſi candelabra præclara reſplendent, ſedulæ conſiderationis indagine perſcrutantes, & cogitantes attentiùs, quòd ipſe, tanquam vitis botris opulentis exuberans, in vinea Domini palmites produxit egregios, & ſupernâ cooperante gratiâ producere non deſiſtit: dignum ducimus, & rationi conſonum, quinimmò debitum arbitramur, ut Eccleſiam veſtram, in qua ipſius Confeſſoris Corpus ſanctiſſimum requieſcit, eximiis proſequamur favoribus, & præcipuis, ac ſpecialibus gratiis, & indulgentiis honoremus. Cupientes igitur, ut Eccleſia ipſa congruis honoribus frequentetur, & ut Fideles ipſi eò libentiùs eam adeant, quò majorem in ea ſe ſenſerint gratiam percepturos: Omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad prædictam Eccleſiam diebus ſingulis cauſâ devotionis acceſſerint, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate con-

ſiſi annum unum, & quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, 4. Nonas Maii, Pontificat. noſtri Anno ſecundo.

Laqueo ſerico ſubeſt Apoſtolica Bulla. Nicolaus Papa IV.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes Literas inſpecturis, ſal. & Apoſt. bened.

EXimiæ devotionis affectus, quam ab ineuntis ætatis noſtræ primordiis ad Beatum Franciſcum glorioſiſſimum Confeſſorem, reverenter habuimus, & habemus, nos inſtanter inducit, ut Eccleſiam in ejuſdem Beati Franciſci honore conſtructam, in qua ipſius Confeſſoris corpus ſanctiſſimum requieſcit, & devotas in ea Altiſſimo laudes obtulimus in minori officio conſtituti, eximiis proſequamur favoribus, & præcipuis, ac ſpecialibus gratiis, & indulgentiis honoremus. Volentes igitur hujuſmodi affectum noſtrum, & etiam ſinceræ dilectionis zelum, quem ad eamdem Eccleſiam gerimus per effectum operis explicare: cupientes quoque, ut Eccleſia ipſa congruis honoribus frequentetur, & ut fideles ipſi eò libentiùs Eccleſiam ipſam adeant, quò majorem in ea ſe ſenſerint gratiam percepturos; Omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad Eccleſiam ipſam in Pentecoſten, Nativitatis, Aſſumptionis, Purificationis, & Annunciationis B. Mariæ Virginis, Tranſlationis B. Franciſci, ac S. Antonii feſtivitatibus per octo dies feſtivitates ipſas immediatè ſequentes, necnon in Anniverſario die Dedicationis ipſius Eccleſiæ devotè viſitaverint annuatim, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi unum annum, & quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Dat. apud Urbem-veterem, Kal. Junii, Pontificatûs noſtri Anno quarto.

Apoſtolica Bulla ſerico pendet Laqueo. Nicolaus Papa IV.

Nicolao defuncto, poſtquam vacavit Petri Sedes annis duobus, menſibus tribus, electus fuit Petrus Eremita, dictus de Murrhone ab alpeſtri monte, in quo auſterè vivens morabatur, nomine Cœleſtinus V. Sanctus hic vir poſt quinque menſes Pontificatui ceſſit, ut ad Eremum rediret. Ei ſucceſſit Benedictus Caietanus, qui fuit Boniſacius VIII. & Franciſcanam Eccleſiam Indulgentiis ditavit.

Boni-

Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Cuſtodi, & Fratribus Ordinis Minorum Eccleſiæ Sancti Franciſci de Aſſiſio, ſal. & Apoſt. bened.

Ante thronum divinæ clementiæ fideles Chriſti Sanctorum piis adjuti ſuffragiis ad eorum colenda feſtiva ſolemnia, eò debent frequentiùs excitari, quò talium patronorum fulti præſidio, potiora retributionis æternæ præmia promerentur. Noſquè vigilis more Paſtoris oves gregis Dominici curæ noſtræ commiſſas, quas cupimus in loco paſcuæ collocari, ad eorumdem Sanctorum trahimus libenter obſequia, ut eorum fulti patrociniis ad æternæ ſalutis gaudia valeant pervenire. Cupientes igitur, ut Eccleſia veſtra, quæ glorioſiſſimi Confeſſoris B. Franciſci eſt vocabulo inſignita, & in qua ejus Corpus ſanctiſſimum requieſcit, frequentiâ honoretur fidelium, & circa eam quærentium Dominum tantò ferventiùs devotio ferveat, quantò abundantiùs ſpiritales ibi theſauros invenerit in Cœleſti Jeruſalem ſibi perenniter profuturos, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad eamdem Eccleſiam in Feſto B. Franciſci prędicti, & per ſeptem dies Feſtivitatem ipſam immediatè ſequentes cauſâ devotionis acceſſerint, annuatim de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, unum annum, & quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum 12. Kal. Februarii, Pontificatûs noſtri Anno primo.

Per ſericum Laqueum pendet Bulla Apoſtolica.

Bonifacius Papa VIII.

Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis, Cuſtodi, & Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Aſſiſio, ſal. & Apoſt. bened.

Licèt is, de cujus munere venit, ut ſibi à fidelibus ſuis dignè, & laudabiliter ſerviatur, de abundantia pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit, & vota, benè ſervientibus multò majora retribuat, quàm valeant promereri: nihilominùs tamen deſiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum ei, quaſi quibuſdam illectivis muneribus, indulgentiis videlicèt, & remiſſionibus invitamus, ut exindè reddantur divinæ gratiæ aptiores. Volentes igitur, ut Eccleſia veſtra, in qua Corpus Sancti Franciſci Confeſſoris, Fundatoris Ordinis veſtri, quieſcit, con-

congruis honoribus frequentetur: omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam diebus ſingulis cauſa devotionis venerabiliter viſitarint, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, centum dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Romæ apud S. Petrum 12. Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno primo.

Serico transfixa laqueo pendet Apoſtolica Bulla.

Bonifacius Papa VIII.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SEdes Apoſtolica, pia mater, iis, qui perſonarum Eccleſiaſticarum, & piorum locorum commodum, & utilitatem reſpiciunt, libenter ſe exhibet favorabilem, & benignam. Nuper ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Cuſtodis, & Fratrum Ordinis Minorum Aſiſiat. Nobis fuit expoſitum cum querela, quòd licèt contingat interdum, ut nonnulli de Civitate, & Diœceſi Aſiſiat. condentes de bonis in ſuis ultimis voluntatibus teſtamenta, in eiſdem teſtamentis nonnullas pecuniarum ſummas, & res alias ligent, ſeu relinquant dilectis filiis Cuſtodibus Altarium S. Franciſci Aſſiſiat. ac S. Mariæ de Angelis Aſſiſiat. Diœceſis Eccleſiarum locorum prædictorum Fratrum, aut Eccleſiis ipſis, per manus eorumdem Cuſtodum Altarium, qui Laici exiſtunt, pro ornamentis, & fabrica Eccleſiarum, & locorum, ac ſuſtentatione Fratrum prædictorum expendendas, ſeu etiam erogandas; tamen quandoquè hæredes teſtatorum, ſeu exequutores teſtamentorum hujuſmodi, in ſolvendo, & tradendo legata, ſeu relicta hujuſmodi Cuſtodibus præfatis, diverſas conantur difficultates ingerere, ut pias voluntates eorumdem teſtatorum valeant defraudare: propter quod oportet Cuſtodes eoſdem, vel partem hujuſmodi legatorum, ſeu relictorum hæredibus, ſeu exequutoribus ipſis dimittere, aut per litigiorum contractus coram ſæcularibus, vel aliis Judicibus jus ſuum pro legatis, & relictis hujuſmodi integrè conſequendis, cum magnis diſpendiis, & laboribus proſequi, in detrimentum ipſarum Eccleſiarum, & dictorum Fratrum prejudicium non modicum, & gravamen. Quare pro parte ipſorum Cuſtodis, & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere eis ſuper premiſſis de opportuno remedio paterna diligentia curaremus. Nos igitur attendentes, quòd hujuſmodi pias defunctorum voluntates decet integrè adimplere, ac cupientes eiſdem Eccleſiis, ac Cuſtodibus, & Fratribus ſuper premiſſis, quantùm cum Deo poſſumus, de opportuno remedio providere: Auctoritate Apoſtolica tenore preſentium ſtatuimus, & etiam ordinamus, quòd dilecti filii in ſpiritualibus, & temporalibus Judices ordinarii, qui in predicta Civitate ſunt, & erunt pro tempore, quilibet eorum videlicèt in foro ſuo, in quibuſcumque cauſis, quæ per eoſdem Cuſtodes Altarium, vel eorum Procuratores legitimos ſuper hujuſmodi legatis, ſeu relictis contra quaſcumque perſonas dictarum Civitatis & Diœceſis de cætero

move-

movebuntur, procedere poſſint, & debeant ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu, & figura judicii, & nihilominùs eiſdem Judicibus præſentium tenore mandamus, quatenùs omnes, & ſingulas hujuſmodi cauſas infra duorum menſium ſpatium, poſtquam per publica inſtrumenta, vel teſtes legitimos, ſeu alia legitima documenta eis conſtiterit, quòd legata, ſeu relicta hujuſmodi pręfatis Eccleſiis, vel Cuſtodibus, ut pręfertur, legitimè facta fuerint, & debentur, eiſdem, prout ad ipſorum ſpectat officium debito fine decidant, facientes quod decreverunt auctoritate noſtra per debita juris remedia firmiter obſervari, non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus dictæ Communitatis, ac Apoſtolicis, & aliis Conſtitutionibus contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omninò, &c. noſtræ Conſtitutionis, ordinationis, & mandati, &c. Si quis autem, &c. Datum Avenion. 4. Id. Januarii, Pontificatûs noſtri Anno quinto.

Plumbea Bulla ſerico ducta Laqueo.

G. de Florentia.

Eo anno adhuc Portiuncula erat Fratrum Minorum Conventu. Aſſiſii.

Benedictus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Venerabili Fratri Nicolao Epiſcopo Aſſiſiat. Noſtro in Spiritualibus in Urbe Vicario.

INter curas multiplices, quas injunctum Nobis deſuper officium Apoſtolicæ ſervitutis indicit, illa ſollicitat potiſſimùm mentem noſtram, ut providere quantùm nobis ex alto permittitur, procuremus, quòd Urbs Romana, in qua noſtri Sedem Apoſtolicam cœleſtis diſpenſatio ſtatuit, & firmavit Eccleſiæ fundamenta, pacis ubertate gaudeat, & ad ſalutaria dirigatur, fideleſquè degentes ibidem, quorum nobis cura imminere ſpecialiter noſcitur, alimentis ſpiritualibus non fraudentur. Sanè cùm ſicut ad nos perlatum extitit his diebus, B.M. Joannes Epiſcopus Anagninus, noſter in eadem Urbe in Spiritualibus Vicarius, pridem fuerit in partibus illis viam univerſæ carnis ingreſſus, nos proſpicere ſalubriter ſuper his paternæ ſollicitudinis ſtudio cupientes, & ad te, quæ literarum ſcientia, puritate fidelitatis, maturitate diſcretionis, morum, & probitatis honeſtate, aliiſquè virtutum meritis adjuvari confidimus, noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, te in Urbe ſupradicta, ejuſquè ſuburbiis, & diſtrictu, Vicarium noſtrum in Spiritualibus, tenore pręſentium conſtituimus, ac deputamus. Viſitandi Eccleſias, Monaſteria, & loca Eccleſiaſtica ſæcularia, & Regularia quorumcumquè Ordinum non exempta, nec privilegiata, & tàm Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum ipſorum, quàm alias perſonas Eccleſiaſticas Urbis, ſuburbiorum, & diſtrictus prędictorum cujuſcumque ſtatus, Ordinis, vel conditionis exiſtant. Necnon reformandi quæ in eis reformationis miniſterio noveris indigere, ac earum, & cujuſlibet ipſarum exceſſus, & crimina corrigendi, & puniendi, aliaquè

faciendi,

faciendi, & exercendi, auctoritate noſtra, quæ ad hujuſmodi Vicariatûs officium pertinere noſcuntur. Contradictores quoque per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, Non obſtante, ſi aliquibus communiter, vel diviſim, &c. per literas Apoſtolicas non facientes mentionem, &c. Tibi facultatem plenariam concedentes. Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, &c. Datum Avenione 17. Kal. Maii, Pontificatûs noſtri Anno ſeptimo.

Refertur à Vuad. t. 3. In Reg. Pont. pag. 260. qui etiam priùs pag. 258. affert Bullam, qua idem F. Nicolaus de Aſſiſio fuit electus Epiſcopus.

Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſal. & Apoſt. bened.

LIcèt is, de cujus munere venit, &c. Cupientes igitur, ut Capella Sanctæ Catharinæ, ſita in Eccleſia domûs Fratrum Ordinis Minorum Aſſiſiat. congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eò libentiùs cauſa devotionis confluant ad eamdem Capellam, & ad conſervationem ipſius manus promptiùs porrigant adjutrices, quò ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberiùs conſpexerint ſe refectos; de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in feſto Dedicationis ejuſdem Capellæ, Capellam ipſam devotè viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem, hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ut præfertur, quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quòd ſi aliàs viſitantibus dictam Capellam, vel ad ejus conſervationem manus porrigentibus adjutrices, ſeu aliàs inibi pias eleëmoſynas erogantibus, aut aliàs aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit, præſentes Literæ nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Peruſii 2. Kalend. Novembris, Pontificatûs noſtri Anno tertio.

Sigillum plumbeum.

Pro B. De Fontanellis.

F. J. De Cherubinis.

Boni-

Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus, &c.

Eccleſiarum, & piorum locorum fabricis manus porrigere adjutrices pium apud Deum, & meritorium reputantes, nonnunquam Chriſti fideles ad impendendum Eccleſiis, & locis ipſis auxilium noſtris exhortationibus invitamus, & ut ad id cò promptiùs animentur, quò ex hoc majus animarum commodum ſe ſperaverint adepturos, pluresque pro iis temporalibus ſubſidiis ſpiritualia eis munera, remiſſiones videlicèt, & Indulgentias elargimur. Cum itaque ſicut tam ex fide dignorum teſtimoniis, quàm etiam propria experientia probante ex parte didicimus, Eccleſia domus Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Aſſiſiat. tam pro conſervatione ſtructuræ, quàm etiam pro victu, & aliis neceſſariis Fratrum dicti Ordinis in ipſa domo degentium, & ad eam confluentium magnis indigeant profluviis expenſarum; &, quia ob malam temporis conditionem longè pauciores ſolito, imò quodammodo illis nullæ eleemoſynæ fiunt, ubi temporibus retro actis domus prædicta numeroſitate Fratrum, Sacræ Religionis obſervantia, ac divinorum eximia celebratione florere conſuevit; nunc Fratres admodum pauci, religiosè tamen viventes, in ea etiam cum penuria magna, ac defectibus ferè valeant ſuſtentari; & niſi ſuper hoc de celeri, & expedienti remedio ſuccurratur, ſit veriſimiliter dubitandum, quòd ipſa domus in deterius paſſim prolabatur. Nos cupientes ſuper iis ea ſubventione, qua ad præſens poſſumus, providere, univerſitatem veſtram attentè monemus, requirimus, & hortamur, vobis in remiſſionem veſtrorum peccaminum nihilominus injungentes, quatenus de bonis, vobis à Deo collatis ad conſervationem ſtructuræ, & ſuſtentationem Fratrum hujuſmodi pias eleemoſynas, & grata charitatis ſubſidia erogetis, ut per ſubventionem veſtram conſulatur; & vos per hæc, & alia bona, quæ Domino inſpirante feceritis, ad æternæ poſſitis felicitatis gaudia pervenire: nos enim de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad conſervationem, & ſuſtentationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſeptem annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Præſentes autem literas mitti per quaſtuarios diſtrictiùs inhibemus, eas, ſi ſecus actum fuerit, carere viribus decernentes. Datum Aſſiſii, 5. Kal. Septembris Pont. noſtri anno 4.

Locus Plumbei ſigilli.

Gratis pro Deo de mandato
D. Papæ. Franciſcus.

Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Ad Futuram Rei Memoriam.

APoſtolicæ Sedis circumſpecta ſolertia ad id libenter intendit, ut Sedis ejuſdem privilegia, rationabilibus ex cauſis conceſſa, ſi forſan vetuſtate, aut negligentia conſumantur, cum illud debitè requiritur, innovatione reſtauret, & authoritate fulciat innovata. Sanè dudum fel. rec. Alexander Papa IV. prædeceſſor noſter Cuſtodi Fratrum Ord. Minorum, in domo Fratrum S. Franciſci Aſſiſiat. pro tempore exiſtenti, per ſuas literas conceſſit, ut eorum omnium, qui de remotis partibus ad Eccleſiam dictæ domus cauſa devotionis accederent, & ſuorum nequirent habere copiam ſacerdotum, cum dictus Cuſtos ab ipſis requiſitus foret, ipſe, & Fratres prædicti Ordinis, tàm in ipſo loco morantes, quàm etiam venientes undecunque, quibus id duceret committendum, confeſſiones audire valerent, & eis pro commiſſis injungere pœnitentiam ſalutarem: niſi fortè talia commiſiſſent, propter quæ Sedes prædicta eſſet meritò conſulenda, prout in eiſdem literis plenius continetur. Quare pro parte dilectorum filiorum Cuſtodis, & Fratrum domus ejuſdem nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum hujuſmodi literæ incipiant vetuſtate conſumi, eas innovare de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati prædictas literas, quas in noſtra Cancellaria diligenter conſpici, & quarum tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum cuique de novo jus acquiri volumus, ſed antiquum tantum conſervari. Tenor verò dictarum literarum talis eſt. Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Cuſtodi Fratrum de Ordine Minorum Eccleſiæ S. Franciſci Aſſiſiat. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Pro reverentia Beati Franciſci, &c. ut ſupra, inter Bullas dicti Alex. IV. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam innovationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Aſſiſii, 5. Kal. Septembris Pontificatus noſtri anno quarto,

Plumbeum ſigillum.

Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei,

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

DUm ad merita B. Franciſci, cujus Ordo Sacer, videlicet Fratrum Minorum in pomario militantis Eccleſiæ plantatus ab ipſo primordio uberes, & commendabiles fructus produxit ſemper, producit, ac producet, dante Domino, in futurum. Dum etiam ad eximiam devotionem,

quam

quam fidelis populus Chriſtianus ad Eccleſiam ejuſdem Sancti in noſtra Civitate Aſſiſiat. conſiſtentem, & inſigni ſtructura percelebrem, in qua etiam Corpus dicti Sancti venerabiliter requieſcit, habere dignoſcitur, intuitum paternæ conſiderationis dirigimus: inducimur non indignè, ut Eccleſiam ipſam, necnon domum Fratrum dicti Ordinis, propè ſitam, ſpecialibus prærogativis, & favoribus decoremus, ut Cuſtos, & Fratres in dicta domo degentes quietiùs Deo ſervire, & onera incumbentia meliùs valeant ſupportare; Attendentes igitur quòd, ſicut etiam ipſa probante experientia, ex parte didicimus, Eccleſia, ac domus prædictæ, tàm pro conſervatione hujuſmodi ſtructuræ, quàm etiam pro victu, & aliis neceſſariis in ipſa domo degentium, ac ſuſceptione, ac recreatione ad eam ſupervenientium Fratrum dicti Ordinis, magnis indigent profluviis expenſarum: & cum ipſi Fratres ob malam temporum conditionem longè ſint pauciores ſolito, & quodammodo nullæ eleemoſynæ illis fiant, ubi temporibus retroactis domus prædicta numeroſitate Fratrum, Sacræ Religionis obſervantia, ac divinorum eximia celebratione florere conſuevit; nunc Fratres admodum pauci (religiosè tamen viventes) in ea ſuſtentari, etiam cum penuria magna, ac defectibus ferè poſſint: & ſuper dictis Cuſtodi, & Fratribus providere de alicujus ſubventionis præſidio cupientes, eorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, domum prædictam, cum ſuis membris, ac juribus, & pertinentiis ab omnibus, & ſingulis impoſitionibus, & collectis, per Generalem, & Provincialem Miniſtros, & alios Prælatos, & Superiores pro tempore exiſtentes, nec non Generalia, & Provincialia Capitula, etiam pro tempore celebranda, ac ſtatuta dicti Ordinis edita, & edenda, quorumcumque tenorum fuerint de cœtero imponendis; auctoritate Apoſtolica, de ſpeciali gratia, præſentium tenore in perpetuum eximimus, & totaliter liberamus. Decernentes ex nunc, quoſcunque proceſſus, & ſententias contra præſentem exemptionem, & liberationem, quavis auctoritate forſan habendos, & ferendos irritos, & inanes. Nulli ergo omnino, &c. noſtræ exemptionis, liberationis, & conſtitutionis infringere, vel ei, &c. Si quis autem, &c. Datum Aſſiſii 5. Kal. Septembris Pont. noſtri anno 4.

Plumbeum ſignum ſerico traductum vinculo.

Supplicata.
Gratis pro Deo de mandato D. PP.
Franciſcus.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilecto filio Generali Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum. ſal. & Apoſt. ben.

PRoviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quòd nos tenorem quarumdam literarum fel. rec. Martini Papæ V. prædeceſſoris noſtri in regeſto ipſius prædeceſſoris repertum, pro eo, quòd, ſicut exhibita nobis nuper pro parte ſua petitio con-

tinebat, prædictæ originales literæ caſualiter ſunt deperditæ, de regeſto ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad tuæ petitionis inſtantiam, præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt. Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Generali Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad ſtatum Ordinis Fratrum Minorum proſperè conſervandum curam noſtræ ſollicitudinis dirigentes, ea libenter tibi concedimus, per quæ commoditatibus ipſius Ordinis, & Fratrum in eo degentium, ut divinis obſequiis intentiùs vacare poſſint, neceſſitatibus ſuccurratur. Sanè cum poſſeſſiones, & alia quàmplura bona mobilia, & immobilia, tàm per fidelium oblationes, donationes, & ultimas decedentium voluntates, quàm aliàs multipliciter diverſis Conventibus, & locis dicti Ordinis pro ipſorum ſuſtentatione, & divini cultus obſequiis ſunt hactenus relicta, eorumque uſui deputata, & relinqui ſperetur etiam in futurum; Nos volentes Conventuum, locorum, & Fratrum hujuſmodi opportunitatibus providere, donec aliud per Sedem Apoſtolicam fuerit ordinatum, concedimus Procuratoribus Conventuum, & locorum dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus, ut poſſeſſiones, & bona quæcumque mobilia, & immobilia, ac annuos proventus hactenus præfato Ordini, & ejus Conventibus relicta, & in poſterum relinquenda, aut aliis nominibus acquiſita, vice, & nomine Romanæ Eccleſiæ, ad quam omnium rerum mobilium, & immobilium hujuſmodi jus proprietas, & dominium nullo ſpectat medio: recipere, tenere, & poſſidere, ac ipſorum fructus, redditus, & proventus petere, exigere, & percipere, illoſque in commodum, & utilitatem Fratrum, & Conventuum, ac locorum, & aliàs in eos uſus, quibus relicta, & deputata fuerunt dumtaxat, & de ipſorum Fratrum conſilio, requiſitione, & aſſenſu convertere, & exponere poſſint, ac debeant. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, declarationibus, & ordinationibus tàm Generalium, quàm Provincialium Capitulorum, conſuetudinibus quoque Ordinis prædicti, ac aliis in contrarium editis, non obſtantibus; &c. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos 10. Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

Cœterum, ut earumdem literarum tenor prædictus ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eumdemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales literæ ſupradictæ, & eadem eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubicumque in judicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo omnino, &c. noſtræ conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel, &c. Si quis autem, &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1440. Quinto Id. Non. Pont. noſtri anno 10.

Sigillum Plumbeum.

M. de Boſſis.
Jo: de Mata.

Bonannus.

Nico-

Digitized by Google

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

QUæ pro perſonarum Eccleſiaſticarum, & piorum locorum commodo, & utilitate laudabili, ac provida prædeceſſorum noſtrorum ordinatione ſtatuta ſunt, opportunis decet favoribus proſequi, & efficacem operam adhibere circa obſervantiam earumdem. Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Cuſtodis, & Fratrum Ordinis Minorum Aſſiſiat. literæ fel. rec. Gregorii Papæ XI. prædeceſſoris noſtri emanarunt tenoris ſubſequentis.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, Sedes Apoſtolica pia Mater, &c. ſequitur totus tenor earum, ut ſupra, uſque ad Datum Avenion. 4. Id. Jun. Pontificatus noſtri anno quinto. Et ſubdit Nicolaus.

Cum autem ſicut exhibita nobis nuper pro parte Cuſtodis, & Fratrum prędictorum petitio continebat, Judices, in præinſertis literis deſignati, Juſtitiam Cuſtodi, & Fratribus ſuper legatis hujuſmodi infra dictum terminum duorum menſium juxta ſtatutum, ordinationem, & mandatum dicti prædeceſſoris perſępè miniſtrare differant, & recuſent legitimè requiſiti. Nos igitur ſtatui, & indemnitatibus, ac quieti, & tranquillitati eorumdem Cuſtodis, & Fratrum ſuper hoc opportunè providere cupientes, literas prædictas cum omnibus ſtatuti, ordinationis, & mandati, ac omnium in eis contentorum clauſulis, tenore præſentium innovamus, approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, volentes, & Apoſtolica auctoritate ſtatuentes, quòd ille ex dictis Judicibus, qui infra dictos duos menſes, juxta dicti prædeceſſoris literarum formam, & tenorem, eiſdem Cuſtodi, & Fratribus, ſeu eorum Procuratori Juſtitiam miniſtrare ceſſaverit, ſeu diſtulerit legitimè requiſitus, pœnam viginti quinque florenorum auri de Camera, Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, pro qualibet vice, qua, ut præfertur, non miniſtraverit, incurrat. Ità quòd, ſi Poteſtas dictæ Civitatis pro tempore exiſtens, quoties Cuſtos, & Fratres prædicti ſuper hoc ſibi conqueſti fuerint, tot de ſalario, & ſtipendiis dicti Poteſtatis, quòd ad ſummam perveniat, & pœnam, quàm idem Poteſtas incurrerit debeat recipere, & retinere. Si verò Judex Eccleſiaſticus, videlicet Ordinarius, vel ejus in ſpiritualibus Vicarius, aut officialis pœnam hujuſmodi incurrerit, Gubernator, vel Theſaurarius per Sedem Apoſtolicam in partibus illis deputatus ſummam ipſam ab eo exigere, & extorquere ad uſus, & proprietatem Cameræ Apoſtolicæ convertere, & applicare debeant, ac teneantur, ſuper quibus eiſdem Gubernatori, Theſaurario, & Maſſario præfatos Judices cogendi, compellendi, & nanciſcendi plenam concedimus licentiam, pariter, & facultatem. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; non obſtantibus omnibus illis, quæ idem prædeceſſor in præinſertis ſuis literis voluit non obſtare, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi Judicibus Eccleſiaſticis, aut ſæcularibus præfatis, vel quibuſvis a iis communiter, vel diviſim à Sede Apoſtolica ſit indultum, quòd ad ſolutionem, vel

præ-

præſtationem alicujus pœnæ pecuniariæ alicui faciendæ cogi, aut compelli valeant per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino, &c. noſtræ innovationis, approbationis, & commonitionis, ac ſtatuti, & voluntatis infringere, vel &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1449. quinto Kal. Februar. Pontific. noſtri anno 3.

Pendet ſerico vinculo confixum Plumbeum ſignum.

Gratis de mandato D. P.
Gabriel.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Venerabili Fratri Epiſcopo Aſſiſiat. ſal. & Apoſt. bened.

Piis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Cuſtodis, & Conventus Domus S. Franciſci Aſſiſiat. Ordinis Fratrum Minorum petitio continebat, quòd licèt Platea ſita ante Eccleſiam domus prædictæ ad dictam domum legitimè pertineat, tamen dilecti filii Cives, ſeu Commune Civitatis noſtræ Aſſiſiat. temporibus, quibus multi Chriſti fideles Indulgentiarum cauſa de diverſis mundi partibus ad eamdem eccleſiam confluunt, ſitus apothecarum, quæ in dicta Platea præmiſſis temporibus eriguntur, locant, vel vendunt, pretiaque, ſeu penſiones in proprias utilitates convertunt, & inter ſe diſtribuunt, & indebitè partiuntur. Cùm autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfata domus plurima reparatione indigeat, & ad reparationem hujuſmodi Chriſti fidelium eleemoſynæ, aut facultates aliæ dictæ domus minimè ſuppetant; pro parte Cuſtodis, & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pretia, & penſiones ex apothecarum ſitibus hujuſmodi proventura, de cætero in reparationem dictæ domus converti, illaque domui præfatæ propterea applicari mandare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vocatis Civibus prædictis, & aliis, qui fuerint evocandi, de præmiſſis vobis legitimè conſtiterit, pretia, ſeu penſiones hujuſmodi præfatæ domui pro illius reparatione in perpetuum applices. Non obſtantibus contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarn. Dom. 1450. 17. Kal. Febr. Pont. noſtri anno quarto.

Funiculo Canap. pendet Bulla.

Gratis de mandato D. P.
H. Gen. Folctus.

P. de Spinoſis.

Inno-

INNOCENTIUS PAPA IV.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

OLim à gentilium oculis tenebrarum deterſa caligine, & ab eorum cordibus infidelitatis gelidæ hyeme ſecedente, vernalis ex eo ſucceſſit amœnitas redolentium florum, venuſtate decora, quod Eccleſiæ, prius deſertæ, ac ſterili, filii devotione præcipui, valloque conſtantiæ præmuniti, naſcuntur, qui, ut flores primævi, & diffuſam ſpirant ſuavitatem odoris, & uberioris per Dei gratiam fructum ſibi proferunt honeſtatis. Sicque filiorum ſibi multitudine proveniente innumera, ſuique loco à mari uſque ad mare tentorii dilatatio infra ipſius invaluit terminos, vox turturis, gemitus, ac doloris, dum ſæva miteſcens tyrannorum crudelitas, idolis exterminio traditis, ad lamenta pœnitentiæ ſuffragante illo, cujus ſtupenda ſunt opera, mirificè ſe convertit. Gaudeat itaque ob hoc ipſa Eccleſia, quæ probroſæ detrimenta ſterilitatis abjiciens, ſalutaris incrementa fertilitatis ſuſcepit, ac nuptiali fœdere nunc illi gratioſa conjungitur, à quo priuſquam eſſet aſſumpta de gentibus, invenerat ſe deſertam. Lætetur igitur, æmulæque ſuæ de terreſtri etiam ejectæ Hieruſalem, Synagogæ videlicet, dudum ſibi hujuſmodi ſterilitatis incommoda impingenti, ſecura reſpondeat, quod jam ſuæ prolis fœcunditate, Cœleſtis mari Hieruſalem cicatrix obducitur, & quæ antiqui habitatores vacua domicilia reliquerunt, ipſa ſuæ univerſitatis illuſtrat præſentia fœlici.

§. I. Porrò ne hujuſmodi exuberante lætitia, quiſpiam in valle miſeriæ morientium terra, requiem poſſet ſibi polliceri continuam, cujus vita eſt, adverſus inimicorum ingruentia bella exterorum caſtra, militia ſuper terram, ac ne prædicta Eccleſia, quæ Mater eſt cunctorum fidelium, maternæ conditionis expers exiſteret, ſi ſolitas, præſertim in partu quorundam filiorum ſuorum, matrum parientium moleſtias non ſubiret, interdum inſtauratur quodammodo ſibi adverſitas opportuna. Sicut in paſſione piæ memoriæ B. Staniſlai Cracovien. Epiſcopi, cujus meritis præfata refulget Eccleſia, patuit evidenter, cum enim idem, in ſortem Pontificalis miniſterii digné vocatus à Domino, ſuper gregis ſibi commiſſi prudenter cuſtodiam vigilaret, hoſtium ſagaciter exploravit inſidias, malignantium anticipavit conſilia, æmulique noſtri depræhendens laqueos, ipſius cautè retiacula diſſolvebat. Hic nempè pro ſuis ovibus cor ſuum tradiderat ad vigilandum diluculo, ut ſi quem gravi fortè deprahenderet tentatione concuſſum, mox ubere conſolationis adhibito, cum erigeret deſolatum; & quem in bono proficientem adverteret, cum gratulationis ubere protinus confortaret. Ut non minus per hoc defi-

cientibus, quàm proficientibus ſubditis, ſe claris indiciis oſtenderet eſſe matrem. Verùm cum non ſine internæ mentis anguſtia Regem Polonorum nomine Boleſlaum, in tantum horrendis voluptatibus ſubjici, carniſque nefandis illecebris cerneret enervari, ut in paſſiones ignominiæ traditus, & inhumanis contumeliis afficiens corpus, mulierum mamillis, avulſis propriis exinde liberis, catulos apponeret miſerabiliter educandos, ne execraretur præfatus Pontifex per diſſimulationem favere, poſtquam ipſum à præmiſſis flagitiis, ſedula, & paterna correctione evocare non potuit, in ipſum conſultè medicinalem Petri gladium exercuit in ſpiritu lenitatis. Sperans, ut percuſſus dolens, ad percutientem ſe in humilitate rediret, Dominum exercituum ſuppliciter requirendo.

§. II. Sed ipſe indurato corde medicinam exhorrens, & increpationem abominans diſciplinæ, imò malleum, velut ſtipulam reputans, non ſolùm nulla pœnitudine ſe correxit, verùm etiam ad pejora in ſuæ dominationis cumulum provocatus, juxta aram, non ordini, non loco, nec tempori deferens, juſſit Pontificalibus indutum Antiſtitem per ſuos ſatellites diris corporis cruciatibus deputari.

§. III. Sed ipſi quoties in eum irruere tentant, toties compuncti, toties manſueti ſunt proſtrati.

§. IV. Et tunc idem Rex, ſuæ inſerviens impetuoſiùs tyrrannidi, manus in eum convertit ſacrilegas, ſponſum è gremio ſponſæ, paſtorem abſtrahit ab ovili, patrem inter filiæ amplexus, & filium in viſceribos penè obtruncavit maternis; faciens irritatus atrocitate ferali, ipſius (proh dolor) corpus inhumaniter in fruſta concidi, velut ſingulis membrorum partibus penæ inflictio deberetur. ſed ille, apud quem patientia pauperum non peribit in finem, non ſolum rutilantibus hujus Sanctiſſimi Corporis partes ſplendoribus illuſtravit, verùm etiam ipſum nullo in eo cicatricis apparente veſtigio, integritati reſtituens, aquilarum ſuarum præſidio miraculosè à ferarum morſibus præſervavit. Guſtato denique acerrimo, ob zelum juſtitiæ, calice paſſionis, cum ab eodem Tyranno totaliter putaretur conſumptus, ecce ut lucifer oritur, & quaſi meridianus fulgor in firmamento conſurgit, propter quod ejus faciem nonnulli in ſuis neceſſitatibus devotiſſimè deprecantur. Ipſe quidem defoſſus ſecurus dormit, requieſcit, & non eſt qui jam ipſum exterreat. Nec mirum, quia Civitatem illam honoris, & gloriæ corona inſignitus inhabitat, ubi eſt manſio ſecura, populus ſine murmure, ac patria totum id continens, quod delectat.

§. V. Verum ne militans Eccleſia de tali, ac tanto patrono ſic atrociter ſibi ſubtracto, inconſolabilirer quaſi gemitus ſingultuoſos emitteret, ſi beneficiorum ipſius affluentia eam non contingeret ſæpiùs delectabiliter irrigari, ecce glorioſus in Sanctis ſuis Dominus, volens ejuſdem patris plenitudinem gloriosè inditiis exprimere manifeſtis, & præſtolanti Eccleſiæ grata conferre ſuper hoc recreationis remedia, tot, & tantis fecit ipſum famoſis miraculis coruſcare (de quibus facta nobis, & fratribus noſtris prout debuit per teſtes idoneos plena fides exitit) quod ejus inter Sanctos cœteros implorare ſubſidium, reputavimus meritò non indignum. Nam mortuis vita, lumen cœcis, auditus ſurdis, verbum mutis, claudis greſſus, epilectis ſpiritibus corporum requies, ad ejus invocationem nominis, Cœleſti dextera ſubitò conferuntur.

§. VI. Propter quod, ne hujus rutilantem lucernam ſub modio periculosè abſcondi contingeret, quam idem Dominus tot mirificis ſignis rectè diſpoſuit ſuper Eccleſiæ Candelabrum honorificè collocari, præſertim cum ex hoc igno-

ran-

Digitized by Google

rantium Deum propellantur tenebræ, confundatur perverſum hæreticorum dogma, & fidelium beata credulitas augeatur; Noſtrorum fratrum, necnon & Prælatorum tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium communicato conſilio, prædictum B. Stanislaum Epiſcopum dignè Sanctorum Catalogo duximus aſcribendum.

§. VII. Quocirca Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus 8. Idus Maii (die videlicet, quo mortis abſolutus vinculo, victurus perenniter, ad fontem supernæ prodiit voluptatis) feſtum ejuſdem, prout miranda ipſius meritorum magnitudo exigit, celebretis, & faciatis ſolemniter celebrari. Ut id vobis de theſauris cœleſtibus ejus pia interceſſione proveniat, quod ipſe, præſtante CHRISTO, percepiſſe dignoſcitur, & poſſidere perpetuò gloriatur.

§. VIII. Cœterùm ut Univerſitati fidelium inviſibilis aulæ conſequendi delicias ex conceſſa nobis poteſtate deſuper propitiante Domino ſit facultas, quinimò & ut nomen exaltetur Altiſſimi, ſi ſponte ſuam Venerabilem ſepulturam fidelium procuremus acceſſibus frequentari, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad dictam ſepulturam in memorato feſto, & uſque ad octavam ipſius, cauſa devotionis acceſſerint annuatim, ipſius ſuffragia petituri, de Omnipotentis Dei, &c. unum annum, & quadraginta dies, accedentibus verò annis ſingulis ad prædictam ſepulturam infra ejuſdem feſti quindenam, quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus.

Datum Aſſiſii XV. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno undecimo.

NICOLAUS PAPA V.

Dilectis filiis Cuſtodi, & Fratribus Conventus Aſſiſii Ordinis Minorum.

MAndavimus dudum vobis per Breve noſtrum ſub certis gravibus pœnis, ut de pecuniis perventuris ad manus Procuratoris veſtri Conventus, ex oblationibus factis, & fiendis ſuper Altare B. Mariæ de Angelis Aſſiſiat. Diœc. Fratribus Sanctæ Mariæ prædictæ pro ædificatione certi eorum dormitorii ſolveretis florenos auri de Camera trecentos. Poſtmodum intelleximus, quòd hactenus dictis Fratribus florenos centum perſolviſtis, quòdque ſi etiam reliqui ducenti ſolverentur, cederet in magnum præjudicium veſtri loci, & ſtructurarum ipſius, ad quorum reparationem intenditis, & pluribus ad id pecuniis egetis. Et propterea fuit pro parte veſtra nobis inſtantiſſimè ſupplicatum, ut vos, ac locum, & Conventum præfatum ab hujuſmodi ſolutione ducentorum florenorum liberare, & penitus abſolvere dignaremur. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, mandatum vobis factum, & Breve ad vos directum, harum ſerie revocantes, ac nullius eſſe roboris, vel momenti decernentes, vos à dicta ſolutione ducentorum florenorum, & à pœnis, ac excommunicationis, & ſuſpenſionis ſententiis, in

quas propter ipſam ſolutionem non factam forſan incurriſtis, prorſus liberamus, & abſolvimus; per præſentes mandantes, ut prædicti Brevis vigore, nihil de cœtero ſolvatis Fratribus Sanctæ Mariæ præfatis. Sed dictos florenos ducentos, ex hujuſmodi oblationibus perventuros, in utilitatem, & reparationem dicti Conventus, prout vobis neceſſarium fuerit, convertatis. Brevi prædicto, & quocunque alio indulto Apoſtolico in contrarium edito, cœteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 26. Februarii, 1454. Pontificatus noſtri anno 7.

Extra ſigillum in cera rubea.

P. Lunenſis.

Caliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

DEcet, & convenit noſtræ proviſionis ſtudio prævenire, ut Eccleſia Sancti Franciſci Aſſiſiat. Ordinis Fratrum Minorum, in qua glorioſum Corpus ejuſdem Sancti requieſcit, ſumptuoſo opere fabricata, unà cum Conventu, & aliis adjacentibus ædificiis, in ſtructuris, & ædificiis ipſis nullo modo defectum patiatur, ſed continua reparationis, manutentionis, & conſervationis remedia, ac incrementa ſuſcipiat. Conſiderantes igitur, quòd ad præmiſſa dictæ Eccleſiæ, ac dilectorum filiorum Fratrum ejuſdem Conventus propriæ deſunt facultates, ac attendentes, quòd ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Portiuncula Ordinis prædicti de Obſervantia Aſſiſiat. Diœc. devotionis cauſa magna Chriſti fidelium utriuſque ſexus confluit multitudo, ex cujus ſuffragiis, & piis largitionibus circa alias neceſſitates ædificiorum, & domorum memorata Eccleſia S. Franciſci juvari, ac ſuſtentari poteſt. Nos opportunè providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia volumus, & auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus, ſtatuimus, & ordinamus, quòd omnes, & ſingulæ pecuniariæ cujuſcunque generis monetarum oblationes, quas deinceps in dicta Eccleſia de Portiuncula pro tempore fieri contigerit, cedere, & applicari debeant fabricæ, & reparationi præfatæ Eccleſiæ S. Franciſci, illæque Procuratori pro tempore exiſtenti, Fratrum, & Conventus eorumdem conſilio, in fabricam, ac reparationem, manutentionem, & conſervationem ipſius Eccleſiæ, & ædificiorum prædictorum tantùm fideliter convertendæ, realiter, & cum effectu aſſignentur. Qui quidem Procurator oblationes ipſas ſibi aſſignatas in idem opus integrè exponere, necnon de receptis, & expoſitis hujuſmodi, ſicut de aliis introitibus dictorum Eccleſiæ, & Conventus ad ejus manus pro tempore pervenientibus facere conſuevit, rationem, & computum ſingulis annis reddere debeat, ac etiam teneatur. Quodque

que de pecuniariis oblationibus hujuſmodi præſentis Anni 1457. in feſto Aſſumptionis B. Virginis Mariæ proximè præterito incepti, & ut continuò ſequitur, finiendi, eidem Procuratori pro dicto opere, ut præfertur, aſſignandis, detrahi, & retineri debeant quadraginta Ducati, pro hac vice dumtaxat in uſus, & utilitatem præfatæ Eccleſiæ de Portiuncula convertendi; quos quidem quadraginta ducatos, ex prædictis oblationibus pecuniariis jam perventis, & apud Bartholomæum Petri Civem Aſſiſiat. depoſitis, Procuratori dictorum Fratrum, & Conventus de Portiuncula ad omnem ejuſdem Guardiani requiſitionem volumus, & mandamus per præfatum Depoſitarium aſſignari. Cœterum ne pecuniariæ oblationes hujuſmodi diſtrahi, aut diſſipari, ſeu minus debitè conſervari, aut negligentia, vel defectus committi quoquo modo in eis poſſint; dilecto filio Miniſtro Provinciæ dicti Ordinis, ac præfato Cuſtodi pro tempore exiſtentibus harum ſerie præcipiendo committimus, & mandamus, quatenus aliquem tertii Ordinis, aut alium Religioſum, vel ſecularem virum comprobatæ integritatis, & vitæ eligere, & deputare auctoritate noſtra procurent, qui oblationes eaſdem pecuniarias in foveam quamdam fideliter coadunare, juxta laudabilem hactenus approbatum morem, debeat; quas pecunias ſic collectas, Cuſtos pro tempore dictorum Fratrum, & Conventus, quando ſibi videbitur, per Procuratorem eorumdem inde liberè levare faciat, ad dicta opera, ut præmittitur, convertendas, cui ſuper hoc Guardianus pro tempore exiſtens præfatæ Eccleſiæ de Portiuncula aſſiſtere, & favere teneatur. De cera verò, quæ per fideles ſupradictos in eadem Eccleſia de Portiuncula ſingulis Indulgentiarum, ac præfatæ Aſſumptionis, & aliarum feſtivitatum diebus Anno quolibet pro tempore offertur, quantitas ducentarum ſexaginta librarum, videlicet, centum, & ſexaginta in Aſſumptionis prædictæ, & reliquarum, & centum librarum in Annuntiationis ejuſdem B. M. V. feſtivitatibus, per Fratres, qui tunc inibi morabuntur, præfato Cuſtodi, in uſus, & utilitatem dictæ Eccleſiæ S. Franciſci ſimiliter convertenda, debeat realiter, & cum effectu tradi, & etiam aſſignari: Quę omnia, & ſingula ſic, ut pręmittitur fieri, & adimpleri volumus, ac in virtute S. Obedientię ab omnibus inviolabiliter obſervari mandamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, ac eidem Eccleſię de Portiuncula, ejuſque domui, Conventui, & Fratribus ab Apoſtolica Sede, vel ejus Legatis, ſeu quibuſvis aliis, quavis auctoritate conceſſis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis, & expreſſa pręſentibus eſſet mentio facienda, cœteriſque contrariis quibuſcunque; quibus omnibus in hac parte expreſsè derogamus, eis aliàs in ſuo robore permanſuris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum voluntatis, conſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, mandati, & commiſſionis infringere, vel, &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ 1457. Id. Sept. Pontific. noſtri anno 3.

Pendet plumbea Bulla.

A. De Venetiis.

Solutio quadraginta ducatorum, à Prædicto Pontifice pro una vice tantum impoſita Cuſtodi S. Franciſci ab eo Guardiano de Obſervantia facienda, fuit revocata à Pio II. ejus ſucceſſore, ſicut limitatio Ceræ, ut ſequitur.

Dilectis filiis Cuſtodi, & Fratribus Ordinis Sancti Franciſci de Aſſiſio Ordinis Minorum.

PIUS PAPA SECUNDUS.

Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Vidimus literas fel. rec. Nicolai V. Papæ prædeceſſoris noſtri, quibus antiquam conſuetudinem, ad id temporis obſervatam, ſequutus, voluit, ſtatuit, & ordinavit de obventionibus, & oblationibus ceræ Capellæ S. Mariæ de Portiuncula, aliàs de Angelis dicti Ordinis Aſſiſiat. Diœc. omnem ceræ quantitatem die prima Auguſti à primis Veſperis, uſque ad ſecundas ſequentis diei, ac duobus aliis Annunciationis, & Aſſumptionis glorioſæ Virginis feſtivitatibus, ſivè tertiam partem ceræ per totum annum, eidem, & aliis domus ipſius Capellis provenientem, pro uſu ejuſdem Eccleſiæ S. Franciſci cedere, & integrè deberi perpetuis temporibus in futurum. Præmiſſis adjiciendo omnem pecuniarum ſummam eidem Capellæ provenientem, pro una in reparationem Eccleſiæ, & domus prædictarum, & pro alia medietatibus in eorumdem Cuſtodis, & Fratrum illic pro tempore degentium uſum penitus converti, pro ut in dictis literis, 14. Kal. Januarii 1452. Datis latiùs continetur. Vidimus etiam literas fel. rec. Caliſti Papæ III. etiam prædeceſſoris noſtri Id. Sept. 1457. datas, quibus voluit, & declaravit omnes pecunias Cuſtodi, & Fratribus ſupradictis Sanctæ Mariæ de Portiuncula per totum annum quomodolibet ex oblationibus obvenientes, cedere, & applicari fabricæ, & reparationi præfatæ Eccleſiæ S. Franciſci, præter ducatos quadraginta, qui eo anno tantùm, & ea vice darentur Eccleſiæ S.M. de Portiuncula: ceræ autem oblationum totius anni dictæ Eccleſiæ S. M. factarum quantitas ducentarum ſexaginta librarum eidem S. Franciſci Eccleſiæ perpetuò conſignaretur: prout in dictis etiam prædeceſſoris Caliſti literis latiùs continetur. Nos itaque habita diligenti utriuſque Eccleſiæ conditionis, & Fratrum in illis degentium informatione; bono, & laudabili reſpectu, primas Nicolai prædeceſſoris primi literas auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmantes, & ſervari præcipientes, atque mandantes; ſecundas Caliſti prædeceſſoris ſecundi ante dictas penitus revocamus, & nullius eſſe volumus valoris, & momenti. Datum Florentiæ apud S. Mariam Novellam ſub annulo Piſcatoris, primo Maii 1459. Pontificatus noſtri anno primo.

Extra ſigillum in cera rubra.

Blondus.

Sixtus

Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

AD inſignem, venerandamque Eccleſiam Domus S. Franciſci Aſſiſiat. Ordinis Fratrum Minorum, veluti noſtræ peregrinationis alumnam, paternæ conſiderationis aciem extendentes, circa ea, per quæ ipſius ſtructuræ, & ædificia reparari, & conſervari valeant, noſtræ proviſionis opem, & operam impendimus efficaces. Sanè pro parte dilectorum filiorum Cuſtodis, & Fratrum dictæ domus, nobis fuit nuper expoſitum, quòd domus prædicta, quæ ipſius Ordinis CAPUT eſt, & quam tunc ad miſerabilem tendentem ruinam, à fundamentis nuperrimè reparari, & inſtaurari fecimus opere ſumptuoſo, propter ipſius domus, & ipſius Eccleſiæ amplitudinem, ac etiam venuſtatem, in ſuis tectis, ſtructuris, & ædificio adhuc inſtauratione, & reparatione continua indigere dignoſcitur, ad quam ſubeundam, & ne Sanctorum imagines, Sculpturæ, atque picturæ ornatiſſimæ, quibùs plurimùm decora eſt, caducæ fiant, ipſius Domus non ſuppetunt facultates, præſertim cum piæ fidelium deſint eleemoſynæ, olim in Capella domus S. Mariæ de Angelis extra muros Aſſiſiat. provenientes; pro ſupplendis præmiſſis, & aliis ad divinum cultum neceſſariis, ac etiam Sacriſtiæ dictæ Eccleſiæ paramentis, & ornamentis Eccleſiaſticis deputatæ, quæ, temporum cauſante malitia, decreſcunt, & diminuuntur in dies, in ipſius Domus S. Franciſci magnum detrimentum. Quare pro parte Cuſtodis, & Fratrum prædictorum fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut more pii Patris, cujus immenſa Charitas filiorum incommoda ſublevare non ceſſat, eis, eorumque, & dictæ domus neceſſitatibus in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Ordinem, Eccleſiam, & Domum prædictas paterna dilectione complectimur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica præſentium tenore ſtatuimus, & ordinamus, quòd ex nunc in antea, perpetuis futuris temporibus, de quibuſcumque pecuniarum ſummis, tam ordinariè, quam extraordinariè ſolvendis, quæ Prioribus, Poteſtati, & illorum famulis, ac tubicinis, Magiſtro Grammaticæ, Cancellario, Advocato, & Sindico, Ambaſciatoribus, Nuntiis, & Bajulis communis, Turreriis, temperantibus horologium, curam habentibus fontium, aquæductorum, & murorum, ac quibusvis aliis Officialibus Civitatis noſtræ Aſſiſiat. intra dictos muros pro tempore exiſtentibus perſolvuntur, unus bonenus, quorum quadraginta florenum conſtituunt, pro quolibet floreno retineri, & fabricæ dictæ Eccleſiæ, & Domus S. Franciſci pro reparandis tectis, ſtructuris, & ædificiis prædictis renovandis paramentis, & aliis rebus ad divinum cultùm ſpectantibus inſtaurandis applicari, nec non Procuratori, ſeu Oeconomo dictæ domus ſine exceptione aliqua ſolvi, & aſſignari debeat per Theſaurarium, ſivè Collectorem, aut Officiales Cameræ Apoſtolicæ, ſive alium ad ſolvendum ſalaria dictorum officialium deputatum, ſeu deputatos, omni prorſus exceptione, ſive appellatione ceſſante. Volùmus autem, quòd pecuniæ exigendæ prædictæ in reparationem, & conſervationem prædictas, & non aliàs debeant omninò converti. Et nihilominus dilectis filiis Sancti Ruffini,

fini, & Sancti Pauli intra, ac Sancti Maſſei extra muros Aſſiſiat. Prioratuum Prioribus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, Oeconomo, ſive Procuratori prędicto in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant de ſingulis florenis ſalariorum eorumdem ſingulos bonenos hujuſmodi aſſignari: Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non ſtatutis, & conſuetudinibus Civitatis ejuſdem, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuſcumque. Aut ſi Officialibus, & perſonis ſalaria hujuſmodi percipientibus prædictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim à Sede Apoſtolicâ indultum exiſtat, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicâs non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, &c. Nulli ergo omnino, &c. noſtrorum ſtatuti, ordinationis, voluntatis, & mandati infringere, vel ei, &c. Si quis autem, &c. Datum Romę, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę 1475. Sexto Id. Decemb. Pont. noſtri anno 5.

Per laqueum ſericum pendet plumbeum ſignum.

Gratis de mandato D. P.
A. de Urbino, H. Jacobi.

G. della fiera.

Idem Sixtus Quartus in ſignum ſuæ eximiæ dilectionis erga Religionem, quam profeſſus fuerat, & erga ſuam hanc Eccleſiam, ac Domum, cujus fuerat alumnus, confirmavit ceſſionem illi factam ab Abbate Monaſterii Sancti Nicolai in campo longo, Comitatus Aſſiſiat. Cum omnibus pretiis, cenſibus, proventibus, cæteriſque ejus redditibus, unà cum ſex Parochialibus Eccleſiis eidem Monaſterio annexis. Ipſumque Monaſterium cum omnibus ejus juribus Sacro Conventui perpetuò aſſignavit; cum onere ſolvendi Cameræ Apoſtolicæ quinquaginta Ducatos Auri quolibet Quindennio. Diplomata non refero, ne tædio afficiam lectores, nam multa, & prolixa ſunt, quibus ſuam devotionem erga Seraphicum Patrem, & paternum Amorem erga filios ad vivum exprimit.

Alexander quoque ſextus, ad petitionem Magiſtri Ægidii de Ameria Miniſtri Generalis, & Cuſtodis, ac Fratrum S. Collis Paradiſi, eidem Sacro Conventui duplici diplomate aſſignavit, ac confirmavit in perpetuum Prioratum S. Jo: extra Caſtrum Turris Alfinæ, Urbevetanæ Diœceſis; cum onere ſolvendi quolibet quindennio decem aureos ducatos Apoſtolicæ Cameræ. Unde conſtat, quàm propenſi fuerint Summi Pontifices conſervationi, & utilitati hujus Sacræ Baſilicæ, cuius protectionem ab initio ſingulari modo ſuſceperunt.

Sixtus

Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſal. & Apoſt. bened.

QUamvis Altiſſimus, de cujus munere venit, ut ſibi à ſuis fidelibus dignè, & laudabiliter ſervatur, de abundantia ſuæ pietatis, quæ merita ſupplicum excedit, & vota, benefacientibus multò majora retribuat, quàm valeant promereri; nihilominus deſiderantes Domino populum reddere acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem, fideles ipſos ad complacendum ei, viſitandumque in honorem ſanctorum ejus dedicatas Eccleſias, ac illorum feſtivitates, & ſolemnia devotiùs venerandum, quaſi quibuſdam allectivis muneribus, Indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores, & quòd eorum meritis nequeunt obtinere, Sanctorum eorumdem interceſſionibus conſequantur, idque libentiùs agimus in Eccleſiis, quæ in honorem Sancti Franciſci ſunt constructæ, quò Sanctus ipſe, quaſi ſtella matutina claræ vitæ micans exemplis, ſedentes in tenebris, & umbra mortis irradiatione præfulgida direxit in lucem; & tanquam Arcus refulgens inter nebulas, ac ſignum Dominici fœderis, paſſionis ſcilicet Domini Noſtri Jeſu Chriſti, in ejus carne renovata Sacra Stygmata geſtans, pacem, & ſalutem ſignificavit hominibus; exiſtens, & ipſe Angelus veræ pacis deſtinatus à Deo, ut per viam altiſſimæ paupertatis tam verbo, quàm exemplo pœnitentiam prædicaret; noſque, qui ſub regularibus inſtitutis Ordinis Fratrum Minorum, qui ab eodem Sancto ſumpſit initium, & illius inclito paupertatis voluntariæ vexillo à teneris enutriti; dum in Ordine ipſo Generalis Miniſtri fungeremur officio, ad Cardinalatus honorem, ac demum ad Summi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, ejuſdem Sancti meritis, & interceſſione ad æternæ felicitatis gloriam pervenire ſperamus. Cupientes igitur, ut Eccleſia domus ejuſdem Sancti Aſſiſiat. ejuſdem Ordinis, dudum egregiis ſtructuris, & opere admodum ſumptuoſo constructa, quæ inter alias Eccleſias domorum dicti Ordinis, tum ſtructurarum magnitudine, cum ratione loci, in quo ſita eſt, unde ejuſdem Sancti origo fuit, re, & nomine obtinet Principatum, congruis frequentetur honoribus, & ejuſdem Domus ſtructuræ, & ædificia, quæ ad manifeſtam ruinam tendentia, poſt dictam aſſumptionem noſtram, multipliciter reparari fecimus, & propter eorum magnitudinem non poſſint ſine magna impenſa, ad quam faciendam, & alia Cuſtodi, & Fratribus ejuſdem Domus pro tempore exiſtentibus incumbentia onera ſuſtinenda, proventus dictæ Domus, & eleemoſinæ, eis fieri ſolitæ non ſufficiunt, ſed ſunt alia Chriſti fidelium ſuffragia plurimùm opportuna, conſerventur; ac Chriſti fideles eò libentiùs devotionis cauſa confluant ad eamdem Eccleſiam, & manutentionem ædificiorum hujuſmodi promptiùs manus porrigant adjutrices, quò exinde ibidem dono cœleſtis gratiæ uberiùs conſpexerint ſe refectos: de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccle-

ſiam

ſiam prædictam in feſto Translationis corporis ejuſdem Sancti de menſe Maii, à primis Veſperis, uſque ad occaſum ſolis diei ejuſdem feſti devotè viſitaverint annuatim, & ad ſtructurarum, & ædificiorum hujuſmodi manutentionem manum porrexerint adjutricem, omnium peccatorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, plenam abſolutionem, remiſſionem, & Indulgentiam concedimus, & largimur. Præſentibus perpetuis temporibus duraturis. Et ut confluentes ipſi ad dictam Eccleſiam, pro conſequenda Indulgentia memorata, conſcientiæ pacem, & animarum ſuarum ſalutem, & Indulgentiam hujuſmodi uberiùs, & commodiùs conſequi valeant; Cuſtodi dictæ Domus, qui pro tempore fuerit, aliquos probos dicti Ordinis profeſſores, ætate, moribus, & ſcientia idoneos, in Præsbiteratus ordine conſtitutos, in numero ſufficienti, de quo ſibi videbitur, qui die dicti feſti, & quatuor diebus illud immediatè præcedentibus in præfata Eccleſia, & illi adjacentibus dictæ Domus ædificiis, eorumdem confluentium confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis per eos exceſſibus, & peccatis, niſi talia forent, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet meritò conſulenda, de abſolutionis beneficio providere, & pœnitentiam ſalutarem injungere liberè, & licitè valeant, deputandi, necnon vota quæcunque, Ultramarinis, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac in Compoſtella Jacobi, & Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi facultatem concedimus per præſentes. Non obſtantibus quibuſvis quarumcumque Indulgentiarum, & remiſſionum hujuſmodi revocationibus, & ſuſpenſionibus, per nos, & prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices hactenus forſan factis, & in antea, etiam in favorem Cruciatæ, ſeu aliàs faciendis, ſub quibus Indulgentiam, & literas præſentes nolumus quoquo modo compræhendi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Aſſiſii Anno Incarnationis Dominicæ 1476. 8. Kal. Septembris Pontificatus noſtri anno ſexto.

Pendet Bulla ſerico laqueo ducta.

D.Galletus.

Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Dilectis filiis Cuſtodi, & Fratribus Domus Sancti Franciſci de Aſſiſio Ordinis Minorum. ſal. & Apoſt. bened.

DIgnum reputamus, & congruum, ut ſicut Corpus Sancti Franciſci Ordinis veſtri fundatoris, in Monaſterio Sanctæ Claræ Aſſiſiat. Ordinis ejuſdem Sanctæ, durante fabrica Eccleſiæ in ejuſdem Sancti honorem ſumptuoſo admodum opere conſtructa, quadriennio, vel circa, honorificè conſervatum, de illa ad Eccleſiam hujuſmodi veſtræ Domus translatum extitit prima die feſti-

feſtivitatis Pentecoſtes, ut eò dignior, & honorificentior Translatio ipſa cenſeretur, & à Chriſti fidelibus majore in veneratione haberetur, quò celebriori tempore fieret; ita feſtum Translationis hujuſmodi per Sedem Apoſtolicam inſtitutum, non vigeſima quinta menſis Maii, in qua feſtum prædictum Pentecoſtes tunc celebratum, & Translatio Corporis ipſius Sancti facta fuit in ipſa Translatione reſpectus, Translatio ipſa celebretur; & prout feſtum Pentecoſtes variatur, ita & feſtum ipſum Translationis varietur, præſertim cum viſitantes Eccleſiam ipſam Domus veſtræ præfatam Aſſiſiat. in qua præfati Sancti Corpus honorificè requieſcit, ex noſtra conceſſione plenariam ſuorum peccatorum Indulgentiam conſequantur. Dilecti filii Franciſci Sampſonis Generalis Miniſtri veſtri Ordinis, ac veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus, ac præſentium tenore Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, & ordinamus, quòd de cætero feſtum ipſum Translationis ſecunda die feſtivitatis prædictæ Pentecoſtes perpetuis futuris temporibus celebretur, & juxta illius variationem, & occurrentiam tam dictum, quàm Indulgentia prædicta varietur; & quòd viſitantes Eccleſiam veſtram prædictam, dicta die ſecunda feſtivitatis Pentecoſtes, incipiendo à primis Veſperis ejuſdem diei, uſque ad ſolis occaſum prædictam Indulgentiam conſequantur, juxta literarum formam, continentiam, & tenorem. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1478. Nonis Februar. Pontificat. noſtri anno octavo.

Pendet ex Cordula innexum plumbeum ſigillum.

Sigiſmundus.

Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei:

Dilectis filiis S. Pauli infra, & S. Matthæi extra muros Aſſiſiat. Monaſteriorum, per Priores gubernari ſolitorum Prioribus, ac Vicario Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Aſſiſiat. in ſpiritualibus Generali, ſal. & Apoſt. bened.

Et ſi cunctis Chriſti fidelibus, ne indebitis moleſtiis afficiantur, vel eorum jura ſuppeditentur, ex aſſuetæ pietatis officio aſſiſtere teneamur; Fratribus tamen domorum B. Franciſci Aſſiſiat. Ordinis Minorum eò magis adeſſe nos convenit, quò Domus ipſa cæteras ejuſdem Ordinis domos vetuſtate antecellit, & in ea glorioſum Corpus dicti Sancti devotiſſimè conſervatur, ejuſque Fratres nullum habent alium, præter Romanum Pontificem defenſorem. Exhibita ſiquidem nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum

Cuſtodis, & Fratrum dictæ domus petitio continebat, quòd licet ipſis, & eidem domui quamplurima bona in teſtamentis, & aliàs legata, & donata fuerint; ea tamen ob malitiam Notariorum illarum partium, inſtrumenta Cuſtodi, & Fratribus prædictis dare, & aliorum bona hujuſmodi reſtituere nolentium, minimè conſequi poſſunt, in ipſorum Cuſtodis, & Conventus præjudicium, & gravamen. Quare pro parte Cuſtodis, & Conventus prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de neceſſitatibus dictæ domus plenariam habentes notitiam, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, omnes, & ſingulos Notarios illarum partium, ac etiam omnes, & ſingulos, bona eiſdem Fratribus, & domui relicta, & quomodolibet ſpectantia, ex quacumque cauſâ detinentes Apoſtolica auctoritate, ut bona hujuſmodi Fratribus prædictis reſtituant, ac Notarii inſtrumenta eis in autentica forma conſignent, infra unum menſem à die monitionis hujuſmodi computandum, ſub excommunicationis pœna, & vigintiquinque ducatorum Auri, Cameræ Apoſtolicæ applicandorum. Ac omnes, & ſingulos Notarios per Peruſin. Tudertin. & Fuliginat. ac alias Civitates, & Diœceſes totius Ducatus Spoletin. & aliàs ubilibet conſtitutos, & domorum, poſſeſſionum, pannorum laneorum, & lineorum, pecuniarum, rerum, & localium, ac quorumcumque bonorum aliorum, quæcunque, quotcunquè, & qualiacunque ſint, quomodolibet Conventui, ſeu Fratribus, & domui prædictis, hactenus, & in futurum legatorum, vel donatorum inſtrumenta, infra unius menſis ſpatium, ſub ſimilibus pœnis Cuſtodi, & Fratribus præfatis exhibere, & tradere debeant. Alioquin eos, & ipſorum quemlibet per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione remota, compellatis: nec non ipſis Cuſtodi, & Fratribus, ut pro uſu dumtaxat ſal, ubi voluerint, abſque alicujus pœnæ incurſu accipere; ac Sacriſtiæ, & Infirmariæ ejuſdem Conventus aliquas Vineas, ſine ſcrupulo conſcientiæ, pro divino ſacrificio, & infirmis tenerè liberè, & licitè valeant, dicta auctoritate concedatis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Aut ſi Notariis, & detentoribus præfatis, vel quibuſcunque aliis, communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1471. Decimo ſeptimo Kal. Februar. Pont. noſtri anno 1.

Bulla pendet plumbea per cordulam,

Gratis de mandato D. Papæ,
A. de Urbino.

G. de la fiera.

Sixtus

Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

AD Ordinem Fratrum Minorum, quem ſpeciali dilectione proſequimur, noſtræ dirigentes conſiderationis intuitum, & attentè proſpicientes uberes fructus, quos Ordinis ejuſdem profeſſores in agro militantis Eccleſiæ produxerunt hactenus, & producunt; dignum, quin potiùs debitùm arbitramur, ut domos, & loca dicti Ordinis, præſertim in Civitate noſtra Aſſiſii, in qua Ordo ipſe ſumpſit initium, conſiſtentes ſpeciali prærogativa favoris proſequamur, & iis, quę à Prædeceſſoribus noſtris eis providè ſunt conceſſa, pro eorum ſubſiſtentia firmiori noſtri adjiciamus muniminis firmitatem. ſanè pro parte dilectorum filiorum Cuſtodis, & Fratrum Domus Sancti Franciſci Civitatis prædictæ dicti Ordinis nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd Domus ipſa, & illius ſtructuræ, ac ædificia opere admodum ſumptuoſo dudum conſtructa vetuſtate conſumpta, & in ſe ipſis collapſa, reparatione indigent non modicum ſumptuoſa, ad quam faciendam proventus fabricæ, & dictæ Domus non ſufficiunt, veriſimiliterque dubitant, quòd niſi celeriter occurratur, ad ruinam paulatim deveniet, in non modicum dicti Ordinis detrimentum, quòdque ſi eidem Domui concederetur, quòd fideicommiſſa, legata, & quæcumque aliæ diſpoſitiones de bonis, & immobilibus hactenus facta, & quæ pro tempore forent dictæ Domui, Altaribus, Capellis, & picturis ejuſdem, ac illius Fratribus, ſeu alteri eorum in genere, vel in ſpecie, necnon hæreditates, & ſucceſſiones, quæ aliàs Fratribus in dicta Domo pro tempore commorantibus ab inteſtato deferrentur, ſi Fratres ipſi hujuſmodi ſucceſſionum capaces eſſent per Sindicum Romanæ Eccleſiæ peti, conſequi, exigi, recipi, & haberi, & bona in illis compręhenſa vendi, & alienari, pretiumque exinde proveniens in conſervationem ſtructurarum, & ædificiorum dictæ Domus, ac pro ornamentis Sacriſtiæ illius dumtaxat converti poſſent, & deberent, profectò hujuſmodi ruinæ ædificiorum prædictorum opportunè conſuleretur. Quare pro parte Cuſtodis, & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut quòd de cætero fideicommiſſa, legata, & hæreditates hujuſmodi ut præferuntur peti, exigi, & recipi, & bona in illis compręhenſa vendi, & alienari, pretiumque exinde proveniens in præmiſſam cauſam converti poſſint, eis concedere, ac eos à datiis, gabellis, ſeu vectigalibus pro rebus ad ipſorum, ac Domus, & Eccleſiæ prædictarum uſum neceſſariis prorſus eximere, ac liberare, necnon privilegia, & indulta à Summis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris dictæ Domui conceſſa noſtræ approbationis munimine ſolidare, aliaſque in ſuis præmiſſis opportunè providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de præmiſſis plenariè informati, & hujuſmodi eorumdem Cuſtodis, & Fratrum ſupplicationibus inclinati, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus hæreditates, fideicommiſſa, legata, & quæcumque aliæ diſpoſitiones, de bonis etiam immobilibus hactenus facta, per quoſcumque, & quæ pro tempore fierent dictæ Domui, Altaribus, Capellis, & picturis ejuſdem, ac illius Fratribus, ſeu alteri eorum in genere, vel in ſpecie, necnon hæreditates, & ſucceſſiones,

quæ aliàs Fratribus dictæ Domus pro tempore exiſtentibus deferrentur, etiam in quibus Fratres ipſi, qui capaces eſſent, & Ordinis præfati profeſſores ſaltem in communi bona habere poſſent ſuccederent per Sindicum Romanæ Eccleſiæ ad commodum, & utilitatem ipſorum Fratrum peti, conſequi, exigi, recipi, & haberi, & bona in illis comprehenſa vendi, & alienari, ac pretium inde proveniens in conſervationem ſtructurarum, & ædificiorum prædictæ Domus, ac pro ornamentis Sacriſtiæ illius dumtaxat converti poſſint, & debeant in omnibus, & per omnia prorſus, & abſque ulla differentia perinde, ac ſi legata fideicommiſſa, donationes, diſpoſitiones, & alias voluntates hujuſmodi pro, & in favorem ipſius Romanæ Eccleſiæ nominatim, & expreſsè hactenus emanaſſent, vel in futurum emanarent, ipſique Patres hujuſmodi hæreditatum ab inteſtato capaces forent, & eorum jura in illis eidem Romanæ Eccleſiæ ceſſiſſent, & cederent, & quòd contra præmiſſa de invaliditate, & nullitate teſtamentorum, donationum, & aliarum diſpoſitionum, ac incapacitate eorumdem Fratrum dici, & allegari non poſſit, quòdque Sindicus pro tempore per Cuſtodes, & Fratres dictæ Domus ad præmiſſa nominandus, ex nunc prout ex tunc per Nos, & Sedem Apoſtolicam conſtitutus eſſe cenſeatur Sindicus Romanæ Eccleſiæ, cum pleniſſimo mandato ſpeciali, & ſpecialiſſimo ad omnia illa in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna, ad quæ facienda, gerenda, & exercenda cum per Cuſtodem, & Fratres ipſos contigerit nominari, auctoritate Apoſtolica præſentium tenore ſtatuimus, & ordinamus, ac eoſdem Domum, Cuſtodem, & Fratres à quibuſcumque datiis, gabellis, pedagiis, ſeu vectigalibus, pro carnibus, vino, farina, oleo, ac aliis rebus ad ipſorum Cuſtodis, & Fratrum, ac Domus, & Eccleſiæ uſum neceſſariis eadem auctoritate perpetuò eximimus, & liberamus, ac datiorum, gabellarum, & vectigalium eorumdem, exactoribus, ne eoſdem Cuſtodem, & Fratres ad illorum ſolutionem invitos compellant ſub cenſuris, & pœnis in exigentes gabellas, & vectigalia hujuſmodi à perſonis Eccleſiaſticis à jure ſtatutis prælibata auctoritate inhibemus, & nihilominus omnia, & ſingula immunitates, exemptiones, libertates, gratias, & indulta à fel. record. Gregorio IX. & XI. Nicolao, Clemente, Alexandro, & Innocentio IV. & VII. & Nicolao V. ac aliis Summis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris Eccleſiæ, & Domui præfatæ, ejuſque pro tempore Cuſtodi, & Fratribus hactenus conceſsa, necnon illorum Apoſtolicas confirmationes, & validationes, ac quoſcumque Gregorii, Nicolai, Clementis, Alexandri, Innocentii, Nicolai, & aliorum prædeceſsorum prædictorum ſuper illis confectas, & emanatas literas, & privilegia, quorum omnium tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis eadem auctoritate ex certa noſtra ſcientia approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, illamque plenariam roboris firmitatem, etiam perinde, ac ſi per nos, de verbo ad verbum prout in literis, & privilegiis prædictis continetur de novo conceſſa foret cum, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & præſertim Clementis Papæ V. etiam prædeceſſoris noſtri in Concilio Viennenſi editis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac regularibus conſtitutionibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, ordinationis, exemptionis, liberationis, approbationis, communitionis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indigna-

gnationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1471. pridie Idus Novembris, Pontificatus noſtri anno 1.

Gratis de mandato D.N. Papæ.
B. de Fuentibus.

G. dela Liera.

Tempore Calixti III. Cardinalis Dominicus Capranica Ordinis Protector, Summi Pontificis infraſcriptum mandatum dedit Fratribus Portiunculæ, quod in charta pergamena ſervatur in Archivio S. Conventus Aſſiſii.

Dominicus Miſer. D. S. Crucis in Hier. Sacroſ. R. Eccl. Presbiter Cardinalis, major Pœnitentiarius, ac Sacri Ordinis Minorum Protector, licèt immeritus, Guardiano, Sacriſtæ, ac Fratribus S. Mariæ de Angelis de Portiuncula vulgariter nuncup. ſal. & Ap. ben.

CUm ſuperiori tempore ſæpiùs cum magna querela expoſitum fuerit Sanctiſſimo Domino Noſtro, quòd paramenta, planetæ, calices, & alia ad ornatum, & cultum divinum pertinentia, quæ per fideles in loco Conventus prædicti offeruntur, per vos ad alia loca Ordinis veſtri propria auctoritate deportantur, & Eccleſiæ S. Franciſci, ad quam, relictis tantùm in dicto loco neceſſariis, omnia deferri conſueverant, nulla penitùs traduntur. Ac etiam quòd paramenta, & ornamenta prædicta interdum, cum offeruntur, quaſi vobis minùs utilia, vel neceſſaria recipere recuſatis. Et quòd aliquando vota de ſimilibus ornamentis, aut utilibus imaginibus, & aliis pretioſis fundis à fidelibus miſſis, in alias res, quæ non loco illi, ſed aliis fortè neceſſariæ ſunt, commutatis. Quòd de cera, quæ offertur, portionem integram Sacriſtæ Conventus Sancti Franciſci minimè aſſignatis, juxta formam literarum Apoſtolicarum ſuperinde confectarum; & quod pecuniæ, quæ ibi offeruntur, in quadam fovea ad hoc inſtituta, ut conſuetum erat, cum ſco-

pa

pa non mittuntur; quò fit, ut multæ ſubtrahantur. Cum verò hæc omnia in magnum detrimentum, & damnum Eccleſiæ prædictæ S. Franciſci cedere videantur; ea non ſine moleſtia, & animi diſplicentia præfatus Sanctiſſimus Dominus noſter intellexit. Ea propter ex mandato Sanctiſſimi D. N. nobis ſpeciali vivæ vocis oraculo facto, & auctoritate officii noſtræ protectionis, vobis diſtrictè præcipimus, & mandamus, in meritum Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto, ſi contra feceritis, incurratis, ut paramenta, calices, & alia prædicta oblata in dicto loco, nullo modo inde removere, & ad alia loca mittere debeatis. Ac etiam quòd hujuſmodi ornamenta, cum offeruntur, nullatenus recuſetis. Et quòd vota de ſimilibus fiendis, in alias res nullo modo commutare debeatis; niſi de ſpeciali, & expreſſa licentia Sanctiſſimi D. N. aut noſtra, de qua per literas conſtare debeat. Et quæ ex iis vobis aut minùs utilia, aut non ſunt neceſſaria, Sacriſtæ Conventus Sancti Franciſci pro ut aliàs, ſecundùm conſuetudinem laudabilem, aſſignare debeatis. Ut ea, quæ vobis ſuperſunt in beneficium Eccleſiæ S. Franciſci prædictæ, aut etiam in illius reparationem converti poſſint, quæ continuò non eſt parum neceſſaria. Portionem etiam ceræ, juxta tenorem dictarum literarum Apoſtolicarum, videlicet vel totam illam, quæ tribus diebus in illis aſſignatis offertur, Sacriſta Conventus S. Franciſci recipiat, vel tertiam partem ejus, quæ obvenit per totum annum, fideliter, integrè, & ſine fraude eidem Sacriſtæ, & ſub pœnis prædictis aſſignari faciatis. Pecunias etiam, quæ offeruntur, ne auferri poſſint, ordinetis per Sacriſtam veſtrum cum ſcopa, ut aliàs conſuetum fuerat, in fovea deputata recondi. In quorum omnium fidem, ac teſtimonium præſentes literas fieri, & noſtri Pontificalis ſigilli fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in domibus noſtris Anno à Nativitate Domini 1457. die 8. Februar. Pontif. D. Domini noſtri Caliſti Divina Providentia Papæ tertii anno 2.

Locus Sigilli Cerei.

Nicolaus Senen.

Dilectis filiis Cuſtodi, & Fratribus Domus Sancti Franciſci de Aſſiſio. ſal. & Apoſt. bened.

LEO PAPA X.

Cum, ut nobis relatum fuit ex parte veſtra, plerique Romanæ Eccleſiæ Pontifices prędeceſſores noſtri conſiderantes magnam molem, & expenſas innumerabiles Domus veſtræ, quoad conſervationem, & manutentionem tam illius Eccleſiæ ſuperioris, quàm inferioris, & aliorum ejuſdem ædificiorum, & attendentes Civitatis Aſſiſii inopiam, & impotentiam

pro

pro conſervatione prædictæ molis, voluerint, & ſtatuerint, ut omnes eleemoſinę, quę in Eccleſia S. Marię de Angelis, aliàs de Portiuncula obvenirent, eſſent pro fabrica utriuſque Eccleſię, & totius molis applicatę, neque converti poſſent in alium uſum, utque ita faciliùs, & tutiùs fierent, ordinaverunt, quòd Miniſter, & Cuſtos aliquos aſſiſtentes pro cuſtodia dictarum eleemoſinarum, prout eis meliùs videretur, deputarent. Quapropter veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, prędicta privilegia, quę, ut aſſeritis, ſunt in uſu, Apoſtolica auctoritate confirmamus, & innovamus. Et quia dicta Domus nobis, & Sedi Apoſtolicę immediatè ſubjicitur, volumus, ordinamus, & ſtatuimus, ut nullus deinceps cujuſcunque auctoritatis, etſi Cardinalatus honore, & Legati de latere fungeretur officio, ullo modo pręfata indulta prędeceſſorum noſtrorum, à nobis, ut pręfertur innovata, valeat quoquo modo infringere, vel prędictas eleemoſinas in alium uſum convertere, aut pręfatos aſſiſtentes pro eleemoſinarum cuſtodia removere. Etſi quidquam ab aliquo attentatum fuiſſet, vel attentaretur in poſterum, illud tanquam irritum, & inane ex nunc decernimus. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & aliis quibuſcumque contrariis non obſtantibus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 22. Auguſti 1515. Pontificatus noſtri anno 3.

Locus ſigilli extra.

P. Bembus.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Omnium ſaluti paterna charitate intenti, inter tàm multa pietatis officia, quæ nos pro munere noſtro convenit exercere, ſacra interdum loca ſpeciali privilegio inſignimus; ut inde fidelium defunctorum ſaluti ampliùs conſulatur. Quocirca, ut Eccleſia Domus S. Franciſci Aſſiſien. Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, & in ea Capella ſub invocatione ejuſdem S. Franciſci, ſimili uſque adhuc privilegio minimè decorata, ejuſdemque Capellæ Altare hoc ſpeciali dono illuſtretur; Auctoritate nobis à Domino tradita, concedimus, ut quoties Miſſa ad prædictum Altare celebrabitur pro anima cujuſcunque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipſa de theſauro Eccleſiæ Indulgentiam conſequatur, quatenus Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, aliorumque omnium Sanctorum meritis ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur. Datum Romæ, apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1577. Pridie Id. Oct. Pont. noſtri anno 6.

Digitized by Google

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

LIcet aliàs per fel. rec. Nicolaum Quartum, Nicolaum Quintum, Calixtum Tertium, Pium Secundum, Leonem Decimum, ac alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros ſtatutum, & ordinatum fuerit in perpetuum, quòd omnes pecuniæ à Chriſti fidelibus in Capella B. Mariæ de Angelis Ordinis Minorum Aſſiſiat. oblatæ per deputatos à Miniſtro Provinciæ, & Cuſtode domus Sancti Franciſci Aſſiſiat. colligerentur, ac in reparationem, & conſervationem Eccleſiæ ejuſdem Sancti Franciſci, nec non Fratrum ibidem pro tempore degentium, & eò advenientium ſuſtentationem converterentur, nihilominus ſuperioribus menſibus cum dilecti filii Fratres Domus Sanctæ Mariæ de Angelis prædictæ nobis ſupplicari feciſſent, ut eleemoſinas prædictas eis concedere dignaremur; Nos præmiſſorum ignari eis oretenus conceſſimus, ut unam capſulam pro colligendis eleemoſinis in dicta Capella ponere poſſent, ipſi verò, ſicut accepimus, conceſſionis noſtræ modum excedentes, præſertim cum mentis noſtræ non fuerit privare dictam Eccleſiam Sancti Franciſci ſolitis eleemoſinis, nec tàm grave præjudicium illi inferre, majorem partem eleemoſinarum, quæ in dicta Capella offerri ſolebant, appoſita ibi capſa, in quam omnes pecuniæ, quæ in dictam Capellam mittebantur, deciderent, monenteſque etiam populum, ut eleemoſinas, non in Capellam, ſed in capſam prædictam mitterent, ac aliis modis ſibi uſurpare tentarunt, & exindè inter ipſos, ac Fratres dictæ Domus Sancti Franciſci contentiones, & diſcordiæ cum magno populi ſcandalo ſunt exortæ, majoraquè ſcandala in futurum exoriri poſſent, niſi eis maturè occurratur. Quapropter nos, qui preces tacita veritate porrectas effectum nullatenus ſortiri debere cenſemus, privilegia, & Jura Eccleſiæ, ac Domus Sancti Franciſci hujuſmodi illæſa conſervare, aliàſque in præmiſſis opportunè providere volentes; Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia conceſſionem, & applicationem omnium, & quarumcumque eleemoſinarum in dicta Capella pro tempore oblatarum à prædictis, & quibuſcumque aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris pro reparatione, & conſervatione dictarum Eccleſiæ, & Domus Sancti Franciſci, ac ſuſtentatione Fratrum ibidem pro tempore commorantium, & eò advenientium factas, nec non ſtatuta, & ordinationes de eleemoſinis prædictis, ut præfertur, colligendis, erogandis, ſeù convertendis, ac literas deſuper editas, illorum omnium tenores, & datas, ac ſi ad verbum inſerantur præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, tenore præſentium confirmamus, approbamus, & innovamus, aliiſque perpetuæ, et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, conceſſionemque per Nos dictis Fratribus Domus Beatæ Mariæ de Angelis in præjudicium præmiſſorum, ut præfertur, factam expreſsè revocamus, et annullamus. Diſtrictiùs inhibentes ſub indignationis noſtræ pœna univerſis, et ſingulis Guardianis, et Fratribus Domus Sanctæ Mariæ de Angelis prædictis, ac quibuſcumque aliis, nè poſthac ullam capſulam, vel aliud quodcumque vas pro colligendis eleemoſinis, vel pecuniis in dicta Capella, nec juxtà illam teneant, nec in collectione pecuniarum

rum

rum dictæ Capellæ pro tempore oblatarum, vel in eam impoſitarum ullo modo ſe ingerant, vel intromittant, ſed ipſæ pecuniæ à Deputatis prædictis, ſicut conſuetum eſt, colligantur, ſicque collectæ in reparationem, & conſervationem dictarum Eccleſiæ, & Domus Sancti Franciſci, Fratrumquè ibi commorantium, & adventantium ſuſtentationem erogentur, ſicut à prædictis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris præſcriptum eſt. Quocirca venerabilibus Fratribus Aſſiſiat. & Fulginat. Epiſcopis, ſeù eorum Vicariis in ſpiritualibus, generalibus, ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeù alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illiſquè in præmiſſis efficacis defenſionis præſidiis aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra Cuſtodem, & Fratres Sancti Franciſci hujuſmodi præmiſſis omnibus, & ſingulis juxtà tenorem præſentium pacificè frui, & gaudere. Nos permittentes eos deſuper à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque juris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus conceſſione noſtra prædicta, necnon quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoquè, indultis, & literis Apoſtolicis Eccleſiæ, ac Domui ſanctæ Mariæ de Angelis prædictæ, illiuſque Guardiano, & Fratribus, ac Ordini Minorum de Obſervantia nuncupatorum, illiuſque Superioribus, & perſonis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamſi de illis, eorumquè totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio, ſeù quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, &c. præſentibus pro ſufficienter expreſſis, habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 8. Novembris 1583. Pont. noſtri anno 12.

Cæ. Glorierius.

Die prima Decembris 1640. exhibita in Cancellaria Epiſcopali, coram Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Aſſiſiat. Judice Apoſtolico, pro Sacro Conventu S. Franciſci Aſſiſiat. in cauſa cum Adm. RR. Patribus S. Mariæ Angelorum, &c.

Crandilius Luciolus Cancellarius.

SIXTUS PAPA V.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſal. & Apoſt. bened.

CUm à primæva inſtitutione regulæ Beati Franciſci, tam ob illius, & Sanctorum Antonii de Padua, Ludovici Epiſcopi, & Confeſſoris, Bonaventuræ, & Bernardini, necnon Divæ Claræ, aliorumque ejuſdem Ordinis ſequacium Sanctitatem, & miraculorum multitudinem, quàm etiam ob multorum ipſius Religionis Summorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum merita: ingens ubique Chriſti fidelium multitudo ſingularem erga quemcunque dictorum Sanctorum gerat devotionis affectum; Nos, ut ipſorum fidelium devotio hujuſmodi non modò conſervetur, ſed in dies magis augeatur, animarumque ſaluti uberiùs conſulatur, precibus etiam dilecti filii Clementis Bontadoſii Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Magiſtri Generalis ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati, tàm omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Capuccinorum, & de Obſervantia nuncupatorum Fratribus, & Monialibus, quàm cœteris utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti, diebus feſtis Sanctorum Franciſci, Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi, & Confeſſoris, ac Bernardini, prædictorum eorumdem Fratrum Minorum Conventualium, Capuccinorum, & de Obſervantia; Nec non die feſtivitatis Sanctæ Claræ Monialium dicti Ordinis, Monaſteriorum, ubilibet conſtitutorum Eccleſias tam erectas, quàm erigendas, vel earum aliqua à primis Veſperis, uſque ad occaſum Solis, eorumdem dierum ſingulis Annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionum miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur; præſentibus perpetuis, & futuris temporibus valituris. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem præſentes literæ ad ipſorum Chriſti fidelium notitiam faciliùs, citiùſque perveniant, volumus, quòd earum exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris die 28. Septembris 1585. Pont. noſtri anno 1.

Jo: Baptiſta Canobius.
Ita eſt Melchior Vola Rom. Notarius publicus
In fidem, &c.

Sixtus

Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei,

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX ſupernæ diſpoſitionis arbitrio, gregi Dominico præſidentes, inter curas multiplices, quæ ex Paſtoralis officii miniſterio nobis incumbunt, illam libenter amplectimur, per quam omnium Chriſti fidelium, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo, & vexillo Altiſſimo famulantium, animarum ſalus cum divini cultus incremento proveniat; ipſoſque Chriſti fideles, ut eorum vota ad id faciliùs concurrant, ſpiritualibus muneribus, Indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus, in apricum adducendo, juſtos variis ſignis, & miraculis coruſcantes, invitamus, & confovemus, ac aliàs deſuper diſponimus, prout ad eorumdem Chriſti fidelium ſpiritualem devotionem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Cum itaque Beatus Franciſcus, à quo Ordo dilectorum filiorum Fratrum Minorum inſtitutus fuit, quique inter cœteros in numerum Sanctorum cooptatos, ſignis, & miraculis maximè claruit, ita vixerit, ut penè omnes ad ſui devotionem, & imitationem pertraxerit; multique ex ipſis Chriſti fidelibus cordam ſimilem ei, qua ipſe dum in hoc ſæculo verſaretur, cinctus erat, hodie deferant; quin etiam plures ejus laudabile inſtitutum amplexi, & ſub ſuavi jugo Religionis ab eo inſtitutæ, diverſiſque Sanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ Prælatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, & poſtea ad Summi Apoſtolatus apicem evectis illuſtratæ militantes, tantumque virum imitati, in numerum eorumdem Sanctorum relati fuerint.

Nos, qui etiam à teneris annis ſingularem devotionis affectum erga ipſum Sanctum Franciſcum, cujus Corpus ſub Altari majori Eccleſiæ domus Fratrum Ordinis Minorum Conventualium nuncupatorum Aſſiſiat. quæ inibi inſignis, maximèque celebris, & diverſis privilegiis decorata exiſtit, requieſcit, ſub habitu dicti Ordinis ſui incedentes geſſimus, cupientes Domum, & Eccleſiam hujuſmodi ampliùs decorari, pietatiſque, & Chriſtianæ Charitatis opera ubique cum divini cultus augmento, ac ad ejuſdem Sancti Franciſci honorem, & venerationem, animarumque ſalutem exerceri; fideleſque ipſos ad faciendum ea, per quæ ad æternam beatitudinem valeant faciliùs pervenire, mediis opportunis excitare, infraſcriptum Fratrem Clementem Magiſtrum Generalem, ac ſingulares perſonas Conventus Domus prædictæ à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliis Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes.

Motu proprio, non ad alicujus nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & certa ſcientia, in Eccleſia domus, & ad Altare hujuſmodi, unam Archiconfraternitatem utriuſque ſexus Chriſti fidelium, qui Cordam per ejuſdem Ordinis Fratres geri ſolitam ex illorum devotione deferant, ac illa cingantur, ſub invocatione ejuſdem S. Franciſci, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus,

Ut autem ipſa Archiconfraternitas Confratrum Cordigerorum præfatæ Cordæ numero in dies magis ampliata decoretur, ipſique Confratres ad piorum operum exercitium propenſiores reddantur, ac ad Eccleſiam, & Altare hujuſmodi devotionis cauſa confluant, quò per hoc ſe majora cœleſtis gratiæ dona cognoverint adipiſci. De Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ejus auctoritate confiſi,

Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac præfatam Cordam, quæ priùs à Superioribus dicti Ordinis benedici debeat, ob reverentiam, & memoriam ejuſdem S. Franciſci gerentes, ſacraque Communione refecti, præfatam Archiconfraternitatem ingredientur, die prima illorum ingreſſus, ac in Mortis ipſorum articulo, Nomen Jeſu, ore, vel corde invocantibus, ſi etiam verè pœnitentes, & confeſſi fuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem.

Et inſuper eidem Archiconfraternitati, illiuſque Confratribus, omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, & relaxationes Archiconfraternitati Confalonis B. M. Virginis, in Eccleſia S. Luciæ de Urbe inſtitutæ, necnon prædicto Ordini, ac illius Fratribus, & perſonis, quandocunque, & per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam per nos conceſſas, quoad illas tantùm, quæ hactenus revocatæ non fuerunt, motu, & auctoritate, ac tenore ſimilibus, etiam perpetuò concedimus, & elargimur, ac communicamus.

Poſtremo, dilecto filio Fratri Clementi Bontadoſio nunc, & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Generali Magiſtro Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, quaſcunque Confraternitates utriuſque ſexus Chriſti fidelium Cordigerorum hujuſmodi, in quibuſcunque Eccleſiis domorum tam Minorum Conventualium, quàm Capuccinorum, & de Obſervantia nuncupatorum Fratrum prædictorum in quibuſcunque Mundi partibus, & Locis pro tempore erigendis, & inſtituendis, erigendi, & inſtituendi illas, quæ poſtquam erectæ, & inſtitutæ fuerint, præfatę Archiconfraternitati per pręſentes erectę, & inſtitutę, cum omnibus, & ſingulis Indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, & relaxationibus aggregandi, ac ipſas Indulgentias, illis, & earum Confratribus communicandi, pariterque concedendi, plenam, liberam, & omnimodam facultatem, & auctoritatem damus, & concedimus, prout nos eaſdem omnes Confraternitates, ex nunc prout ex tunc poſtquam erectæ, & inſtitutæ fuerint, ipſi Archiconfraternitati per præſentes erectæ, & inſtitutæ hujuſmodi aggregamus, pręfataſque Indulgentias illis, & earum Confratribus communicamus, & concedimus.

Decernentes eaſdem pręſentes literas nullo unquam tempore, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis, ſeu quopiam alio defectu Notarii impugnari, vel retractari, aut revocari ullatenus poſſe, neque debere, ſed ſemper, & in perpetuum validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri debere.

Non obſtantibus pręmiſſis, ac Regula noſtra, de Indulgentiis ad inſtar non concedendis, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, conceſſionum, elargitionis, communicationum, dationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus

ſe

ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1785. 13. Kal. Decembris Pontificatus noſtri anno 1.

H. Dat.

Jo: Baptiſta Canobius.

Jo: Brouhe.

Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Divinæ charitatis altitudo eminentiſſima, & ſummi amoris Seraphici inexhauſta bonitas, quæ ab æterno, & ante mundi conſtitutionem in charitate perpetua dilexit nos, ac ut nos ſibi obſtringeret, in funiculis Adæ, ideſt naturæ, gratiæ, & gloriæ ad ſe trahere voluit: videns Prothoplaſti culpa peccatorum funibus circumplexos, ad ſe clamantes, propitius eſto, funiculo hæreditatis ſuæ, non modò nos vinctos ſuos non deſpexit, ſed in fortitudine educendos de mendicitate, in funiculis ſecundi Adæ, inquit, traham vos. Et ut inſolubiliùs nos ſibi vinciret, tenaciùſque obſtringeret, filium ſuum Redemptorem noſtrum, cujus, ſumma diſponente gratia, meritis licèt imparibus, in Sacroſancta Eccleſia vices gerimus, filium Adæ, quaſi funiculum Divinitate, Anima, & carne contextum, ac de Cœlis ad terras protenſum, juſtitiæ cingulo in omni vita ſua ad lumbos præcinctum, ſuamet interiùs charitate vinctum, licèt funibus impiorum pro ſua voluntate ligatum uſque ad mortem Crucis tradidit, & traxit; ut ſic nobis victis, & in peccatorum funibus vinctis fieret Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio, & Redemptio. Licèt autem tantæ Charitatis ardor inextinguibilis eſſe debuiſſet, refriguit tamen. Unde frigeſcente Mundo, & in funiculis Evæ, quæ ſunt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ denuò conſtrictæ, ad denuò inflammanda corda noſtra, Deus miſericordiarum, & luminum famulum ſuum B. Franciſcum miſit, in tam larga dulcedinis benedictione prævenit, ut non modò virtutum prærogativis, & meritis celebrem fecerit, ſed & in carne ipſius Sacra Chriſti Stigmata renovaverit, & mira Crucis myſteria, ligamina, & paupertatem multiformiter in eo ad vivum demonſtraverit: adeo ut verè Chriſtus Franciſco inferre poſſit, ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti, & omnes vias meas prævidiſti. Unde & factum eſt, ut meritis dicti B. Franciſci Sacroſancta Mater Eccleſia fœtu novæ prolis amplificata, & multorum Sanctorum ejus inſtituti meritis, virtutibus, doctrinis, exemplis, & miraculis aucta, necnon quamplurimis Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, Cardinalibus, Regibus, & Summis Pontificibus decorata non poſſit ad ejus devotionis, & imitationis ſectanda veſtigia non eſſe propenſa. Nos pariter, qui à teneris annis ſingularem erga eumdem B. Franciſcum (Gloria noſtra) ſemper geſſimus devotionis affectum, & in dies ſem-

ſemper accrevit, ac mirè accreſcat, & cujus cinguli, & amictus inſtituti, & Ordinis pro Dei gratia, & noſtra voluntate pro poſſe imitatores, alumni, & ſervi fuimus, ac fuiſſe gloriamur, conſiderantes populorum devotionem, & propenſionem erga tantum virum, & quo devotionis affectu æmuletur, & paſſim anhelet plebs omnis vinciri ſaltem funiculo ejus, & quaſi non contenta, quod tot, tantique utriuſque ſexus Chriſti fideles ad inſtituta trium Ordinum ipſius ob devotionem ad tantum patrem, relicto mundo, tranſierint, ſe totam velit in S. Franciſci imitatione, devotione, & amore immergere. Idcircò cum pro aliquali repenſione amoris noſtri erga tantum Patrem, nuper ad ampliorem decorem inſignis, & celebris Eccleſiæ Domus ejuſdem S. Franciſci Aſſiſiat. Ord. Fratrum Min. Convent. nuncupatorum, in qua quidem Eccleſia ſub illius Altari majori Corpus ejuſdem S. Franciſci requieſcit, ad divini cultus, & piorum augmentum, ipſiuſque S. Franciſci honorem, & venerationem, ac animarum Chriſti fidelium ſalutem, unam Archiconfraternitatem in ipſa Eccleſia, & ad dictum Altare, motu proprio, erexerimus, & inſtituerimus: ac ut Confratres Cordigeri dictæ Archiconfraternitatis, ad pia opera exercenda propenſiores redderentur, ac ad Eccleſiam, & Altare hujuſmodi devotionis cauſa confluerent, eiſdem utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, dictam cordam, quæ priùs à Superioribus dicti Ordinis benedici debeat, ad reverentiam, & memoriam ejuſdem S. Franciſci gerentibus, ſacraque communione refectis, Archiconfraternitatem ipſam ingredientibus, prima die illorum ingreſſus, ac in mortis articulo ipſorum, nomen Jeſu ore, vel corde invocantibus, ac etiam verè pœnitentibus, & confeſſis, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, per alias noſtras literas conceſſerimus. Necnon dilecto filio Clementi Bontadoſio, moderno, ac pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Miniſtro Generali, ut quaſcunque Confraternitates utriuſque ſexus Chriſti fidelium Cordigerorum hujuſmodi in quibuſcumque Eccleſiis Domorum Ordinum Fratrum Minorum, tàm Conventualium, quàm de Obſervantia, & Capuccinorum nuncupatorum ubicumque, & in quibuſvis mundi partibus erigere, & inſtituere, illaſque, poſtquam erectæ fuerint, prædictæ Archiconfraternitati cum omnibus, & ſingulis Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ac relaxationibus aggregare, ipſaſque Indulgentias hujuſmodi Confratribus illarum communicare, & concedere valeret, plenam, & omnimodam facultatem, & auctoritatem conceſſerimus, eaſdemque Confraternitates erigendas ex tunc, prout ex ea die, & econtra dictæ Archiconfraternitati aggregaverimus, & Indulgentias hujuſmodi Confratribus illarum communicaverimus, ac literas prædictas nullo unquam tempore de ſurreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ, ſeu quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, aut revocari nullatenus poſſe; ſed ſemper validas, & efficaces futuras, ſuoſque effectus plenarios ſortiri debere decrevimus, ac aliàs prout in dictis literis pleniùs continetur. Ne autem de præmiſſorum validitate ullo unquam tempore dubitari contingat, noſtram denuò in præmiſſis auctoritatem interponere, ipſiuſque Archiconfraternitatis auctoritatem extendere, ac pium dictorum ConfratrumCordigerorum propoſitum ampliùs promovere, eoſque ſpiritualibus muneribus, Indulgentiis videlicet, & peccatorum remiſſionibus proſequi cupientes, ſupplicationibus dicti Clementis hac in parte inclinati, inſtitutionem hujuſmodi Apoſtolica auctoritate prædicta tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus. Supplentes omnes, & ſingulos tàm juris, quàm facti defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, ipſamque Archiconfraternitatem in Caput omniumConfraternitatum Cordigerorum hujuſmodi ubilibet inſtitutarum, & inſtituendarum, etiam perpetuò, & tenore præmiſſis erigimus, & inſtituimus,

omni-

Digitized by Google

omneſque, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones Religioni, & Ordini Fratrum Minorum hujuſmodi per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores, ac nos conceſſas Archiconfraternitati, & Confratribus Cordigerorum ſimiliter perpetuò concedimus, & communicamus, & ad illas extendimus, ſeu Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, & relaxationes Religioni, & Ordini Minorum prædictis, ut præfertur, conceſſas Archiconfraternitati, & Confratribus Cordigerorum hujuſmodi ſub eiſdem modo, & forma, quibus illæ Religioni, & Fratribus prædictis conceſſæ fuerunt, dummodo, ut præfertur, non fuerint revocatæ, etiam perpetuò concedimus, elargimur, & communicamus. Necnon de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, utriuſque ſexus Confratribus Cordigerorum hujuſmodi, præter Indulgentias Religioni præfatæ conceſſas in mortis articulo, necnon quoties proceſſionibus Archiconfraternitatis Cordigerorum hujuſmodi, ſingulis menſibus fieri ſolitis interfuerint, eiſdem quidem Confratribus plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem perpetuò concedimus, aliis verò non Confratribus, qui proceſſionibus hujuſmodi interfuerint, centum annos de injunctis eis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus; Ac prædictis Confratribus, qui aliis dictæ Archiconfraternitatis proceſſionibus, aut dum B. Mariæ, vel quodvis aliud divinum Officium per ipſos Confratres Cordigeros recitabitur, interfuerint, ac quoties Sanctiſſimum Chriſti Corpus, dum infirmis defertur, vel defunctum ad ſepulturam aſſociaverint, aut alicui miſerabili perſonæ ſubvenerint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu aliquod horum fecerint, toties centum dies de eis injunctis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, etiam miſericorditer in Domino relaxamus: eiſdemque Confratribus Cordigeris, ut Indulgentias, & peccatorum remiſſiones prædictas per modum ſuffragii pro fidelibus, qui in gratia Dei deceſſerunt, conſequi, & impartiri valeant; necnon quaſcunque Confraternitates utriuſque ſexus Chriſti fidelium Cordigerorum hujuſmodi in quibuſcumque Eccleſiis, tàm Minorum Conventualium, quàm de Obſervantia, & Capuccinorum nuncupatorum Fratrum prædictorum in quibuſcunque Mundi partibus, & locis, pro tempore erigendas, & inſtituendas, poſtquam erectæ, & inſtitutæ fuerint, Archiconfraternitati illorum aggregandi, illiſque omnes, & ſingulos eorum Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, & relaxationes communicandi, & concedendi, plenam, liberamque facultatem prædicto, ac pro tempore exiſtenti Generali dicti Ordinis Minorum Conventualium auctoritate, & tenore prædictis concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtra de Indulgentiis ad inſtar non concedendis, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcumque; præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus interim, quòd præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo pro tempore Miniſtri, vel Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium hujuſmodi, vel cujuſvis perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Canonici alicujus Cathedralis Eccleſiæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, ubique locorum, & gentium, in judicio, & extra, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi fuiſſent exhibita, vel oſtenſa. Nulli ergo omnino, &c. noſtræ approbationis, confirmationis, erectionis, conceſſionis, aggregationis, elargitionis, communicationis, relaxationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei, &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1586. Nonis Maii Pontificat. noſtri anno 2.

Serico vinculo fixum plumbum. Tho. Thom. Gualterius.

A. de Alexiis.

Iuno.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

COmmiſſæ Nobis à Domino Jeſu Chriſto diſpenſationis ratio exigit, ut Cœleſtium munerum Theſauros, ad augendam in terris Sanctorum in Cœlis regnantium venerationem, fovendamque, & incitandam erga illos fidelium Devotionem, fideli prudentia, quantum Nobis ex alto conceditur, erogare ſtudeamus. Itaque eximia, omniſque humanæ laudis præconium longè ſupergreſſa Sancti Franciſci Confeſſoris, qui terrenis omnibus deſpectis, cœleſtis gratiæ benedictione repletus, innumeris mirabilium virtutum exemplis Sanctam Dei Eccleſiam illuſtravit, & hominum corda, eo, quo ipſe ardentiſſimè flagrabat, charitatis igne ſuccendit, merita pio, devotoque animi affectu recolentes, necnon ſpirituali Chriſti fidelium ad Eccleſiam ipſius S. Franciſci Domus Fratrum Ordinis Minorum ejuſdem Sancti Franciſci Conventualium nuncupat. Civitatis Aſſiſien. in qua Sacrum ejus Corpus requieſcit, aſſiduè, (ut accepimus) ex Univerſis Chriſtiani Orbis partibus devotionis cauſa confluentium conſolationi, atque animarum ſaluti, quantum cùm Domino poſſumus, benignè conſulere cupientes, ac de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ad Eccleſiam ſupradictam, ſicut præmittitur, confluentibus, qui illam verè pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, in quocumque anni die devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeù exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Auguſt. 1695. Pont. noſtri anno 5.

Jo: Franc. Card. Albanus.

Libri Secundi Finis.

Digitized by Google

INNOCENTIUS
PAPA DUODECIMUS
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

EX incumbenti Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio pia Chriſti fidelium quorumlibet vota, præſertim ad divini cultus incrementum, ipſorumque Chriſti fidelium animarum ſalutem tendentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, illaque favoribus, & gratijs proſequimur opportunis. Cùm itaque ſicut dilectus filius Balthaſſar Milazzo à Naro Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, ipſe pro ſpirituali Chriſti fidelium ad Eccleſiam Conventus ejuſdem S. Franciſci Civitatis Aſſiſienſis ex univerſis mundi partibus devotionis cauſa aſſiduè confluentium, nec à Confeſſarijs dicti Conventus abſolvi valentium conſolatione, aliquos Pœnitentiarios ad Sacramentales illorum confeſſiones audiendas deputari plurimùm deſideret: Nos pio ipſius Balthaſſaris Procuratoris Generalis deſiderio, quantum cum Domino poſſumus annuere, illumque ſpecialibus favoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodòlibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendi, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto pariter filio Felici Rotondi moderno, & pro tempore exiſtenti Miniſtro Generali dicti Ordinis, ut tres Fratres expreſsè profeſſos Ordinis prædicti,quos ad id idoneos, vitâque, & moribus conſpicuos cognoverit, in dicta Eccleſia Pœnitentiarios, dummodò tamen ab Ordinario loci prius examinati, & approbati

fue-

fuerint, conſtituere, & deputare valeat; itaut ijdem Pœnitentiarij ſic conſtituti, & deputati Sacramentales omnium, & ſingulorum Chriſti fidelium ad eos recurrentium confeſſiones audire, illiſque auditis eos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſvè quibuſvis Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis quavis occaſione, vel cauſa quomodolibet latis, & per eos incurſis, necnon ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, ac delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ (non autem loci Ordinario,) reſervatis, vel in poſterum reſervandis, exceptis tamen contentis in litteris die Cœnæ Domini legi conſuetis, in foro conſcientiæ tantum abſolvere, ac pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem, aliaque injungenda eis injungere, necnon vota quæcumque (Ultramarinæ Viſitationis, Liminum Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum de Urbe, ac Sancti Jacobi in Compoſtella, necnon Caſtitatis, & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pœnitentiæ, vel pietatis opera commutare liberè, & licitè poſſint, & valeant, licentiam, & facultatem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & impartimur: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſquè contrarijs quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xj. Martij MDCXCIX. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

J. F. Cardinalis Albanus.

ICON AMORIS CHRISTI, & FRANCISCI

Duobus Epigrammatum Centuriis expreſſa.

Auctore. P. M. Balthaſare Paglia à Calatajerone Ord. M. Conv. Eminentiſs. ac Reverendiſs. CARDINALIS BARBADICI Theologo.

CENTURIA PRIMA.

SS. D. N. CLEMENTI XI. P. M.

Nuncupatio. 1.

GRandia conetur Muſæ, Phœbique Sacerdos:
Docta cothurnato rideat aula duci.
Nitimur in tenui. molles inflare cicutas,
Non clangore animos Diva ciere jubet.
Mercurius, cui priſca litat facundia, plumas
Et virga, & pedibus fert, galeaque leves.
Mæonidæ creſcant Teucrorum ſanguine lauri:
Innumerus volitet viva per ora Maro.
Vatibus altiloquis det Achilles nomina: priſci
Caſtalias animet Cæſaris aura tubas.
Me cautes Alverna tuas, atque antra Subaſi
Patris in obſequium ſcandere Numen agit.
Tu ſacra Franciſco ſi vocas Epigrãmata CLEMENS:
Si facias, æquet gloria nulla meam.
Ergo alius majora canens petat alta. Minores
Me tollentem aſtris celſior aula manet.

Programma. 2.

Hic, ubi ſecretis Alvernia clauditur umbris,
Et Vatum uniſonas excipit ara preces;
Caſta verecundos accerſit Muſa puellos,
Vos procul hinc juvenes, hinc procul ite ſenes.
Te moror, haud læva ſpecies qui fronte Camœnam,
Quam tamen ungue truci torva ſenecta ferit.
Te peto, vittati placeat cui margo libelli:
Num traheris munda fœda juventa chely?
Sola meus tolerat pueri veſtigia Vindus,
Ne ſubeant geminum fama, pudorque metum.
Sic etenim quà pura ſacræ dant otia cautes,
Quàque via eſt tuto trajicienda pede;
Quis canat, ò pueri fugite hinc? ubi fraude repulſa
Frigidus in noſtra non latet anguis humo?

Poetæ congrua Virginitas. 3.

Caſtalidum (ni vera jocis Polyhymnia miſces)
Qualibet eſt cœlebs, impatienſque viri.
Haud ſecus, ut chordis Muſas, & cordibus æquet,
Caſtalidum cultor non niſi caſtus erit.

Idem argumentum. 4.

Nacta velut Cypris cunas in Doride, Pallas
Sic ope Vulcani de capite orta Jovis.
Nec minùs unda rogo, Thetidi fax obſtat, inermem
Quàm bella in Venerem cincta Minerva gerat.

De S. P. Franciſco: in Venerem. 5.

Stet Pater ante fores. procul hinc Venus impia. ſacro
Is metuenda tibi retia fune parat.

In eamdem. 6.

Quid, Venus, à te optem toto hoc in codice? tantùm
Quidquid in 1 octavo ſcurra Latinus amat.

1. Martialis lib. 8. Epigr. 1.

In Detractorem. 7.

Mome procul: dignum Veſtali parcere Muſæ.
Virginitas ridet murmura. Mome procul.
Phyllida nocturnis inhiantem carpe Theatris:
Corripe cœnoſi lemmata Steſichori.
Sunt quibus Idalio cantetur Lesbia plectro;
Inde Lycambæis verſibus ampla ſeges.
At mihi pullato veſtitur ſyrmate Clio,
Inſtita candidulos pendet adusque pedes.
Franciſcum recolo, cui pura modeſtia cordi,
Et non fucatæ norma pudicitiæ.
Parciùs hinc naſo nobiſcum utare. vel ipſe
Manſueſcit coram virgine Rhinoceros.

In Eumdem. 8.

Longũ Epigramma cano? longùm quoq; Zoile carpes.
Corripio? an fruſtra? tu quoque corripies.
Quid faciam? quò vena trahet tibi ſurdus abibo.
Delia ſic raucos ludit inulta canes.
Sit mihi Muſa Gigas, eadem ſit puſio. quid tum?
Semper idem. ſemper tu mihi Zoilus es.

In Eumdem. 9.

Zoile ſic rides, nobis plaudente Theatro?
Sic idem, fato nos agitante, gemis?
Quis tegat invidiam? noſco, vir ſubdole, noſco
Livoris riſum, lætitiæ lachrymas.

Librum, Poeticæ Fabulæ, inſcriptum comburit. 10.

Quidquid Apollineo correptum luſerat æſtro,
Cum biberet molles pectus inane dies;
Ætna voret patrius, inſpiret Vulcanus opellam,
Pierius crebro ferveat igne calor.
Quæſierat lucem, nacta eſt incendia Clio.
Prævenit optatos juſſa favilla Typos.

His repetita libris Argiva eſt fabula: debet
Græcia, quo periit Troja, perire rogo.

Seſe ad Minorum laudes convertit. 11.

Hactenus ancipitem, caſu ducente, per orbem
Preſſit arenoſas advena Muſa vias.
Pegaſe flecte gradum. quò te, ceu pulvere, jactes,
Curre Minoritas ociùs ad cineres.

S P. Franciſco. 12.

Jacta priùs, dein rapta focis hæc pagina, veſtros
Conveniat, Genitor, ſemicremata pedes.
Nos tua ſic docuit pietas, tibi ſcilicet ultro
Delectus operum ſiſtere relliquias.
An chorus Aonidum Regis mihi ſuggerit aulam?
Atria num Phœbo ſunt adeunda meo?
Cætera poſthabuit, Pindique cacumine diſtans
Migrat ad Alverna culmina Muſa redux.
Hic Superum titulos, ortum, tua voluimus acta:
Hic tumet ad proprium fauſta Thalia jubar.
Metior hoc ſtadium; tali ſe pulvere noſter
Exercet ſonipes: hac mihi greſſus humo.
Talia quis mittat? quis Patri injurius auſit
Sponte paterna ſilens extera facta ſequi?
Tu tamen oblatas temere, Pater, excipe Muſas,
Tu pia ſollicita munera prolis habe.
Munera, quæ calido foveas dum pectore, non me
Pœniteat cupido dir puiſſe rogo.

Georgio Bucanano in Franciſcanos ſcribenti 13.

Mens furit in ſoccum, funem mala lingua laceſſit:
Ille aptus capiti, faucibus iſte tuis.

Crux. 14.

An mihi ſerta parent Sol, Cypria, Juppiter, Evan?
An tonſis faciat vitta prophana comis!
Stat ſacra tumuiſſe cedro, qua digna loquutum
Cedrina Crux, diis verſibus Alpha, manet.
Sunt quibus Idaliæ ſocietur laurea myrto:
Hic hedera, hic molli vitis honore viret.
Ab Jove principium natæ petiere Camœnæ:
Aptior hinc Vati querna corona foret.
Non ita Chriſtiadæ: det Crux exordia libro.
Hæc, mea Calliope, ſit tibi planta caput.

S. Franciſcus à Sybilla Erythræa, ut ſidus, à S. Jo: prænunciatur, ut Angelus. ex Jo: Villan. lib. 5. cap. 34. 15.

Sidus Erythrææ, Joanni eſt Angelus Umber.
Luciferi ad ſolium vectus, utrumque probat.

S. Franciſcum Effigies in Porta S. Marci Venet. prænunciat. ex F. Salv. Vitali orch. 1. ſpect. 8. 16.

Scripſerat ingenuus Domini geſta ardua Marcus:
Dive parem Chriſto te nova fama canit.
Præſenſit ſapiens utriuſque oracula Scriptor:
Pingitur ante ſuas hinc tua vita fores.
Scilicet Hiſtoriam ſupplens, in margine juſſit
Hoc aliud ſcribi Marcus Evangelium.

S. Franciſci familiæ inſignia, Tres Anſeres. 17.

Anſere ſtemma nitet. quò ſcribam inſignia ſtirpis,
An mihi ſint pennæ, quas habet ille, ſatis?
Si malè jucundos interſtrepit Anſer olores,
Anſere pro tali quàm bene cantat olor!

S. Franciſci Nativitas. 18.

Angelus eſt, ò Chriſte, tuos qui nunciet ortus:
Qui, Franciſce, tuos concinat, Angelus eſt.
Jamque utriuſque pari cantatas alite cunas
Obſtupet elato Muſa ſupercilio.
Mirabar Sanctos te prima ætate ſequutos:
Eſt qui nec natus ſit tibi, Chriſte, ſequax.

Eadem. 19.

Adeſte gentes. lingua jam ſonat cœli.
Ortum Parentis Angelus canit. Templi
Solem refulgentem hac decebat aurora.

Eadem. 20.

Lux nova dum cœlo irradiat, dum fulgurat Heros
Aſtrifer, hanc ſignet lactea gemma diem.
Scrupea nectareos Alvernia gurgitet imbres:
Flava Subaſaam Flora coloret humum.
Quoque oriens ſurgit, quoque occidit æquore Titan
Semidei ad plauſus diſſita regna ſonent:
Damtaxat ſupero condat ſe Lucifer orbe:
Splendidior noſtro Lucifer orbe patet.

Eadem. Ad Picam S. Franciſci Matrem. 21.

Miraris, ceu Virgo fores, aut neſcia mater,
Quid ſibi pennigeri Flaminis orſa velint.
Solve metus: rem diſce: ſui cunabula fratris
Ut canat, e ſupero Spiritus axe venit.

S. F. Petro avaro Patre progenitus. 22.

Mentis inops genitor, locuples eſt fœnore: pauper
Filius ò quantas mente tuetur opes!
Fama negans, Craſo quòd ſit locupletior Irus,
Cor patris, ac gnati cernat, & erubeat.

S. F. in ſtabulo naſcitur. 23.

Pica tumens fœtu num diverſoria luſtret?
Non locus ancipitem, non domus ulla capit.
Si tibi Mopſe, Mycon dederunt præſepia cunas,
Si ſpecus infantem te, 1 bone Paſtor, habet.
Hauriat & lucem Verbi ſectator in antro,
Qui Pater, & Mitis, Paſtor, & Agnus erit.
Scilicet hoc ſtabulo venientis idonea vitæ
Stat ſeries, tenebris hiſce futura patent.
Hinc Puerum quæ fata manent dicturus haruſpex
Sidera ne pergat cernere, cernat humum.

1. Chriſte. Jo. c. 10.

Idem Argumentum. 24.

Fratribus ò fauſtum Paleæ cognominis omen!
Cur? noſtro cunas præbuit illa Patri.

S. F. in Umbria naſcitur. 25.

Jam terræ novus hoſpes adeſt. parat Umbria cunas.
Umbria vix ulla mox regione minor.
Auſpicor hinc Vates: infans ubi prodit ab Umbris,
Chriſtiadum cœlo Solis ad inſtar erit.

S. F. Aſſiſii naſcitur. 26.

Transfuga vir mundi Superis tua, teque dediſti.
Patria nunc ſupereſt. dicito: jurè mea eſt.
Quis furor, ò cives, doctam coluiſſe 1 Minervam?
Semina doctrinæ veſter Alumnus habet.
Protinus huic priſcum ſapiens Dea cedat honorem.
Cui ſordeſcit honos, altiùs ille ſapit.

1. Ex F. Salv. Vitali Orch. 1. ſpect. 6.

S. F. Jo: primùm vocatur. 27.

Si duo Joannes, Baptiſta, & Apoſtolus adſtant
Chriſte tibi, comes hic, prævius ille fuit.
Hic comes aſſequitur pedibuſque, animoque Magiſtrum;
Prævius ille vias, ut cynoſura, parat.
Tertius interea ſuppar Franciſcus utrique
Non præit, aut ſequitur, ſit tibi, Chriſte, ſequax.

S. Franciſco puerulus quidam pallium ſternit. 28.

Strata viatori dum tegmina ſiſtit haruſpex,
Excipit Æſiſias obvia fata Puer.
Nil mirum, ſi jacta premat nunc pallia, qui jam
Auratas chlamydum calcat adultus opes.

S. F. principiò mercaturam exercet. 29.

Mercatore ſatus quo tradit fœnore merces?
Centuplum ut accipiat, dat ſua pauperibus.

S. Franciſcum ægritudo ad Chriſtum convertit. 30.

Sanguinis arcano Puber vix æſtuat igne,
Vix novus obrepit membra per ima calor;
Deliratne furens? quin febrim nactus amoris
Ardet, amat crebris cælica deliquiis.
Jam ſirpeat natura. probis ſit ſemita vitæ
Ipſa lues, reprobis quæ via mortis erat.

S. Franciſco dormienti Crucis ſignum
apparet. 31.

Quanta ferat ſomnus bifidi ſub imagine ligni
Germina, quot fructus, quot bona, Dive, cape.
Amplexum toti quatuor dant brachia mundo:
Crux totidem mundi partibus una ſatis.
Ut pomum impaſto, foliorum tegmina nudo,
Sic umbram laſſo planta miniſtra parat.
Arbore vincebat, nunc arbore vincitur hoſtis.
Umbrarum pater eſt, hunc fugat umbra Crucis.
Proditor inſultat? facilis datur ultio: pendent
Multus ab hac Judas, Maat hideſque trabe.
Preſſerat atra lues? curam de frondibus hauri.
Mergit aquis Nereus? pro rate ſume Crucem.
Innumeros Pandora frequens e pyxide morbos
Fuderat: hoc languor ſtipite preſſus abit.
O jubar, o hominum requies tutiſſima, Chriſti
Teſſera, Chriſtigenis nacta ſalutis iter.
Perge Parens: hic vera quies, hic meta laboris.
Pergito. Crux omnes auferet una cruces.

Idem Argumentum. 32.

Crux nitet, irriguo langues ubi, Dive, ſopore.
Nempe Dei famulis in Cruce vera quies.
Scala vias cæli ſopito expreſſit Jacob:
Sancte jaces? altum Crux tibi ſternit iter.
Providus Eliæ ſuperum dat pabula ſomnus:
Sors eadem: fructu te cibat ille Crucis.
Dormit Joannes, Chriſtique e pectoris amne
Potat Evangelium: tu bibis Umber idem.
Fauſta quies! mentemque, piique oracla magiſtri,
Jus, exempla, metrum vitæ utriuſque docet.
Ergo quieſcenti ſi tot tibi pandit Olympus
Dogmata, num poteras diſcere plura vigil?

Idem Argumentum. 33.

Dux Minor umbrifero vix claudit inertia ſomno
Lumina, Crux reſerat dulce ſalutis iter.
Nox lucem parit, umbra diem, ceu ſomne quietem:
Crux vocat apparens, vulnera vera manent.
Protinus an dubiæ credaris mortis imago,
Quando aperis vitæ limina certa ſopor?

S. F. pro amore Chriſti petentibus nihil ſe
negaturum promittit. 34.

Mercatore ſatus mercator & ipſe, roganti
Dat ſua. mirabar. deſino. cogit Amor.

S. F. poſt auditum illud Matth. 18. Tollat Crucem
ſuam, & ſequatur me, Chriſti veſtigia
ſectatur. 35.

Eia agè rumpe moras; quæ te paulo ante vocarat
Dive ſoporatum, Crux vocat & vigilem.
I celer, affer onus: totus tibi Golgotha mundus:
Gratia te ſocians & præit, & ſequitur.
At ſectator abit, præſtans cui gloria calcar,
Et jam verna Crucis ſit tibi Chriſte ſequax.
Parce Deus famulo: propriam vix ipſe tuliſti,
Ille ſuam tecum deferet, ille tuam.

S. F. Chriſto ſub ſpecie pauperis indumenta
largitur. 36.

Auctor opum lacero torpet, ceu pauper, amictu.
Si te conveniat, quid modò, Puber, agas?
Nunc perſonato, locuples, das tegmina; poſthac
Perſonam exuto tenet, egene, dabis.

S. F. ſibi dictum intelligit, Vade Franciſce, repara
domum meam, quæ labitur. 37.

Par Domus Empyreo, cui propugnacula zelus,
Dogma, fides, ventis preſſa, fragore gemit.
Lapſurus jam nutat apex: quis fulciat ædem?
Dux Minor ad tantum quin moveatur opus?
I me Tonans alto cœlum committe Giganti:
Altitonans humiles ad ſua templa vocat.

S. F. Deo mancipandus, Patrem habet
adverſum. 38.

Vix genitum Chriſto Genitor te perdere geſtit:
Sic tibi, ut Herodes, eſt, Vicechriſte, pater.

S. F. vinculis a Genitore alligatur. 39.

Icona Soteris manicis, & compede torquens,
Sic, Petre, ſub cæci fornicis arce tegis?
It labor in caſſum. Vicechriſto, ceu Petrus eſſet,
Ut reſerare fores, ſolvere vincla datur.

Idem Argumentum. 40.

Haccine vir pateris, manibus poſt terga revinctis?
An ſubit illarum mens operoſa vices?
Inferior quo fune pater tua corpora terræ,
Corda ligat ſummus liberiora polo.
Hoc potes, ut filo, labyrinthum evadere mundi:
Sic quo te vincit, vincitur is laqueo.

S. F. ſaxis impetitur. 41.

Vix Pater antra ſubis patria de finibus exul:
Occurrit multa ſaxea cote phalanx.
Grandine ſub lapidum conſtans lapideſcere viſus;
Quin ubi ſaxa petunt, non ſatur illa petis.
Fallor? opus ſaxis. Templo minitante ruinam,
Queis Lateranenſem ſit reparare domum.

S. F. coram Antiſtite Aſiſiate ſeſe denudans, ſua
Patri reſignat. 42.

Conveniens utrumque Patrem, ſic tegmina jactas
Dive, ut Paſtori vellera reddit ovis.
Nunc ſpoliatus abi: longo poſt tempore Summus
Te meliore Pater veſte, tuoſque teget.

Digitized by Google

Idem Argumentum. 43.

Primus Adam Genitor nudus, ſine labe videtur.
Vulnera cum repetit quinque, 1 ſecundus erit.
1 Chriſtus.

S. F. Chriſti militiæ nomen daturus, veſtes deponit. 44.

Quò redeat victor, quò miles frondibus umbret
Vlæcaſque comas, Aſſyriiſque manus;
Longum haſtile rapit, galea ſeſe impiger armat,
Trux hinc, clypeo tetricus, enſe minax.
Tres petit inermes inops, & inermis, & inermes hoſtes:
Vile putas? erri ſpes ſubit alta vices:
Nam triadi bellum ut tuendus ut ingruat, unum
Omnibus ille armis cor habet æquivalens.

S. F. depoſitis veſtibus, amens creditur. 45.

Nudus, inops, amens non uno ſcommatis ictu
Signifer arguitur. qua ratione? loquar.
Nudus, inops, veſtes, & opes quòd cedat egenis;
Amens, quòd mentem donet habere deo.

S. F. laudes decantat Gallicè, Præco ſum magni Regis. ex Officio Franc. 46.

Nocte vigil media, Solis prænuncius Umber
Ter cecinit. quidni? carmine Gallus erat.

S. F. S. Petro Eccleſiam nuncupat. 47.

Cernimus ara frequens cui conditur? an Barionæ?
Live, tabernaculum ſcis placuiſſe Petro.
Felix ò donum! ò merces felicior! unum
Das Petro; ille tibi milleque, pluſque dabit.

S. F. duodecim ſibi diſcipulos ſelegit. 48.

Ibat Apoſtolico ſtipatus ab agmine Chriſtus,
Stipat Apoſtolicum plebs duodena virum.
Sors comitum diſpar. illi fugere relicto
Si duce, ne fugiant, hos tria vota ligant.

Idem argumentum 49.

Jam Crucis arma gerens, fideique Subaſius Heros,
Geſſit Apoſtolico ſubdere colla jugo.
Biſſenos legiſſe duces primus labor: exin
Pandere ſelectis dulce ſalutis iter.
Monſtra polo duodena Gygas dat claviger: an non
Semideos totidem Divus ad aſtra vehat?

S. Franciſci diſcipulus B. Pacificus laureatus poeta, qui Rex verſuum dicebatur. 50.

Rex vatum, auguſtos redimit cui laurea crines,
Transfuga Muſarum, fit tibi Dive comes.
Ipſe lyræ fidicen digitis quoque monſtror in Urbe;
Te ſequor; at Muſis vertere terga piget.
Annue. parce ſato. ſic vires ad metra ſumens
Rex Vatum, lauro tempora cinctus ero.

S. Franciſco inſerſus F. Jo: Capella unus ex XII. 51.

Proditor arma vili ... patere hunc, Vecchioſte, libenter.
Effigiem Judæ mors, laqueuſque manent.

Idem Argumentum. 52.

Mite dabat lecta Franciſcus dogma coborti.
Prima A. merita ſpes erat illa gregis.
Copia geſtit ... quie ... ejectat, odit.
Ah malus, inque malum dignus abire crucem!
Proditore merito jam pendet ſtipite. quævis
Hos utinam fructus arbor in orbe ferat.
Cur ſeſe inter mens ſuſpenditur arbore? vivum
Tangere mors, & humus reſpuit exanimem.

S. Franciſcus Regulam brevi conſcribit. 53.

Unicus eſt Doctor, Doctrina eſt una: Minores
Unica mens vobis: diligite alterutrum.

S. F. ſummum adit Pontificem, confirmationem Ordinis accepturus. 54.

Te Petre Divus adit: tibi regula ſiſtitur: omne,
Quod docuit Chriſtus, quin Vecchioſte probas?

S. F. verſibus vacat, quos refert F. Jo: de la Haie in vita S. F. 55.

Aſpice Franciſcum cytharæ, Muſiſque vacantem,
Et frontem numeris ſolvere diſce meis.

S. F. panem multiplicat 56.

Eſuriente manu ſtipatur Origo Minorum.
Rara Ceres fuerat, fit tamen ampla prece.
Undique mollita recreari fruge videres,
Cen quondam Galileæ ad mare, diſcipulos.
Pauperies miſeris hæc horrea detegit; hanc ſcit
Militiæ annonam pandere Dux inopum.

S. F. Fratres cælitus paſcit. 57.

Murmur ubique ſtrepit. Frater jejunia paſſus
Oſcitat: eſt vacuus, fortiùs inde tonat.
Nulla quidem vobis, niſi ſpes in Patre, Minores:
Huic licèt impaſto, ſervit amica Ceres.
En prece Numen agens, en vos miſeratus egenos
Sedat inexpletas fruge recente gulas.
Sportula plena datur: cuſtis oneratus ephæbus
Pabula cunctanti portat opima viro.
Non accerſitis, at ſponte fluentibus oſſis,
Suave penum, vobis Advena diſtribuit.
O bona quam lepido recreat vos menſa ſapore;
Gratia convivas quàm ſpecioſa tenet!
Scilicet exiguo quem fragmine triſtis egeſtas
Paverat, appoſita pro dape cœtus ovas.
Ergo ubi ſideream paſci meruiſtis ad eſcam,
Quam cuperem veſtram tunc habuiſſe famem!

S. F. aquam e petra educit. 58.

Fit prædura ſilex, fœcunda Subaſidis ictu.
Sancte jubes? oritur vena perennis aquæ.
Legifer Iſacidum gemino dum verbere rupem
Concitat, en laticem ſerupea maſſa parit.
Sunt mea corda lapis, ſed nec percuſſa liqueſcunt.
Icta licèt, quavis duriùs alpe rigent.
Percute biſque, iterumq; Parens: ubi fundet ocellus
Flumina, prodigium, credito, majus erit.

S. F. aquam in vinum convertit. 59.

Qui modò Liber erat, famulo nunc ſervit Iacchus
Chriſte tuo: huic raptim, ceu tibi, paret aqua.
Lympha verecundo rubuit prope victa pudore:
Obſtupuit redolens ardua merhera calix.
Fabula vertatur Graiis, ubi vertitur unda.
Hæc parit & Bromium, quæ peperit Venerem.

S. Franciſci ſecus Cajetæ littus miraculum. 60.

Euboicam gens lecta coit, quaſi flumen, ad oram,
Dum Patris eloquio ſic, velut imbre, pluit.
Fit ſerus: orantem plauſu quod cœtus honoret,
Vir petit æquoreo ſubdita regna Jovi.
Hinc ſubit incultum nautis, & remige lintrem,
Ne queat obrepens cordi ſubire timor.
En alio ventos ridens fugat Amphitrite:
En placidos offert Doris amica ſinus.

Proh

Proh ſtupor! id Patris normam nil corde tumentis
Edidicit fluctus, detumuitque fretum.

Idem Argumentum. 61.

Te, freta dum ſuperas, talem, Pater inclyte, cerno,
Qualis aquam ſuperans in mare Chriſtus erat.
Tali utrique ſalum: vobiſque jubentibus arcet
Æolidum turmas officioſa Thetis.
Siccine per Domino pelagi quoque crederis alveo?
An tellure ſequi non tibi Dive ſatis?

Idem Argumentum. 62.

Plaudit humus, repetunt Nerei vada cerula plauſum,
Non tenues Umbro congeminante ſonos.
Quid faciat? pietas animum, populique moratur
Cura, ſed obſequio plebs malè cauta fugat.
Vertitur in properè, temnenſque pericula fertur
Incuſtodita per freta ſumma rate.
Cernite, quo puppis liquidum ſecet ordine marmor!
Pareat ut dio juſſa carina duci!
Sic terræ, quem, Dive, fugis, dabit æquor honorem,
Et tecum profugo laus peregrina venit.

S. F. agnam habet pediſſequam. 63.

Umbrigenæ greſſum Paſtoris ubique ſequuta
Ibat ovis, ſimplex, blanda, fidelis hero.
Qui procerum cathedras, hominum cõmercia tẽpſit,
Vix aliud, quàm te paſcit, amatque bidens.
Aurea Phryxei quis vellera præferat Agni?
Dive tibi hæc plures lana miniſtrat opes.

SS. Franciſci, & Dominici effatum, Stemus ſimul, & nullus adverſarius prævalebit. 64.

Nobile par Fratrum, quod Sanctæ aſſiſtere Matri
Spes una, una Fides, unus adegit Amor!
Signifero Guſmanus, Ibero arctiſſimus Umber:
Huic ovis, eſt olli fida lyciſca comes.
Pectora quis dirimat? rabies inimica luporum
Hinc procul: ira procul: jam comes agna cani.
Pax, amor hic. pacem mitis docet agnus; amorem
Fervidus ardenti Syrius igne fovet.

S. Franciſci Baculus. 65.

Mortuus hic jacet, ductu quem flaminis olim
Senenſi Eliſias vir ſepelivit humo.
Nec mora: frondet apex, vivens erumpere germen
Cœpit, & e ſicco ſurgere fuſte ſeges.
Pergit adhuc frondiſque tenax, & fulminis expers
Sub Jove non paſſis uſque virere comis.
Cum metuant quercus, ornique, abieſque ruinam,
Sævit ubi Juno, Mulciber, Hyppodates;
Incolumis, cæloque levans ſua brachia, Divo
Servanti grates Arbor Etruſca refert.
Secula nil obſunt, avidis nil morſibus ævum:
Grandinis, & Cauri, ceu levis aura, furor.
Terreat imbre Tonans, jaculoque tricuſpide ſilvam:
Turbo fremat. ridet libera planta minas.
Sit Muſæ peregrina cohors, plebs aduena teſtis,
Quique frequens alio cœtus ab orbe venit.
Quo foveat ſtirpem Franciſcus robore, quotve
Alliciat Zephyros arbor amœna comis!
Quanta ſimul tactis veniat fiducia ramis,
Quantus honos lignum, gloria quanta beet!
Te Franciſce tuum gratis gens lecta ſub umbris,
Edoceat proprium planta magiſtra decus.
Illius exemplo vinces quoque ſecla ſuperſtes,
Nec poterit vitæ tempus obeſſe tuæ.
Quin Jovis impietas, & ſortis turbo ſiniſtræ
Haud nota preſſuræ, pignus honoris erunt.

Idem Argumentum. 66.

Quæ ſata Franciſco cum pluribus unica ramis
Durat adhuc, noſtri hæc Ordinis Arbor erit.

S. F. lupum manſuefacit. 67.

Lucis in abſceſſu pecorum formido perenni
Vaſtabat caulas obſidione lupus.
Neſcio, cur, viſo, rauci tacuere moloſſi;
Neſcio, qua vigiles luſerit arte canes.
Irrita Pan ſurdus ridebat vota bubulci:
Jacturam augebat capra litata Deo.
Eugubium interea monſtrum petit advena. pejus
Impunita ſolet culpa vocare ſcelus.
Dicitur & pullos, pueroſque ſagiter auſum
Intempeſtivo ſurripuiſſe dolo.
Quid facerent queruli cum civibus upiliones?
Quidue ſuburbanis mœnia cum laribus?
Itur ad Umbrigenam: lupus hic, Pater adſtitit illic:
Vix Franciſce jubes, frauſque, fameſque cadunt.
Juſſa feram excurant. veterum proverbia mutans
Immoto vitium perdidit illa pilo.
Sæpe lupos Chriſtus ſub tegmine monſtrat ovino:
Nunc ſub pelle lupi monſtrat & Umber ovem.

Idem Argumentum. 68.

Cerva, Columna, Anteus, Cẽtauri, Bos, Drago, Rex, fur,
Styx, Avis, Hydra, Amnis, Sus, Leo, Cacus, Athlas,
Amphytrioniadæ ſunt meta laboribus unum.
Plus Franciſce fuit te domuiſſe lupum.

S. F. unà cum avibus canit. 69.

Laxæ gentis ab otio
Ad clauſum tenebris nemus
Lux ſe contulit Umbriæ.
Hic, frondens ubi populus
Vernantes aperit comas,
Et ſerpunt hederæ leves,
Et vitis platanum ligat:
Hic, pictos ubi floſculos
Narciſſum, violas, thymum
Tellus diſcolor explicat:
Quò per culmina montium
Primo vere Favonius
Gliſcens undique ſibilat;
Et per mollia garriens
Ludit gramina rivulus;
Nactus ceu viridem chorum
Ore, ac pectore pſalmicen
Divinas ſedet ad preces.
Solus cœperat. hoc melos
Ut plebs ebibit alitum
Huc, illucque volantium;
(Mirum) cantibus invida
Alterno recinens choro
Reſponſat modulamini.
Hinc luſcinia præſidens
Lingua dat reliquis metrum.
Humanam paribus notis,
Eoas fugiens plagas,

Vo-

Vocem pſittacus exprimit.
Audin, quos ineant ſonos
Turtur, paſſer, alaudaque,
Crebræ murmura Dauliæ,
Dulcis carmen achantidis?
Dum certis vicibus canunt
Et plaudens avium cohors,
Et ſpes alma Subaſidum,
En valles, juga montium
Reſpondent acroamati.
Ad blandi numeros Patris
Lac e rupibus effluit,
Æther plaudere viſus eſt,
Quercus nectare ſolvier.
Ventus compede nectitur,
Torrens lapſibus abſtinet;
Quin & temperat auream
Concors harmoniam polus.
Hæret manſio Cœlitum,
Exultimque canentium
Terreni ad Seraphim notas
Geſtit ſpirituum phalanx.
Votis ilicet annuens
Currit pacis ad oſcula
Spretis fulminibus Tonans.
Numen Semideus ligat
Structis ore catenulis!
Orpheus quòd volucrum genus
Materna fide traxerit,
Ne ſe protinus efferat.
Eſt qui gutture ſuavior
Non turbas volucrum modò,
Sed vel ſollicitum nov s
Ducat carminibus Deum.

SS. Franciſcus, & Antonins avibus, piſcibus prædicant. 70.

Lyſiades mandat? jubet Umber? amica, fidelis
Doris agit piſces, æthra moratur aves.
Hujus in obſequium plebs garrula viſa ſilere,
Illius ad laudes muta caterva loqui.
Protinus æquoreum cohibere Tridentifer agmen
Parcet, & aereo Juno præeſſe gregi.
Sceptra decent alios; nam poſthac ætheris, undæ
Diviſum imperium cum Patre Gnatus habet.

S. F. cicadam ad Dei laudes invitat. 71.

Marginis Eoę jam plenum aſcenderat axem,
Perque viæ medium Phœbus agebat iter.
Torrida flammivomis ardebant Solibus arva:
Syrius ore fremens ignea tela dabat.
Fortè ſuper viridi modulantem fronde cicadam
Meridie pſallens audiit Umbrigena.
Fert animus parvam numeris æquare ſororem,
Et trahere ad ſuperos ora puſilla choros.
Alternis igitur contendere verſibus ambo
Cœpere: alternum ſidera carmen amant.
Blanda cicada ſiles, Franciſcus dum canit: inde
Dum Franciſce ſiles, blanda cicada canit.
Audio? quàm paribus reſonant concentibus antra!
Quàm repetit dulces Nympha canora ſonos!
Pythagoram recreent alta modulamina ſphæræ:
Nos humili ſatiùs carmine terra beat.

S. F. hirundines ſilere juſſit. 72.

Ad ſacra facundus dum roſtra Subaſius orat,
Acriùs in patula Daulias æde ſtrepit.
Ut bibat auditor jugis pia dogmata vitæ,
Jus datur. ad nutum Patris hirundo ſilet.
Cedat avis (fas eſt) brevis internuncia veris,
Veris ubi æterni nuncius ore tonat.

S. F. ſigno Tau literæ ægrotos ſanat. 73.

Innumeram Pandora luem ſuper agmine crebro
Fuderat. arcano gens jacet uſta rogo.
Auribus, ore, manu, pede, mente, & lumine captis
Ferre laceſſitus non pote Cous opem.
Quis manet? Æſiſias. miſerantem convenit ultro
Languida plebs. rogitat? nec mora: parta ſalus.
Pharmaca vis? Tau ſcribe: vales. ſtat grāmate virtus.
Non hæc occidit littera, vivificat.

S. F. & ſurdos audire facit, & mutos loqui. 74.

Siſtitur ante tuas hominum par debile plantas:
Nempe hic non edit, non bibit ille ſonos.
Dive jubes? en languor abit: ſolvuntur utrique
Vincula: jamque ſonos edit hic, ille bibit.
Clarius hinc ſano Verbum procedit ab ore:
Firmior incolumi naſcitur aure Fides.

S. F. cæcum illuminat. 75.

Quid petit? ut videat vir lumine captus, & ipſe
Lumina cum claudam, fac, Pater, ut videam.

S. Franciſci habitum Chriſtus induit. 76.

Qui Reges, Proceresque rudi Franciſcus amictu,
Papaleſque humeros, Cęſareoſque tegit.
Tamquam nulla forent humilis faſtigia lanæ,
Depoſitum ſummo tegmen honore beat.
Si proprio Chriſtus Franciſcum vulnere donat,
Syrmata Franciſcus mutuat ecce Deo.
Ergo ubi ſic Genitor compenſat ſtigmata, Fratres
Diſcite, quo pretio noſtra cuculla valet.

S. F. puerum Jeſum amplectitur. 77.

Quale, Pater, Numen tua nodant brachia! duplex
Miror uti Immenſum ſtrinxerit ulna Deum.

S. Franciſcum SS. Petrus, & Paulus amplexantur. 78.

Culmen Apoſtolicum te, Dive, amplectitur: ulnis
His quatuor nixus num tuus Ordo cadat?

S. F. creaturas ferè omnes nomine Fratris appellat. 79.

Omnia fraterna dum voce Subaſius ornat,
Vix aliud rebus nomen ineſſe putat.
Tu lupe, carbo, canis, lepus, agne, cunicule frater:
Tu lea, planta, ſilex, herba, cicada ſoror.
Hoc cælum, cælique faces, homineſque, feraſque
Pignore, res mixtas, atque elementa vocat.
Quin meruit cunctos & habere, & dicere fratres,
Unum qui cunctis noverat eſſe Patrem?

S. F. leproſos oſculo ſanat. 80.

Sanet ut informi preſſas elephante cohortes,
Oſcula vulneribus figit amica Parens.
Hæc ubi cura manet, nullo nunquam tempore dignos,
Ut modò, leproſos novimus invidia.

Fer-

Ferre Machaonios ceſſet medicina liquores:
Pharmaca Cælicolæ tutiùs ore parant.

S. Franciſco Auctoris Votum. 81.

Langueo. ter clauſis mihi fluctuat ignibus humor.
Audet Apollineam temnere febris opem.
Ætna latens fibris jam pernicioſa minatur
Fulmina; jamque obitum prævenit ipſe rogus.
Stat Galenus iners: morbo quin cedit habenam.
Vis fugit, ars ſequitur: nil, niſi vota manent.
Te cordis Franciſce vocat, te pectoris ardor;
Vix precor: en domitam cogis abire luem.
Cerea dona fero: cenſu quò ſupplice poſſit
Accenſa extinctam fax memorare facem.

Aliud. 82.

Me tumido languere genu gravis humor adegit:
Ut levis hinc abeat, te pia vota petunt.
Alme Sator, flexo referam quòd poplite grates,
Hoc ipſum fateor muneris eſſe tui.

S. Franciſco Puellæ Votum. 83.

Hanc Franciſce comam, diſcrimina penſilis auri,
Suſpendit ſacris ægra Puella tholis.
Ut cui flaventes ætas dat prima capillos,
Mox tibi jam canos tarda ſenecta ferat.

S. Franciſco votum. 84.

Qui ſpes vivus erat, dolor eſt poſt fata parenti.
Signiferum alliciunt vota: puellæ redis;
Vix rogat: orantis nutu vomit urna cadaver.
Vox mortem fallens, creditur eſſe Dei.
Aurea maſſa datur. mirum. ſine pignore mater
Flebat inops. poſuit munera? dives abit.

S. Franciſci miracula. 85.

Cælicolum fœcunda patent miracula. mortem
Hic ſuperans, tumulos verbo populatur herili;
Cujus ope, inferna repetit vada nota paludis
Languor, & invitæ producunt ſtamina Parcæ.
Vidimus & juſſos aliò ſe vertere montes,
Siccarique lacus, & retrocedere curſum
Prætereuntis aquæ; torrentes compede necti;
Pandere iter populo ſedatis fluctibus æquor.
Vidimus innumeris lambentem altaria linguis,
Vaſtantemque lares, muroſque, & plura minantem
Vulcanum arceri; quæ jam lapſura, cadentique
Aſſimilis viſa eſt, firmo ſtat corpore moles.
Frugibus interdum flaventia cernimus arva,
Infœcunda licèt, multoſque inarata per annos.
Perge ſpecum tentare, & olentis luſtra cavernæ:
Squallidus hæc olim coluit penetralia ſerpens:
Quem neque ſaxorum paſtores turbine freti,
Nec ſtricto mucrone manus, nec miſſile telum,
Nec cincti domuere duces, vox una peremit.
Non mihi ſi centum ſint guttura, pectora centum,
Omnia ſectari Divum ſpectacula poſſem.
Ille fugat precibus morborum examina: claudis
Ille vias aperit. cæcos hic lumine ditat.
Corde rogans æger, vocis qui perdidit uſum,
Cælitibus grates, pleno jam murmure reddit.
Surdus inaſsueta tenues bibit aure loquelas.
Fit mentis compos animi deliria paſſus.
Alter aquas domuiſſe, minis Cacodæmonis alter
Obſtitiſſe, & Stygiam jactat ſpreviſse cohortem.

Eſt, Jovis irati qui tela coerceat: eſt qui
Bella, famem, tabes aliò ſe vertere cogat:
Eſt qui Scyllæam ſicco pede tranſmeet undam;
Et volucres, piſceſque moratur concio: prodit
Intempeſtivus nudo de ſtipite fructus.
Nititur Indigetum varia ad conamina cœtus.
Ardua Franciſci miracula qui petis, unum
Pro cunctis refero: Chriſti vir ſtigmata portat.

S. F. martyrii, quod quæſierat, aſſequutione fruſtratur. 86.

Mortis iter tentare diu per tela, per ignes
Vana mora eſt: pietas viſcera ſæva ligat.
Quòd maris alta petas, & inhoſpita tecta pererres;
Et quæ Niliacus regna Tyrannus habet;
Quòd redeas nulla terebratus cuſpide venas,
Martyrii an fuerint palma, corona procul?
Flectere ad obſequium Reges, ſit, Dive, corona:
Palma ſit, Ægypti te ſubiiſſe plagas.

S. F. martyr deſiderio. 87.

Martyrium venaris. abeſt. fles, Dive, doleſque.
Quòd martyr non ſis, hoc tibi martyrium eſt.

S. F. à dæmone verberatur. 88.

Martyrium ardenti nullus rapit exta Tyrannus,
Diſſita regna licèt, cærulaque alta petas.
Dant, ubi terra negat, Styx verbera, ſtigmata cælum.
An poteras voto nobiliore frui?

S. Franciſci, dæmonumque conflictus. 89.

Tænarii legio atra ducis, velut agmine facto,
Te petit. in Stygium congeris arma gregem.
Ut Phlegetontææ ſuperes fera monſtra paludis,
Umbrigena Alcides, Crux bona clava tibi eſt.

Idem Argumentum. 90.

Vis Pater in præceps abeat (vis irrita) dæmon.
An ruere inferiùs poſſit? humillimus eſt.

S. F. dæmoni eludendo ſibi uxorem effingit. 91.

Importuna tibi connubia ſuggerit Orcus.
Conjugis inventæ tu ſimulachra paras.
Felices ſponſi, felicia tempora, muta
Si cunctis uxor, ceu tibi Dive, foret!

S. F. aſino vectus, honorificè excipitur. 92.

Longum iter Æſiſias animo dum tentat inerti,
Quadrupedem laſſo provida turma parant.
Jam ſupereſt aſino pia ſarcina, jam gerit Umbrum
Vile pecus, gentes undique, ubique faces.
Plectra ſodalitium tangens, cytharaſque præibat.
Uniſona plaudunt voce puella, puer.
Curribus advecti ſubeant Capitolia Reges:
Plus meruit laudis ſeſſor Aſelle tuus.

S. Franciſci ſuper caput charta è cœlo deſcendit, cum epigraphe, hæc eſt gratia Dei. 93.

Te, Patriarca Minor, ſuperum quòd gratia firmet,
Pagina ſcripta docet, ſtigmata ſculpta probant.

S. F. Portiunculæ Indulgentiam impetrat. 94.

Viderat Æſiſias, hominum gliſcente piaclo,
Ad Stygis innumerum trudier antra gregem.
Conſulat ut noſtris Chriſti novus aſſecla rebus,
Corde flagrans, onerat ter, quater aſtra prece.
Tu, qui nos quino ſervaſti vulnere, Soter,
Terrigenis veniam dum precor, affer opem.

Si redimi haud poterit, fuſo niſi ſanguine, mundus,
Hoc utinam terebret cuſpis acuta latus!
O quàm jucundo mihi fibra pateret hiatu!
Quàm flueret dulcis membra per icta cruor!
Dixerat, ecce ſalus cœlo demittitur: ecce
Muneris ætherei nos Pater imbre rigat.
Vis Domini plagis proh quanta innititur! Umbri
Quantus honor plagis, gratia quanta datur!
Sanguinis hic pretium. gens eia huc perge. futuro
Stigmate præſentes ſignifer emit opes.

S. Franciſci Transfiguratio. 95.

Torqueor, ignivomo raptatus ad æthera curru
Dum veheris Genitor, quid nova monſtra petant?
Præfecit rhedæ Titan Phaetonta paternæ,
Creditus hic ne ulli ſtirps aliena foret.
Sic, Pater, ut ſupera teſletur origine ertum,
Sol Deus æthereo te jubet axe vehi.

Idem Argumentum. 96.

Ludimur? anne alium Phœbi capit orbita Phœbum,
Luxque recens jubari certat Apollineo?
Franciſcus ſolare micans, flammantibus oſtris
Jam fueti cineris vertere ſyrma poteſt.
Quem nil terra facit, ſic tollunt ſidera. majus
Æthere fit lumen, qui fuit orbe Minor.

S. F. ex latrone Religioſum delegit. 97.

Quin ex fure malo Fratrem ſibi deligat Umber,
Ex pejore lupo qui modò fecit ovem?

S. P. Franciſco. 98.

Nondum opus abſolvi laudum, Sator alme, tuarum.
Laus eſt, cum laudes ſint ſine fine tuæ.

Eidem. 99.

En primam tibi nuncupat Sacerdos,
Urſas, Centuriam, faber ſecunda
Quam nondum ſatis expolivit ungue.
Tu noſtræ faveas, precor, Camœnæ,
O quem ſomnia vana, fabulaſque
Oblitus veterum, leveſque nugas,
Jam puber cecini, ſacrum Lavernæ,
Phœbo poſthabito, incolam ſequutus.
Quòd ſi virgineæ ſales juventæ,
Et Franciſc[illegible] dum ſimulat perenne
Vultu exceperis, ut ſoles, ovante:
An dentes critici, putreſque naſos,
An mimi grave murmur oſcitantis,
Et rugas metuam Catonianas?
Te ſolùm ingenuos probante luſus
Omne hinc dixero me tuliſſe punctum.
Quin pergens digito ciere nervos,
Teeamque Aoniam bibens, opellæ
Raptim ferre coronidem ſtudebo.
Sic unum tibi ſiſtimus libellum,
Quò poſſimus & alterum dicare.

Peroratio. 100.

Codex ò timide, aſperaque nondum
Tactus pumice, neſciuſque limæ,
Incudis, trutinæ, ac recentis unguis,
Exi jam novus ad Theatra, quò te
Invitum è latebris trahunt poetæ.
I præcox tineæ cibus voraci.
Te mercator inutilis librorum
Haud ulla expoſitum videbit arte,
Nec membris habilem, nec ore comptum.
Chartis Colchica vellera invidebis,
Auri fibulam, & icones Quiritum,
Quas de more celens minor ſedeto,
Non auſure ſuperbiens videri.
Noſtra heu vix bene te Calata noſcet
Reddentem pueri vicem poetæ,
Cujus nomen, opus, genuſque norat,
Quem gratis aluit benigna cunis.
Aſt heus quò petis, uſque finiendus,
Exutuſque ope, non probatus hoſpes?
Quò feſtine prævamiluio vagaris?
Orphæum fugis otioſus Hæmum;
Jamque altæ juga deſerens Lavernæ,
Urbanum ingrederis videre limen,
Et rugas Cynici ſeverioris,
Qui ſueſti per agroſque, ſuaviumque
Mecum ludere collium receſſus.
En dudum cilio minax recurvo
Ungues exacuit, politque cenſor.
Ex imis cariem fovens medullis
In te ſcommata Zoilus volutat.
Cunctans deficie, advenamque ſperat
Naſorum chorus obſidere librum.
Suffert tormina mille pædagogus.
Non hinc de immemori querare Phœbo,
Dum ludibria ſannionis, aſpram
Lævi dum pateris manum [illegible].
Vitat Delius urbium tumultus,
Nec probris adimi ſinit volumen.
Nunc oracula Numinis probentur;
Nam torvis populo legente ocellis,
Tu cives fugiens, forumque gratus
Muſarum potes ad ſinum redire.

PRIMÆ CENTURIÆ FINIS.

Digitized by Google

P. M. BALTHASARIS PAGLIA ICON AMORIS CHRISTI, & FRANCISCI.

CENTURIA SECUNDA.

SS. D. N. CLEMENTI XI. P. M.

Nuncupatio. 1.

PRotinus expediam ſacræ nemora alta Livernæ.
Hæc etiam CLEMENS otia dexter amet.
Luſtro choros Vatum. patet una, ſed omnibus, ædes.
Fallimur? an cunctis non erit una ſatis?
Zoilus inſequitur? ſtatio beneſida paratur.
Scurra ſtrepit? myſtam Principis aula manet.
Frondibus Æſiſias mihi tempora criniat: unquam
Vix arcet critices umbra paterna canes.
Quid Pindum ſubiiſſe juvat, quid amœna juventæ
Otia Thymbræa præteriiſſe fide?
Plauſibus exceptum, Phœbo, Auſoniaque probatum
Pallade dens rudior ſæpe momordit opus.
Eſt vel Naſonis laceret qui carmen adempti,
Cui vel thura Getæ, Sauromatæque litant.
Diceris Hiſpano Læli oblatraſſe poetæ,
Undique Bilbilicos Urbe probante ſales.
Allicit hunc ſoccus, pictos amat ille cothurnos:
Inſlita vos juvenes, caſtaque vitta fugat.
Altera pars longis, brevibus pars altera gaudet:
Hic trahitur neutris: alter utriſque favet.
Delicias alii, & nudos venantur amores:
Sunt quibus & Perſi laurus amara ſapit.
Ne morer in reliquis, quiſnam ſatis omnibus? uni,
Quem loquor, ò placeam! ſi probet ille, ſatis.

Programma. 2.

Te cano, Dux inopum: tua per ſpectacula Vatem
Ire juvat. tantum ſpiritus audet opus.
Nulla Cupidineo caleat mihi flamine Clio:
Idaliam extinguat Pieris unda facem.
Arma procul: tenuem exuperat Dea bellica niſum:
Cedere lenta gravi diſcat arundo tubæ.
Mens amat in proprium ſeſe diffundere Numen;
Mens jubet, hæc animi ſint monumenta mei.
Laurus, myrte procul: tonſo mihi crine corona.
Vilior eſt, fatear, gratior una tamen.
Hujus honore tumens grates utcunque rependam,
Iſque ſalutari carmine multus ero.
Jamque Subaſæos meditabor, & antra Livernæ,
Unde notam pacis vulnera fecit Amor.
Ordiar & titulos, auctæque encomia Prolis,
Qua lapſura Dei crevit ubique domus.
Cuncta mihi volvenda. Parens adlabere gnato,
Deque tuo manans ſit, rogo, fonte liquor.
Hunc ego ſi potero de ſtigmatis amne fluentem,
Caſtaliam ſapiet tunc mihi ſanguis aquam.

Auctoris votum. 3.

Turba Quirinales veniat ſibi quærere faſces,
Ardua non humili dans alimenta ſpei.
Aut procerum circos, aut perniciosa frequentet
Atria, ſollicito non adeunda pede.
Oraclum ſint juſſa foro. det curia nomen,
Deque ſuo facilis pendeat ore cohors.
Alter inacceſſos cremiget a'rena fines,
Qua vagus Herculeum trans mare tentet iter.
Hunc Epheſus capiat Triviæ ſimulacra colentem,
Alliciat vel ſago Gallia, Roma togis.
Huic placeant Induſque ferax, atque aureus Hermus,
Palmifer Ægyptus, populiferque Padus.
Me juvat invisis alto de mœnibus actum
Sub viridi tacitos fallere monte dies.
Aggredier damas, agnum compellere hibiſco,
Rimari nidos dulcis alauda tuos.
Sic rigidis late ſtudiis, curaque ſoluta
Mens Verbum, Indigetes, te, pia Virgo, loqui.
Vos Franciſciades cœlis eſſerre, Parentis
Stigmata, creſcentem dicere progeniem.
Hic vocor, hic noſtram requies manet apta juventam,
Integra congeſtas mens ubi tractat opes.
Hic Lycio reddenda Deo dant otia cautes,
Queis utinam poſſis tarda ſenecta frui.
Tunc mihi poſt canos obitus dulceſceret annos,
Arida tunc felix ureret oſſa rogus.
Sic Opifex rerum nutu mea vota ſecundo
Clauſit. ante pias non ſinit ille preces.

Aliud. 4.

Rura colo? en ſpirant urbana poemata Muſæ.
Urbe moror? Phœbus ruſtica metra docet.
Seria volventem torvi inſpexere penates:
Suſcipit agreſtes Verna læta choros.
Aptius ut modular, fugientem mœnia, Cives,
Tegmine ſub fagi vena Maronis aget.

S. Franciſci Virtutes. Tres Theologicæ. 5.

Iridis ut ritu ſummis ligat ima vireſcens
Spes; aurata Fides, & rubicundus Amor,
Sic triplici hoc dono Franciſcus, ut iride, fulgens
Æternum æterno cum Patre fœdus init.

Eædem. 6.

Speſque, Fideſque, & Amor ludunt certamine, quidnam
Dignius? in promptu eſt. omnia vincit Amor.
Spemque, Fidemque pares hic æquat, præſtat Amore.
Non aliter poterat maximus eſſe Minor.

S. Franciſci Humilitas. 7.

Aſtra ſubire Gigas fruſtra olim quæſiit. altis
Clauſa via eſt. parvus illa, quod arcta, capit.

Sidera Dive petens, imponere Pelion Oſſa
Ne ſtudeas. humili celſior aula patet.
Diſco Minor: quem montis apex, dubiumque cacumen
Allicit, hunc lapſus, certa ruina manent.
Per juga, per cautes, per inhoſpita tecta viator
Filius, alme Sator, vix bene tutus erit.
Infima dum vallis peragro, via certa vaganti es;
Sis precor ad ſuperas dux, via, meta plagas.

Eadem, & Amoris Dei meditatio. 8.

Nil fueram; creat Omnipotens. ſum. pecco. revertor
Ad nihil. ut recreet, fit nihil ecce Deus.

Eadem, qua à Sacerdotio abſtinet. 9.

Myſta negans fieri, cum poſſit, Origo Minorum,
Proximior Chriſto, quò mage diſtat, erit.

S. Franciſci Modeſtia, qua per Aſſiſium incedens, ut concione utebatur. 10.

Turpia cum levibus reſonarent compita gerris,
Nudaque ſcurrarum ſtaret in ore Venus;
Maſculus Orator, Fidei vox, præco Tonantis
Non tulit obſcœni murmur inane fori.
Nec magnus vetuiſſe labor: ſuffuſa pudore
Ut prope frons aderat, plebs inhoneſta ſilent.
Infrenes cohibet linguas, mimumque procacem,
Quæque pharetratus ſuggerit orſa Puer.
Arceat ut Venerem, neſcis, quo Tullius iſte
Utitur eloquio? concio vultus erat.

S. F. Prophetia illuſtris. 11.

Aſtra, faces, lymphas, tumulos, frontemq., manumq.
Myſta videns, fictis nutat haruſpiciis.
Præco futurorum clauſis Franciſcus ocellis
Abdita proſpiciens, Flaminis ore canit.
Ludimur à falſis legimus qui ſigna planetis:
Signifer eloquitur? credite: vera patent.

S. Franciſci Patientia, cui B. Bernardus os, & guttur pedibus calcat. 12.

Umbrigenæ o humilis Patientia, quem pede calcans
Diſcipulus, ſtrato guttur, & ora premit!
Diſce Minor virtutis opus: nequit altiùs ille,
Quam modò, compreſſis gutture, & ore loqui.

S. Franciſci Paupertas. 13.

Vis numerem flavi pretium Franciſce metalli?
Aurea, præſtarem, ſi mihi vena foret.
Saturni auſpiciis ætas viget aurea. nomen
Secula, non vires [illegible] aere ſuas.
Illius armipotens, necdum ſatiabile Numen
Jus premit, arbitrium faſcinat, arma terit.
Hoc duce fœdifragis ſua credens carbaſa ventis
Aggreditur dubia qui rate ſulcat aquas.
Centimani majora fide ſint geſta Gigantis:
Plus dabit auriparæ dextra puſilla Mydæ.
Æquat Apollineam pernix Atalanta quadrigam,
Sed gravat invictos aurea maſſa pedes.
Indomito palmas quis non invidit Amori?
Flet tamen Eoo pondere preſſus Amor.
Des mihi Therſiten, auro dum fulgeat, ultro
Curret ad amplexus Teucra puella ſuos.
Quo vetitum penetraret iter, Stygiæque paludis
[illegible] Æ[illegible] puppe Charontis aquam,
Objecit [illegible] Seni, panem per Triſauci:
Ergo hominum aurum placat, ut offa canes.

Perditus, ut Danaen ſuperet, fit Juppiter aurum;
Aurea poma cadunt? Herculis iſte labor.
Omnia vincentem ſi, Dux bone, viceris hoſtem,
Si ſapiens Indas nil reputabis opes;
Si tibi pauperies, & iners penuria cordi,
Altior hic reliquis nonne triumphus erit?

S. Franciſci Obedientia. 14.

Reddere opes Domino ceu nil foret, Alpha Minorum,
Vis quoque velle tuum reſtituiſſe Deo.
Si malè pro toto libertas venditur auro,
Hoc ſimul, atque illam vendere quantum opus eſt!

S. Franciſci Caſtitas. 15.

Virginea inſignis pietate Subaſius Heros
Cypridis ad pugnam cum raperetur, ait;
Otia, ſegnities, ſomnus, caro, fœmina, vinum,
Proſperitas, ludus, carmina, forma, puer;
Arma Cupidinea, & toto Venus agmine, nudum
Me petite: en votum. ſat mihi pro clypeo.

S. F. flammis Cupidinem vincit. 16.

Urit Amor Divum: ſeſe hic incendit, & hoſtem;
Semicremis plumis promptiùs ille volat.

S. F. idem præſtat & nive. 17.

Ardentem cœlos ardens Venus obſidet Umbrum;
Algida ſed nivens protulit arma pudor.
Exutum lanis hyemali veſte Magiſter
Se tegit. 1 ut lanam dat Deus ecce nivem.
Quis clypeus flammis? glacies. ſic protinus arcet
Æſtatem præcox bruma Cupidineam.
Pura viget pietas? candentia vellera firmant.
Liquitur in lachrymas? nix calefacta docet.
Corde flagrat, dum pelle riget novus Ætna: pudorem
Franciſcus nivibus ſervat, ut 2 Ætna fidem.

1 Ex Pſalmo 137. 2 Ex Claud. Epig. de Ætna.

Duo Superiora Argumenta. 18.

Et glacie Æſiſias te, Cypris, & ignibus arcet,
Fulgidiorque rogo, candidiorque nive.
Scilicet in diro pietatis flamma rigore
Æſtuat, inque truci ſtat pius igne rigor.

Eadem. 19.

Aſpra ſeſe operit nive,
Flagrantes patitur rogos,
Ut ſenſus ſcabiem domet
Dux Fratrum, decus Umbriæ.
Laturæ obſequium viro
Cum flammis coeunt aquæ.
Sanctus, quò Cypris exulet,
Quot miracula congerit!
Si tu partus aquæ Venus,
Si conjux tibi Mulciber,
Cur nunc imperio Patris,
Et matrem ſoboles fugit,
Et conjux dominam fugat.

Eadem. 20.

Pande Venus fucata ſinum, Tyrioque veneno
Mendaces rubeant abſque pudore genæ.
Ubera preſſa dolo ſtrophium tegat. habet odorum
Serica Panchais cyclas aromatibus.
Cumque madens aurata gerat crinalia vertex,
Dives Erythræas claudat amictus opes.

Sic

Sic te Signiferi fauſtis inhiante Hymenæis,
Prateriens jactas non rapit aura preces.
En modò ſe glacie, prunis modò terga volutans
Indicium nutus promere ſponſus amat.
Quid nix præſtat? ajs. thalamum, ceu candida veſtit
Sindon. quid flammæ? tædæ jugalis erunt.
Te quoque vir maneat certæ fiducia palmæ,
Cui celerem faciunt algor, & ignis opem.
Cypris, Amor vexant? proſunt nix, flamma. timebit
Nudus Amor glaciem, Cypris amicta facem.

S. F. idem & ſpinis aſſequitur. 21.

Nititur alma Venus ſeſe objectare Magiſtro:
Mellis, ut illaqueet, retia tendit Amor.
Frontis honos pulchræ, collique inoperta venuſtas
Semideum tacitis obſidet illecebris.
Quid faciat? excone cadat jam ſaucius ictu,
An ruat ad pugnam? cautus utrinque timet.
Dum dubitat, nutantem animum vi Flaminis uri,
Arcanumque ſibi ſentit ineſſe rogum.
Sylva fuit, ſpecubuſque frequens, atque aſpera dumis:
Hanc ſubit: hic denſo ſtat latuiſſe rubo.
Nec mora: corda tepent extinctis tuta favillis.
Spicula ſic Pueri ſpina cruenta domat.
Præda fugit Paphias inter ſpineta ſagittas:
Quin perit orta mari ſanguina merſa Venus.
Ergo adeundo vepres ſi certa eſt palma, juventus
Diſce verecundæ caſtra pudicitiæ.

Idem Argumentum. 22.

In te ſpicula flammea
Dum torquet Veneris puer,
Quàm tutè aufugiens Pater,
Dumoſo latitas rubo!
Spinis fulmina conteris,
Clavum clavus ut eruat,
Ut plagæ veteris memor
Spinetum Venus horreat.
Si carnem facis, ut ferant,
Aptè sepribus abderis.
Hic porro Idalias faces
Cordi ne paveas tuo.
Oreb culmina contuens
Dux cauſam iſacides docet,
Quò vis ignea lædere
Sacrum non potuit rubum.

Tria Superiora Argumenta. 23.

Qui Paphio ſervas immunia corda veneno,
Idalioque times protinus igne coqui;
Vis pereat maleſuada Venus? docet Umbria. tanto
Spina, nives, flammæ ſint medicina malo.

S. Franciſco ſpinis involuto, prodeunt roſæ. 24.

Hactenus haud longùm florens roſa pignus amorum
Grata Dionææ ver breve prœſleram.
Nunc inimica Deæ, dum puris oſcula Numen
Figit, inoccidui nuncia veris ero.

Idem Argumentum. 25.

Membra rubus calefacta domat. fit floridus. aptè
Quæ pupugit Venerem, dat modo ſpina roſas.
Certabas Genitor. gladium tibi ſpina paravit.
Vincis. adhuc eadem florida ſerta parat.

Idem Argumentum. 26.

Edit humus maledicta vepres. ubi figit amoris
Oſcula Franciſcus, dat benedicta roſas.

S. F. roſas Januario natas legit. 27.

Tempora ſic Divo parent! dat frigidus olli
Intempeſtivas Janus habere roſas.
Rite legit Cyprios hyberno frigore flores
Æſtu qui in Cyprio ſcit ſubiiſſe nives.

Auctoris Votum. 28.

Laurea ſerta procul. crines mihi ſpina cruentet:
Spina tuæ, Omnipotens, qua rubuere genæ.
Spina, Subaſæi pupugit quæ membra Parentis,
Cum quateret mollis pectora nuda Venus.
Nam ſacra dicturus, jugi dum concitor æſtro,
Suppetias Vates non niſi ſente paro.
Scilicet æquoreo transfixus tempora junco,
Vile decus frondis robor Apollineæ.
Spina datur? calamo Chriſti pia vulnera ſcribam.
Gutta cadit? ſcribam ſanguine ſtigma Patris.

S. F. quinque Fratres ad martyrium incendit. 29.

Quinque inopum lectos Heroas ab agmine mittit
Dux Pater, Occiduis bella movere plagis.
Arma Fides invicta parat. jam Ditis ad oras
Itur, ubi Eumenidum vis, ubi mortis iter.
Cæca furit Nemeſis: lictori Rex malus uti
Enſe jubet. pejor juſſa ſatelles agit.
At Franciſciadum calcar mens paſſa Parentis
Degeneres clauſa non bibit aure metus.
Irruere ad pugnam, Heſperium ſpreviſſe Tyrannum,
Sæva pericla pati, norma paterna docet.
Ictibus oſſa ſonant: vox altiùs intonat. aſtris
Liberiùs, vincto corpore, corda vacant.
Barbaries o atrox! tortoribus inſtat Enyo;
Hac duce dextra viget, quæ modò laſſa ſtetit.
A capite ad calcem nulli pars integra. tecum
Gratulor, o noſtræ gloria militiæ.
Quod ſupereſt, ſitiens populatur inermia cuſpis
Pectora. ſciſſa caro eſt. vulnera vulnus habent.
Membra cruenta rubent. veſtri jam ſanguinis amne
Fit ſpeculum. in ſpeculo Patris imago nitet.
Hinc ubi plaga omnis plagam coaleſcit in unam,
Vos ego Franciſci vulnera quinque putem.

Eorumdem exemplo S. Antonius Patavinus martyrium exoptat. 30.

Mille virent madidæ fraterno ſanguine palmæ.
Te cruor ad pugnam, ritu elephantis, agit.
Laus aliena tibi cum ſit quaſi calcar, Ibere,
Hanc dignam invidia quis neget invidiam?

S. F. S. Antonio publicè docendi dat facultatem. 31.

Fratribus arbitrium divina arcana docendi
Lyſiadæ hortatu dux facit Æſiſias.
Quæ mora diſcipuli? cœptis date nomina. vobis
Hic via certa, inſons, tuto adeunda pede.
Sanctior an fuerit doctrina, aut purior, illa,
Quam Franciſce probas, quam Patavine petis?

Eiuſdem Sancti Antonii miracula. Paraphraſis. 32.

Thaumata ſi quæris, Lacheſis vomit ægra cadaver.
Error abeſt, veri luce fugante dolos.
Hinc ærumna procul: Cacodæmon hinc procul. atræ
Ingluviem lepræ pharmaca tuta domant.

 Mor-

Morborum abſcedit legio. iactata procellis
Æquora, jam vento prætereunte, ſilent.
Compedibus gentes abeunt, manicijque ſolutæ.
Res, membra amiſſit vir, puer? inveniet.
Cæca pericla cadunt. parcit vis aſpera fati.
Hoc Padua, hoc latè mundus uterque canit.

In eumdem Sueſſanorum devotio. 33.

Quem civem dedit Heſperia natalis, amico
Corde ſuum civem gens Patavina facit.
Sic ſpes, dius amor, pietas, fiducia, cultus
Quod natura negat, vindicat arte decus.
Ergo agè Liſiada fauſtos venerare triumphos,
Antonique pium tolle Sueſſa jugum.
Hæc ſatage, ut clarum patria fecteris honorem,
Sitque Sueſſanus qui Patavinus erat.

Forumdem Ss. ara Narciſſo ornata. 34.

Qua vos Gnate, Sator, pictos hic monſtrat, olentis
Munere Narciſſi cincta tabella rubet.
Languit hic propria deceptus imagine. poſthac
Languebit veſtris captus imaginibus.

S. F. F. Eliam a Cortona Generalem delegit. 35.

Dux venit Elias. ubi ſufficit Umber Etruſcum,
Incipiet nobis ſpiritus eſſe duplex.

Eiuſdem hortatu ſeptem SS. Minoritæ apud Ceptam màrtyrii palmam aſſequuntur. 36.

Hæreo: puniceus qua crevit origine torrens,
Qui properat muros lambere Cepta tuos?
An Fratrum immiti ſoſſis cervicibus enſe
Deſervit multus languida membra cruor?
Scilicet innocuus per ovantem fluctuat urbem
Sanguis, & undanti porticus amne tepet.
Quis Nilo ſtupeat ſeptemplice, fluminis æſtus
Nunc ubi ſeptenus profluit e capite?
Illius Ægypti tellurem gurges opimat:
Hoc hauſtu ſatiat nobilicre Fidem.

S. Franciſci hortatu S. Clara mundo valedicit. 37.

Scilicet inventam clauſtris abcondere gazam
Proxima Franciſco cura, laborque fuit.
Sola domi, ſociaſque cavens ſub ſoru ceparvo
Caſtra pudicitiæ fauſtior Umbra locat.
Vepre coronatus cupidos nil flos pavet ungues:
Accipitrem u do condita ludit avis.
Incomes eſt cui Veſta præit, quò nomina ſervet
Virginis, & fratrem caſta D aua fugit.
Quem comitem admittas hinc fœmina diſce. puellæ!
Clauſa feris tutum cella ſodalitium eſt.

Eiſdem cœnantibus, domus ardere viſa eſt. 38.

Par caſtum cœnat. flagrant triclinia. mirum:
Ardet ubi paries, vir, mulierque tepent.

SS. eorumdem multiplicata Religio. 39.

Quot Franciſce mares, quot ſunt tibi Clara puellæ!
Te Superum thalami ſexus uterque manent.
Integra Religio! replet, æternùmque replebit
Dimidiumque ſoli, dimidiumque poli.

Eadem Diva Euchariſtia Saracenos evertit. 40.

Invadunt, cui Clara præeſt, mille agmina clauſtrum.
Ungue furit vultur fida Columba gemit.
Non aliter cogente metu ſub matribus agnæ
Balatum exercent, luſtrat ubi antra lupus.

Dum timet imbellis funeſta pericula ſexus,
Una petit Mauras caſta Diana feras.
Vix te Chriſte rapit nivea ſub nube latentem,
Jamque arcet piceos, exoculatque greges.
Arma vides? mirare fugam? quin deſine. tanti
Non potuit Solis noctua ferre jubar.

Ejuſdem tumulus. 41.

Viva bonum, defuncta bonum das Mater odorem.
Fœmina ſic bene olet, quæ bene ſemper olet.

S. F. JESU Nominis cultor. 42.

Vir juſſu & lapides, plantaſque, homineſque, feraſq.
Tartara vi ſuperat, Cælicolaſque prece.
Omnia Signifero parent. cur? nomen JESU,
Quo Dux armatur, 1 Styx, humus, aſtra timent.
1. Ad Philipp. 2.

S. F. ad Cristi Crucem ubertim flet. 43.

Parce queri o ſacra qui plangis in arbore turtur.
Pabula triſtitiæ luctus amara feret.
Quòd ſi flens lignum perfundes Dive, dolorum
Heu tibi quot fructus planta rigata feret!

Ejuſdem ara violis ornata. 44.

Floret adhuc Patris Verbi pro funere planctus:
Hinc ægras violas ara bicornis olet.
Floſcule ne timeas: nullo ſiccaberis æſtu:
Ut riget, æternas en dat ocellus aquas.

S. Franciſci præ fletu oculorum infirmitas. 45.

Corde gerit nubem, pluviaſque Subaſius ore
Exprimit. hinc gemini lumina Solis hebent.
Quid Patris lachrymæ? flammas teſtantur amoris.
Cæcutit. meritò. lumine captus Amor.

S. F. candente ferro non læditur. 46.

Languidus ora, fibras, ceu vulnera nactus amoris
Lemnia Rex inopum cogitur arma pati.
Uritur, ardet, hiat flammanti cuſpide corpus,
Nec fremit indignans, aut petit æger opem.
Cur tetigit, neſcis, candens impune metallum?
Qui conſtanter amat ferreus, igneus eſt.

Idem Argumentum. 47.

Exprimis irriguas imo de pectore guttas
Flens Pater: hinc lucem noctis imago tegit.
Stat face, ſtat Coo morbum populariter enſe:
Nec face torquentur membra, nec enſe dolent.
Invictum Æaciden Stygiis dat Juno lavacris:
Te validum proprii luminis unda facit.

S. F. pro Archangelo Michaele jejunat. 48.

Dive, poli Athleta ſacras jejunia. noſti
Quo duce, queis armis hoſtis inultus abit.

S. F. in Alvernia jejunat, ſtigmatibus decorandus. 49.

Sepoſitam Dux pauper adit, ceu Chriſtus, eremum:
Hic vigil aſſueto parcit, ut ille, cibo.
Dum litat æterno famulus, Dominuſque Parenti,
Vicit ab æterna geſtit uterque dape.
At Chriſtum in Satanſi vertere Lucifer optas,
Angele Semideum nunc facis ex homine.

S. Franciſci frons, os, humerus Tau litera conſignantur. 50.

Palma, latus, pes ſtigma gerunt. frontè, os, humeroſq.
Crux notat. eſt, Genitor, Crux tua, tuque Crucis.

Digitized by Google

Sſ. Franciſco, & Angelo Carmelita invicem prophetantibus, S. Dominicus, Amen, reſpondit. 51.

Angelus Umbrigena dum ſtigmata nunciat, olli
Dum canit hic palmam, ſubdit liberus, Amen.
Rem probat eventus: queis vulnera ſpectes, ocellos
Jam referet tantis teſtibus aucta Fides.

S. Franciſci Stigmata à SS. Apoſt. Jo: & Paulo prædicuntur. 52.

Paulus, Joannes præmonſtrant ſtigmata. quis non
Vos capiat Superum lingua, Deique tuba?
Quisquis adhuc nutans minùs expergiſcitur, illum
Sopitum haud quaquam dixero: mortuus eſt.

S. F. ſacris Stigmatibus inſignitur. 53.

Jam patriæ fines, atque otia lenta peroſus
Antra Subaſæus luſtrat Etruſca Pater.
Mons erat abruptus, ſcopulis ingentibus aſper,
Denſa cavernoſas quà tegit umbra vias.
Huc venit: appoſitam ſtudiis hic nactus eremum
(Cura prior) ſuetis abſtinet ora cibis.
Stat ventos, imbreſque pati, ſtat poplite flexo
Cælitibus crebras ingeminare preces.
Liquitur in lachrymas, ægroque reſolvitur æſtu,
Mors ubi Soteris pectoris ima quatit.
Non animo exciderant languorum aſperrimus ordo,
Pœnarum Iliades, triſte laboris onus.
Scit ſpinas, alapas, jejunia, ſputa, columnam,
Fel, cannam, clavos, vincula, flagra, Crucem.
Omne doloris opus manet alta mente repoſtum.
Mors animæ dolor eſt: vita doloris amor.
Arctiùs orantem ter flammeus occupat ardor:
Icta jacent blando viſcera deliquio.
Ignis edit fibras, hæret pia cura medullis.
Os Chriſtum, Chriſtum cor, animuſque ſonant.
Pulchriùs interea lævi de cardine cæli
Sol micat, & dium fundit ubique jubar.
Ardet Apollineis circumdata Vernia flammis:
Obſtupet ignotas proxima turba faces.
Ollitus pecorum videt ardua monſtra bubulcus,
Immemor herbarum thaumata ſpectat ovis.
Nec mora: dum cælos ulnis meditatur apertis
Flens Genitor, ſupera Flamen ab arce venit.
Jamque latus Deus ipſe ferit. rubet utraque palma
Vulneribus veris, utraque planta rubet.
Proh ſtupor! æternus conſignat membra characte̾r.
Proh ſtupor! in famulo Regis imago patet.
Pergite Chriſtiadæ. magnum hic Patris argumentum.
Stigmata viva manent. æqua figura viget.
Secula ne ſeptem ſtupeant miracula mundi.
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Idem argumentum. 54.

Quinque minùs recolens Soteris vulnera, mundus
Torpet iners, diræ vix memor hiſtoriæ.
Triſtitia quò redeat pietas, in codice vivo
Signifer en quintum monſtrat Evangelium.

Idem Argumentum. 55.

Mens tibi dira pati? quis plaga, aut funeris auctor?
Martyrium ardebas? Dive agè martyr eris.
O amor, o pietas, ò aperti incendia cordis,
O ſtupor, o animi vis, o amantis opus!
Artubus in Chriſti quid plagis dignius? illas
Dans homini, poterat num dare plura Deus?
Te, Pater, alterius ne torqueat ira Tyranni,
En tibi zelotypus vulnera figit Amor.

Idem Argumentum. 56.

Te met Alexander cum Divum ab ſtipite jactes,
Vix plagata rubent membra, pudore rubes.
Nunc agè Rex inopi, Magnus concede Minori.
Hunc è prole Deum vulnera quinque probant.

Idem Argumentum. 57.

Quò Soli eripiat radios, adit alta Prometheus,
Ut lumen rapiat Soli, adit alta Pater.
Par via, meta impar: cum fauciet ales utrumque;
Vir plagas odii, Divus amoris habet.

S. Franciſci Stigmatum Fides. 58.

Omnia par Domino, ſtillas quoque ſanguine: quidam
Hæſitat: en Thomas nec Vicechriſte procul.
Hic tamen ambiguus palpat, palpanſque fatetur;
Dumque aliena videt vulnera, noſtra levat.
Quiſquis es, o Patris liceat tibi tangere plagas,
Et madidum digito ſollicitare latus.
Felix o dubium, nutas dum pectore! certus
Stigmata dum palpas, o pretioſa Fides!

S. Franciſci Stigmata Alexander IV. P. M. ſe vidiſſe palam teſtatus eſt. 59.

Stigmata quis reprobet? Petrus te Chriſte negavit:
Nunc hæres Petri te Vicechriſte probat.

S. Franciſci Clavi. 60.

Regis imago patet. qui vulnera præſtitit Umbro,
Vulneribus clavos non minus ille dedit.
Sic ducis, & famuli terebrant qui corpora, clavis;
Figitur ille Cruci, figitur iſte Deo.

S. F. Icon Amoris. 61.

Te Patriarcea videns, quid magnū inſpectat ocellus:
Te meditans animus grande volutat opus.
Stygmata quòd ſpecules, Chriſti mihi crederis Icon,
Si fel, Crux tecum, Spina, Columna forent.
At ſapidis quæ ſponte cibis abſinthia miſces,
Dic, rogo, guſtati num vice fellis erant?
Ipſe columna tibi es, conſtans ubi vulnera ſuffers:
Spina procul? præſtat ſpinea ſerta rubus.
Quid moror? expanſis ubi Regem amplecteris ulnis,
An poteras fungi nobiliore Cruce?

S. F. Icon Amoris. 62.

Icona Franciſci, Chriſtique ut pingat Amoris,
Peniculi ad ritum ſpicula tractat Amor.
Calicus idaam ſpirat Pater. exhibet umbras
Vernia. pro tabulis en caro ſufficitur.
Jamque opus aggrediens vix pictor fauciat Umbrum,
Nec mora: Soteris viva figura patet.
Vulnera picturæ num congrua? num tua, Chriſte,
Non niſi ſanguineus dat ſimulacra color?

S. F. Icon Amoris. 63.

Pinxit Amor Chriſtum Franciſci in corpore. miror.
Nunquam aliàs cæcus tam bene vidit Amor.

S. F. cum diſcipulis ante obitum cœnat. 64.

Teque, tuoſque cibas jam jam moriture Magiſter:
Ultima jam valeat cœna, ubi prima vocat.

S. F. æger cantu Angelico recreatur. 65.

Ludit ebur: ſecio vix Aliger occinit: alto
Semianimis languent viſcera del quio.
Cantibus extructas quis Thebas dixerit? Umber
Ut bibit aure melos, ſolvitur urbs animæ.
Dum gemit arcano vir pondere preſſus, ovantes
Dans fidicen verſus, pharmaca tuta parat.
O mihi par utinam venis exæſtuet ardor!
Dummodo par noſtro ſit medicina malo.

Idem Argumentum. 66.

Muſa canit: valet Æſiſias. ne ſperne Poëſim
Ordo Minor. Patri profuit illa tuo.

S. F. moriturus. 67.

Crux ubinam, Chriſti vivax ut ſpiret imago?
Sic diſpar, ſimilis qui modò vixit, obit?
Anne humilem vita mors tolli non ſinit? an quòd
Mors fuerit gravior non habuiſſe Crucem?

S. F. moriturus lateris vulnus abſcondit. 68.

Siccine, poſtremo nutant ubi pectora motu,
Flens Pater, indicium vis laterale tegi?
Ubera ſic Natis fontem ſitientibus abdis?
Limina ſic tutæ claudis aperta viæ?
Fall mur? anne metus, lateris cum vulnera condas,
Ne, velut a Chriſto, ſanguis, & unda fluent?

S. F. moriturus brachia cancellat. 69.

Aſpice, quiſquis ades, morituri brachia. ſignum
En Crucis efformant. hoc Minor Ordo cole.
Inde Crucis ſpecies ulnis compoſta paternis
Ut maneat, nobis ſtemma perenne datur.

S. F. moriturus Fratribus vel abſentibus benedixit. 70.

Dona paterna fluunt. omnis capit omnia Frater.
Aſt ego ſum parva pars, licèt ima, gregis.
Me ſimul, alme Sator, terræ pinguedine ditas:
Me, Genitor, cæli vis quoque rore frui.
Sancte, velis, quæſo, morituro reddere Nato
Vivus, quas vivo das moriturus opes.

S. F. moriturus Pſalmum 141. recitat. 71.

1 *Regis opem quærens, bis queſtibus æthera rupi:*
Addidit enixas vox geminata preces.
2 *Hinc ante ora Patris ſtat amica effundere vota:*
Stat Patris ante pedes ponere mentis onus.
3 *Dum feror extremam fato ceſſurus ad horam,*
Te mihi jam notæ non latuere viæ.
4 *Semita, quam ſupra aſſiduus veſtigia preſſi,*
Implicitos laqueos ad mea damna tegit.
5 *Dextra ubi porrigitur, tecto ſpeculabar ab alto,*
Si mea quis noſſet corda, nec ullus erat.
6 *Quo miſer aufugiam? nequicquam ſector aſylum.*
Spiritus haud unum, qui tueatur, habet.
7 *Numen adire juvat. tu ſpes, tu portio, dixi,*
Quæ facit æternos regia celſa dies.
8 *Supplicis obſequio faciles da protinus aures,*
Acle gravor: vitam pondere preſſus ago.
9 *Solve jugum, da vincla teri; nam turba nocentum*
Me ſuper impoſitis invaluere malis.
10 *Vota ſoluturum retrahas e carcere flamen,*
Me Superis gratum præmia digna manent.
Sic ait æthercam properans Franciſcus ad aulam,
Et pius hæc inter carmina cycnus obit.

S. F. nudus, humique ſtratus emoritur. 72.

Scilicet infenſus ſibimet dux claſſis egenæ
Nudus, humique jacens ultima fata ſubis.
Stramine operta rudi temnis tua corpora vivens,
Mox, ubi veſte carent, temnis & emoriens.
Poſt funus ceſſat livor, pareitque ſepultis:
Tu vel membra, Parens, exanimata domas.

S. F. mortuus cælos ſuper nubem aſcendit. 73.

Ne raperet Soli lateralis plaga nitorem,
Sanguineum clauſit ae vira paterna jubar:
Semper ubique humilis: ſic dux ubi migrat ad aſtra,
Ne Sol credatur, vult modo nube tegi.

Idem Argumentum. 74.

Effigies eſt viſa Dei ſub imagine nubis,
Nunc ſubit effigiem nubis imago Dei.

S. F. poſt mortem, ut ſidus, cælos aſcendit. 75.

Jam rapitur, ceu ſtella foret, Franciſcus ad aſtra.
Repetimat hoc utinam turba ſuperſtes iter!
Lucifer o humilis cælo tot ſidera reddat,
Quot cælo elatus Lucifer eripuit!

S. Franciſci Anima a Deo, a Virgine, a SS. recipi viſa eſt. 76.

Sancte colis vivens Divos, Matremque, Deumque:
Divis, Matre, Deo mortuus exciperis.

S. F. pauper, & humilis cælum dives ingreditur. 77.

Veſtibus, ære, cibo tua dextera fovit egenos:
Dives erat, ſoto paupere, pauper abit.
Si vivens inopum turmæ tua, teque dediſti,
Functe Sator dignum Cælite tegmen habe.
Murice quam tinxit, quam vellere texuit aureo,
Te memor hac veſtit cyclade pauperies.
Nunc iter ad Superos. immenſo hinc fœnore, Præſes,
Quas dederas olim, ſemper habebis opes.

S. Franciſci cadaver B. Jacoba Romana ſindone obvolvit. 78.

Manibus hæc ſanctis curæ monumenta ſuprema,
Conſcia jam fati ducit ab Urbe nurus.
Scilicet auratam percurrens pectine telam,
Lecta ſimul Phrygia ſtamina pinxit acu.
Inſita ſic pietas, auctis in funere pompis,
Tegmine vult poſito membra paterna tegi.
Stemmate ne poſthac tumeas Cleopatra ſepulchri:
Dignius hac urnam ſindone Roma parat.

S. Franciſci exequiæ. 79.

Et palmæ foliis, & ramo agreſtis olivæ
Patris ad exequias obvia turba venit.
Scilicet alterius non mavult frondis honorem
Templum, ceu Solimam, dum Vicechriſtus adit.

S. Franciſci in Æde S. Mariæ Angelorum exequiæ. 80.

Virginea, æthereus quam perſonat Ales, ab Æde
Præfica turma procul, nænia mæſta procul.
Digna Genethliaco Sanctorum fata. cadaver
Queſtubus humanis condecorare nefas.
Angelus, & Mater ſunt Chriſti ad funera. grator,
Exequias metrea, quod, Sator alme, pares.

S. Franciſci Sepulchrum in Colle Inferni. 81.

Urna reis fatius, vicetver Collis Averni:
Chriſtiferum condens, mox Paradiſus ero.

S. Fran-

Digitized by Google

S. Franciſci Cor. 82.

1 *Cor ubi theſaurus: theſaurus corporis urna*
Clauditur: una eadem Cor Patris urna tegit.
1. Matth. 6.

S. Franciſci Sepulchrum P. Cuſtodis curæ committitur. 83.

Heſperii cuſtodem hortique, aurique draconem
Amphitrioniadæ laus domuiſſe fuit.
Theſauri monumentum omni pretioſius auro
In Paradiſiaci viſcere Collis adeſt.
Hic labor Herculeus fruſtra. ſtans limine Cuſtos
Non hominum ingenio, vique, doloque cadet.

S. Franciſci Sepulchrum Summus Pontifex viſit. 84.

Tres Verbi infantis viſunt cunabula Reges:
Franciſco infanti defuit illa trias?
Queis cunæ carvere, ornatur honoribus urna:
Supplicat en functo trina Corona Patri.

S. F. in tumulo ſtans, non jacens inventus eſt. 85.

Occidis (heu jactura!) Parens. Eccleſia, quæ nunc
Nixa tibi, heu longùm, Religioque gemunt.
An ruat everſo præceps fundamine Templum?
Non tulit hoc pietas: das miſeratus opem.
Contegeris? non inde jaces, ſtas rectus in urna,
Ne Domus Excelſi, ne tuus Ordo cadat.

S. Franciſci Sepulchrum Papa Epitaphio exornat. 86.

A' vena geſtit ovans, extra dum Patris in urna
Spectat Apoſtolica grammata ſcripta manu.
Quos biberet plauſus, intra ſi fortè liceret
Cernere divinis corpora ſculpta notis?

S. F. ibidem Romanus dicitur. 87.

Patria cum longo ſeſe efferat Umbria cultu,
Cum civi Æſiſium templaque, thuſque dicet;
Romanum Summus te ſcribit Myſta. verebar,
Quid cauſæ eſt? noſti fortia, Dive, pati.

S. Franciſci Sepulchrum alii ex Summis Pontificibus venerantes, Domum immediatè Romanæ Juriſdictioni ſubjiciunt. 88.

Quà facit æternos vernans amaranthus honores,
Corpus, humumque colens, advena ſiſte gradum.
Hic Proceres, trino frontem diademate cincti,
Ad tumulum flexo procubuere genu.
Clauſtra vides, ſeſeque æquantem nubibus arcem,
Et templa, & ſacro pegmata juncta tholo?
Hæc dedit Auſoniæ ſtudioſa potentia gazæ,
Quæ jure eximias fovit, & ære plagas.
Hinc & Myſta prior fauſto tegit omine claros
Franciſci & titulis, exuviiſque lares.
Siqua domus paribus jactet ſe dotibus auctam,
Nulla Domus Domino nobiliore tumet.

S. Franciſci Epitaphium Ænygmaticum. 89.

Siſte gradum, flexoque colens hoc poplite marmor,
Da flores tumulo. Patris imago latet.
Angelus hunc Matri, quem jam cecinere 1 Sybillæ,
2 Nunciat. 3 ex Umbris 4 editur in ſtabulo.
5 Crux vocat: ille ſequax, paſſurus ubique, 6 parentes
Dum fugit, 7 in Templo dogma ſalubre docet.
8 Fœcundat Cererem, 9 Bacchum deducit ab unda.
Voce prece 10 mors, 11 languor, 12 Styx, 13 mare, 14 culpa domat.
Quem 15 malus impellit, 16 firmans bonus Angelus, 17 olli
Pœnarum ſeriem, ſigna futura refert.
18 Pontificis nutu, raptis quòd veſtibus, 19 amens
Creditur. 20 hinc ſaxis, verbere, 21 fune ſatur.
Inſuper 22 ut nubes cœlos aſcendere viſus,
23 Quin Solis faciem, 24 tegmen habere nivis.
25 Sternitur huic veſtis, 26 palmis, oleaque triumphat
Ad Solymam. 27 plauſu mitis aſellæ vehis.
28 Ante obitum ſocios cœna ſimul excipit: 29 omnes
Inter biſſenos 30 proditor unus abit.
31 Terga Crucem geſtant. 32 redimit nos ſanguine. 33 punctus
Vepre, 34 ſuper montem vulnera quinque tulit.
35 Latronem indulgens fert ſecum. 36 potat amarè.
37 Voce Deum clamans, 38 in Cruce 39 nudus obit.
40 Virgo Parens gremio defunctum amplectitur. 41 unctum
Sindone cum munda 42 non vetus urna tegit.
43 Cuſtodes lapidem ſignant. 44 veſtram, Inferi, ad arcem
Deſilit. 45 aſſurgit, nec jacet in tumulo.
Hinc & prætereins tundit ſua pectora cœtus.
46 Filius verè non erat iſte Dei.

1. Vide Ep. 15. cent. 1. 2. Vide Epig. 18. cent. 1. 3. Ep. 25. c. 1. 4. Ep. 23. c. 1. 5. Ep. 31. c. 1. 6. Ep. 42. c. 1. 7. Ep. 47. c. 1. 8. Ep. 56. c. 1. 9. Ep. 59. c. 1. 10. Ep. 84. c. 1. 11. Ep. 73. c. 1. 12. Ep. 89. c. 1. 13. Ep. 60. c. 1. 14. Ep. 94. c. 1. 15. Ep. 33. c. 1. 16. Ep. 65. c. 2. 17. Ep. 51. c. 2. 18. Ep. 42. c. 1. 19. Ep. 45. c. 1. 20. Ep. 41. c. 1. 21. Ep. 39. c. 1. 22. Ep. 73. c. 2. 23 Ep. 95. c. 1. 24. Ep. 17. c. 2. 25. Ep. 28. c. 1. 26. Ep. 79. c. 2. 27. Ep. 92. c. 1. 28. Ep. 64. c. 2. 29. Ep. 48. c. 1. 30. Ep. 51. c. 1. 31. Ep. 50. c. 2. 32. Ep. 94. c. 1. 33. Ep. 21. c. 2. 34. Ep. 53. c. 2. 35. Ep. 97. c. 1. 36. Ep. 61. c. 2. 37. Ep. 71. c. 2. 38. Ep. 69. c. 2. 39. Ep. 72. c. 2. 40. Ep. 80. c. 2. 41. Ep. 78. c. 2. 42. Ep. 81. c. 2. 43. Ep. 83. c. 2. 44. Ep. 81. c. 2. 45. Ep. 85. c. 2. 46. Mat. 26

S. F. S. Bonaventuram puellum ſanitati reſtituit. 90.

Incubat Etruſco lethalis inertia Divo:
Semianimem languor, mors diuturna quatit.
Flet Puella parens. medicis abeuntibus, unus
Stat dolor. en falcem trux Libitina rotat.
Cujus opem rogitet? quid agat? quem vota laceſſent?
Te vocat, Æſiſias. ſpes alimenta capit.
Da, Pater, ut vivat. vitam puer accipit; olim
Vir Natis vitam reddat ut ipſe tuis.

S. Franciſci vitam S. Bonaventura deſcribit. 91.

Plurimus acta Patris per aperta volumina pangens,
Æmulus acta Patris per tua geſta refers.
Quæ licèt haud unus referet myſteria codex,
Aptior at reliquis eſt tua vita liber.

S. Fran-

S. Franciſci vitam S. Bonaventura ſcribente, S. Thomas Aquinas, Sinamus, inquit, Sanctum, quia laborat pro Sancto. 92.

Pro Sancto Sanctus, Sancto teſtante, laborat.
Ter, Sanctus, reſonat qui canit, Angelus eſt.

Ejuſdem Seraphici Doctoris laus ab Alexandro de Aleſ. Videtur Adam in homine iſto non peccaſſe. 93.

Diſcipulum Angelicæ ſectantem dogmata vitæ
Pectore dum nimio cernit Alenſis, ait:
Quin videatur homo vix Adam amplius? olli
Nomen in eſt Seraph mentem omnis umbra procul.

S. Franciſci vitæ ſcriptores BB. Leo, Rufinus, Angelus. 94.

*Plena Subaſa*is *quicumque volumina geſtis*
Apicis, hæc Fratrum dat monumenta labor.
Pagina tres jactat ſcribas: in carne Parentis
Stigmatis hiſtoriam ſcripſerat ante Deus.

S. Franciſcus à S. Paulo recepto Fratrum injurias ulciſcitur. 95.

Torquet atrox Præſul, Nemeſi ſtimulante, Minores.
Torqueris Genitor: cingeris: ultor ades.
Jactabas viciſſi lupum: vulgaris habetur
Gloria. Paſtorem plus domuiſſe fuit.

Idem Argumentum. 96.

Pro Cruce Franciſco Paulus cum cederet arma,
Aſfuit huic operi Petrus, ubique comes.
Jamque ait: electum Socius tibi mutuet enſem
Dives: tuis claves non ſemel pie dabo.

S. Franciſci precibus S. Franciſcus à Paula ortus eſt. 97.

Vis ò alta precum! voto Franciſcus Olympum
Umber ſollicitat, jamque oritur Calaber.
Turba Minor tantos recolit non immemor ortus,
Grex Minimus cultu plaudit utrique pari.
Laus Patris, ad lucem natos progignere, ſed qui
Scit Pater & Patres edere, quantus hic eſt?

S. Franciſci, extincto igne, miraculum. 98.

Hic, ubi gra cong lo ſquallent ubi rudera ſaxo,
Quà domibus deſertis ampla ruina tumet;
Dudum Sicaniæ certabant nubibus arces,
Stabantque innumeris Oppida plena ſecis.
Quà que ſiniſtra patent humilis divortia campi,
Ampla ſuburbani jugera ruris erant.
Hic, ſerumineos ubi compulit ignis acervos,
Multiplici ſteterat fruge ſuperba Ceres.
Omnia ſed ruptis abſorbuit Ætna caminis,
Cum pronos raperet fax peregrina lares.

Scilicet agreſtes turreſque, boumque labores
Sulphureo Siculas diſſipat imbre plagas;
Et viles longum fugas in ſegetes Vulcanum;
Quem rapere urbanas mox minitatur opes.
Jamque ſuperba levi ſubiiſſet mœnia ſaltu,
Miſcula ni propèram Virgo tuliſſet opem.
Viſus & æthereà Franciſcus ab arce tueri
Rellquias frugum, ſemirutoſque lares.
Hinc jacuit languens, campoque immota reſedit
Sic velut in ſolidam verſa favilla picem.
Nunc monumenta vigent. pullū fert campus amictūs,
Anteque mirales poſſidet umbra vias.
Dumque patent alta lapides caligine ſepti,
Hic nota preſſura creditur eſſe color:
Nam Patriæ gemerent ut noxia fata, decebat
Tegmine funereo ſaxa vel ipſa tegi.

Peroratio. 99.

Arma, duces, populoſque canens, exordia libro
Pectore non habili, frontis & imbre dedi:
Si mihi penè fato placidis Dea riſit ocellis,
Si ſtetit ad cunas Bellerophontis equus;
Claſſica rauca vetans, molles animare cicutas
Delius, & lentos juſſit inire ſonos.
In vetitum nitor. Muſa renuente, prophanas
Aggredior pugnas, caſtra, pericla, neces.
Acre fuit ſtudium, quo Cæſar abegerat hoſtes,
At quo volvebam carmina, majus erat.
Cum legerem Latios, & Punica bella, vicissim
Pegaſides animo bella tulere meo.
Limine Caſtalidum pendens ter ſyrma rogavi,
Bis cytharam petii, teque cothurne quater.
Nil mihi Calliope: reliquis fraterna paravit
Serta: fidem tribuit, Pieriamque togam.
Quò premerent alii Parnaſia culmina Vates,
Alta Meduſæi pluma vehebat equi.
Me tamen umbra frequens, aut obvia ſaxa per alpes
E foribus Pindi det numero procul.
Conſilium preſſura dedit. labor omnia vicit:
Cœpimus invito plectra movere Deo.
Cœpimus Alvernæ ſacros penetrare receſſus:
Cœpimus Unigenæ Numen adire Patris.
Sic licuit poſita gaudere coronide tandem,
Arida vena licèt, pigraque Muſa foret.
Sic & partus honos. non hinc tibi gratia, Clio,
Gorgoneam peperit ſi mihi ſudor aquam.

S. P. Franciſco. 100.

Principium, finiſque Deus. Pater hujus imago
Omega ſit numeris, ut fuit Alpha, meis.

F I N I S.

Digitized by Google

00563 1224

